John Carter Brown.



THOMAE MORI, ANGLIAE ORNAMENTI EXIMII, LVcubrationes, ab innumeris mendis repurgatæ.

VTOPIÆ LIBRI II.
PROGYMNASMATA.
EPIGRAMMATA.
EX LVCIANO conuersa quædam.
DECLAMATIO Lucianicæ respondens.
EPISTOLÆ.

Quibus additæ sunt duæ aliorum Epistolæ, *de uita, moribus & morte* Mori, *adiuncto rerum notabilium* Indice.

Basil. apud Episcopium F. 1563.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS IOANNI Frobenio, compatri suo charissimo S. D.

JOHN CARTER BROWN

CVM antehac omnia Mori mei mihi supra modũ semper placuerint, tamẽ ipse meo iudicio nonnihil diffidebam; ob arctissimam inter nos amicitiã. Cæterùm ubi uideo, doctos uno ore omneis meo subscribere suffragio; ac uehementius etiam diuinum hominis ingenium suspicere, non quòd plus amẽt; sed quòd plus cernant: serio plaudo meæ sententiæ, nec uerebor posthac quod sentio, palàm eloqui. Quid tandem non præstitisset admirabilis ista naturæ fœlicitas, si hoc ingenium instituisset Italia? si totum Musarum sacris uacasset, si ad iustam frugem ac uelut autumnum suũ maturuisset? Epigrammata lusit adolescens admodum, ac pleraq; puer. Britã

niam ſuam nunquam egreſſus eſt, niſi ſemel atq; iterũ, Principis ſui nomine legatione fungens apud Flandros. Prę ter rem uxoriam, præter curas domeſti cas, præter publici muneris functionẽ, & cauſarum undas, tot tãtisq; regni ne gocijs diſtrahitur, ut mireris eſſe ocium uel cogitãdi de libris. Proinde miſimus ad te Progymnaſmata illius, & Vtopiã, ut ſi uidet, tuis excuſa typis orbi poſte- ritatiq; commendentur: quando ea eſt tuæ officinæ autoritas, ut liber uel hoc nomine placeat eruditis, ſi cognitũ ſit, è Frobenianis ædibus prodiſſe. Bene uale cum optimo ſocero, coniuge ſua- uiſſima, ac mellitiſſimis liberis. Eraſ- mum filiolum mihi tecum communẽ, inter literas natum, fac optimis literis inſtituendũ cures. Louanij VIII. Cal. Septembr. Anno M. D. XVII.

GVIL-

GVILIELMVS BV

DAEVS THOMAE LV-

pſeto Anglo S.

Ratiam ſanè ingentem à nobis iniiſti Lupſete adoleſcentum doctiſſime, qui me porrecta mihi VTOPIA THOMAE MORI, ad iucundiſſimæ ſimul & uſui futuræ lectionis intentionem auertiſti. Nã cùm à me dudum precibus id contendiſſes, id quod meapte ipſe ſponte magnopere exoptaturus eram, ut THOMAE LINACRI, Medici utraque lingua præſtantiſſimi, libros ſex De ſanitate tuenda legerem, quos ille ex Galeni monumẽtis Latinitate nuper ita donauit, uel quibus ipſe potius Latinitatem, ut ſi omnia eius autoris opera (quæ ego inſtar omnis Medicinæ eſſe puto) Latina tandem fiant, non magnopere tum Medicorũ ſchola Græcæ linguæ cognitionem deſideratura uideatur.

eum librum ex schedis LINACRI tumultuaria lectione ita percurri (quarum mihi usum tantisper à te indultum summi loco beneficij duco) ut ea lectione multum me profecisse existimem, sed ex libri editione, quæ nunc à te sedulò procuratur in officinis huius urbis, ego maiorem etiam profectum mihi spondeam. Hoc nomine cùm me tibi obstrictum esse satis crederem, ecce tu mihi uelut prioris beneficij uel appendicem uel auctariũ VTOPIAM illam MORI donasti, hominis in primis acris, ingenioq; amœno, & in rerum humanarum æstimatione ueteratoris. Eum librum cùm ruri in manibus cursitando, satagendo, operis imperitando haberem (partim enim nosti, partim audisti, uillaticis me negocijs alterum iam hunc annum multum operæ impendisse) usqadeò eius lectione affectus sum, cognitis & perpensis Vtopianorũ moribus & institutis, ut penè rei familiaris procurationem intermiserim, atq; etiam abiecerim, cùm nu-

gas

gas esse uiderem artem omnem industriamq; œconomicam, omnino curã census ampliatricem: qua tamen ipsa omne genus mortaliũ uelut œstro quodam intestino & congenito exagitari, nemo est qui non uideat & intelligat, ut legitimarũ, propè dixerim, & ciuiliũ artium ac disciplinarũ eum esse scopũ, fateri necesse sit, ut tam liuida quàm accurata solertia alter ab altero, qui cum ciuilitatis ius ei & interdum gentilitatis intercedit, quippiam semper abducat, abstrahat, abradat, abiuret, exprimat, extũdat, exculpat, extorqueat, excutiat, excudat, subducat, suffuretur, suppilet, inuolet, legibusq; partim conniuentibus, partim autoribus, auferat & interuertat. Id adeò magis in ijs gentibus, apud quas iura quæ ciuilia & põtificia uocantur, amplius in utroq; foro ualent: quorum moribus & institutis eam inualuisse opinionem nemo non uidet, ut homines cautionũ prudentes, uel captionũ potius, & incõsultorum ciuium aucupes, & formularum, id est,

excipularum opifices, ac pactilis iuris callentissimi, & litium concinnatores, iurisq; controuersi, peruersi, inuersi, cõsulti, antistites esse iusticiæ æquitatisq; existimentur, solisq; digni qui de æquo bonoq; responsitent, atq; etiam (quod maius est multo) qui cum imperio ac potestate statuant, quid unumquemq; habere, quid non habere, quatenus quamdiuq; liceat. hallucinãtis id utiq; sensus communis iudicio. quippe cùm pleriq; hominum crassis ignorantiæ lemis cæcutientes, tam æquissimam ferè causam unũquemq; putemus habere, quàm maximè ius postulat, aut iure subnixus est: cùm si ad ueritatis normã, & ad simplicitatis Euangelicæ prescriptũ exigere iura uelimus, nemo sit tã stupidus, quin intelligat: nemo tam uæcors, quin fateat̃ si urgeas, tã ius & fas hodie ac iamdiu in sanctionibus põtificijs, & ius atq; æquum in legibus ciuilibus & principũ placitis dissidere, quàm Christi rerum humanarũ conditoris instituta, eiusq; discipulorum ritus, ab eorũ decretis

etis & placitis, qui Crœsi & Midæ a-
eruos bonorum finem esse putant, &
licitatis cumulum: adeò si iusticiam si
re nunc uelis, quomodo priscis auto
bus placuit, quæ ius suum unicuiq; tri
rat, uel nullibi eam in publico inueni
, uel (si dicere id mihi permittam) cu
nariam quandam dispẽsatricem esse,
fateamur necesse sit, siue nunc impe-
tãtium mores spectes, siue ciuium in-
r se & popularium affectus. Nisi uerò
germana mundique æquali iusticia
quod ius naturale uocãt) manasse ius
contenderint, ut quo quisque plus
olleat, eo etiam plus habeat: quo au-
m plus habeat, eo plus eminere inter
ues debeat: quo fit ut iam iure gentiũ
ceptum esse uideamus, ut qui nec ar-
nec industria memorabili iuuare ci-
s suos & populares possunt, si modò
ctiles illos nexus & contractiles no=
os teneant, queis hominum patrimo=
a obstringuntur, quosq; uulgus igna
m, hominesq; literis humanioribus
diti, ac procul foro, animi causa aut

ueritatis indagandæ ergò agentes, par-
tim Gordij uincula esse ducunt, partim
circulatoria, nec magnopere miranda,
ij millenorum ciuium censum, & sæpe
singularum ciuitatum, aut etiã amplio-
rem habeãt, ijdemq; tum locupletes, tũ
frugi homines, tũ magnifici conquisito
res honorificè uocitẽtur. Quippe ijs se-
culis, ijs institutis, ijs moribus, in ijs gen
tibus, quæ id ius esse statuerunt, ut tam
summa fide atq; autoritate quisq; sit, q̃
maximis opibus penates suos archite-
ctatus est ipse hæredesq; eius. idq; eo
magis atq; magis, quo eorum adnepo-
tes, horumq; rursus abnepotes patrimo
nia à maioribus parta, luculentis certa
tim accessionibus cumulauerint: id est
quo longius latiusq; confines, affines
cognatos, consanguineosq; summou
rint. At uerò CHRISTVS possessioni
cõditor & moderator, Pythagoricã cõ
munionẽ et charitatẽ inter asseclas suo
relictam, luculento sanxit exemplo, d
mnato capitis Anania ob temeratã cõ
munionis legem. Quo certè institut

CHRI

HRISTVS omne iuris istius ciuilis
ōtificiq; adeò recentioris argumēto-
a uolumina, inter suos quidē abroga∫-
e mihi uidetur. quod ipsum ius hodie
rcē tenere prudentiæ uidemus, ac fata
oſtra regere. VTOPIA uerò insula, q̄
tiam VDEPOTIAM appellari audio,
nirifica utiq; sorte (si credimus) Christi
nos ritus ac germanam ipsam sapien-
iam publicè priuatimq; hausisse perhi-
etur, intemeratamq; ad hunc usque di
m seruasse: utpote quæ tria diuina in-
tituta, hoc est, bonorū malorumq; in-
er ciues æqualitatem, seu malis ciuili-
atē, numeris omnibus suis absolutam,
& pacis ac tranquillitatis amorem con
tantem ac pertinacem, & auri argētiq;
ontemptum conſertis (ut aiunt) mani
us retinet, tria (ut ita loquar) euerticu-
a omniū fraudum, impoſturarum, cir-
unſcriptionum, uerſutiarum, & plani-
arū improbitatū. Superi suo nomine
acerent, ut hæc tria VTOPIANAE le-
gis capita trabalibus clauis firmæ ac sta
æ perſuaſionis in ſenſibus omniū mor

talium

talium figerentur, protinus ſuperbiam
cupiditatem, contentionem uæſanam
atque alia penè omnia uulnifica Stygi
aduerſarij tela concidere languereq; u
deres, iurisq; illam uoluminum uim im
menſam, tot eximia ſolidaq; ingenia ac
libitinam uſque detinẽtia, ut caſſa & ua
cantia, teredinibus permitti, aut inuolu
cris officinarũ dicari. Proh diui immor-
tales, quæ nam Vtopianorũ ſanctitas
eam diuinitùs beatitudinẽ emereri po-
tuit, ut auaritia & cupiditas in eam unã
inſulam irrumpere, aut irrepere tot ſe-
culis nõ potuerint? nec inde iuſticiam
cum pudore proteruitate ſua impu-
dentiaq; explodere & exigere? Deus
nunc optimus maximus tam benigne
cum ijs prouincijs egiſſet, quæ ab eius
ſacratiſsimo nomine cognomẽtum re-
tinent & amplectuntur: certè auaritia
tot mentes alioquin egregias arduasq;
deprauans & peſſundans, ſemel hinc fa
ceſſeret, & aureum ſeculum Saturniũq;
rediret. Hic enimuerò periculum eſſe
quiſpiam autumarit, ne fortè Aratus &

poetæ

oetæ prisci opinione falsi fuerint, qui
sticiam è terris decedẽtem in signife-
circulo collocauerunt. restitisse e-
m eam in Vtopia insula necesse est, si
ythlodæo credimus, necdum in cœ-
m peruenisse. uerùm ego Vtopiam e-
ra mundi cogniti fines sitam esse per-
nctando comperi, insulam nimirum
rtunatam, Elysijs fortasse campis pro
mam (nam Hythlodęus nondum si-
m eius finibus certis tradidit, ut Mo-
s ipse testatur) multas quidem ipsam
urbes distractam, sed unam in ciuita-
m coeuntes aut conspirantes, nomi-
Hagnopolin, suis utique ritibus bo-
sq; acquiescentem, innocẽtia beatã,
elestem quodammodo uitam agen-
n, ut infra cœlum, sic supra mundi hu
s cogniti colluuionẽ: quæ in tot mor
ium studijs, ut acribus & incitatis, sic
anibus & irritis turbidè & æstuosè in
ecipitium rapitur. Eius igitur insulæ
gnitionem Thomę Moro debemus,
i beatæ uitæ exemplar, ac uiuẽdi præ
iptum ætate nostra promulgauit, ab

Hythlo-

Hythlodæo, ut ipse tradit, inuẽtum, cui
omnia fert accepta: qui ut Vtopianis ci
uitatem architectatus sit, ritusq; illis &
institutа cõdiderit, id est, beatæ uitæ ar-
gumẽtũ nobis inde mutuatus sit, & im-
portarit: MORVS certè insulam & san-
cta institutа stilo orationeq; illustrauit,
ac ciuitatẽ ipsam Hagnopolitanorum
ad normã regulãq; expoliuit, omniaq;
ea addidit, unde operi magnifico de-
cor uenustasq; accedit, & autoritas, etiã
si in ea opera nauanda sibi tantũ partes
structoris uendicauit: uidelicet religio
fuit maiores sibi partes in eo opere su-
mere, ne Hythlodęus iure queri posset,
gloriã sibi à Moro pręcerptã, pręflora-
tãq; relinqui, si quãdo suos ipse labores
literis mãdare cõstituisset. ἐυλαβουμένου
λαθεῖν αὐτὸν, μὴ ὑθλόδαιος αὐτὸς ὁ τῆ ὀυδ
ποτίαγε νήσῳ ἐμφιλοχορῶν ἐπιφανεὶς ποτ
δυχερᾶνδε ἠβαιμένοις ἑαυτὸν ἀτνωμοσύνη
αὐτὸν τ' γε ἐγκαταλιπόντ' αὐ ἐφ' προαπλω
θισμένου τὸ λιλε' τ' ὀυρεμαί' τότε. ὄυτω
γὰρ πεπεῖσθαι, πρὸς ἀνδρῶν ὅσιν ἀγαθῶν τ
& σοφῶν. MORO aũt homini per se gra-
ui, &

ui, & autoritate magna subnixo, fidem
plane ut habeã, efficit Petri Ægidij An
uerpiensis testimoniũ, quẽ uirũ nũquã
oràm à me cognitũ (mitto nũc doctri
ę morumq; cõmendationẽ) eo nomi
ne amo, quòd ERASMI clarissimi uiri,
c de literis sacris, prophanis, omneq; ge-
nus meritissimi, amicus est iuratissi-
mus, qui cũ etiã ipso iamdiu societatem
micorũ cõtraxi, literis ultrò citroq; ob
signatis. Vale Lupsete mi dilectissime,
& LINACRVM Britãnici nominis co
umen (quod quidẽ ad literas bonas at
inet) non magis iam uestrum (ut spe-
o) quàm nostrum, uerbis meis saluta,
uel coràm, uel epistola internũcia, idq;
primo quoq; tempore. is enim unus est
paucorum, quibus me perlubẽs appro
parim, si possim, cùm & ipse coràm hic
gens mihi se summè, Ioannicq; Ruellio
mico meo, studiorũq; consocio proba
uerit, & eius excellentem doctrinã, exa
stamq; diligẽtiam in primis suspiciam,
emulariq; contendam. Velim etiam, ut
MORO salutem unam & alteram man-

dato

dato meo uel mittas, ut dixi, uel dicas. quem uirum in Mineruæ ſacratius album iamdiu opinione mea, ſermoneq; meo relatum, de Vtopia noui orbis inſula ſummè & amo & ueneror. Eius enim hiſtoriam ætas noſtra, poſteręq; ætates habebunt uelůt elegantium utiliumq; inſtitutorum ſeminarium, unde translatitios mores in ſuam quiſq; ciuitatem importent & accommodent. Vale. Pariſijs pridie Cal. Auguſt.

CLARISSIMO D.

HIERONYMO BVSLIDIO,

Præpoſito Arienſi, Catholici Regis Caroli à conſilijs, Petrus Aegidius Antuerpienſis S. D.

SVPERIORIBVS hiſce dieb. ornatiſſime Buslidi, miſit ad me THOMAS ille MORVS, te quoq; teſte, cui notiſſimus eſt, eximiũ huius ætatis noſtrę decus, Vtopiam inſulam, paucis adhuc mortalibus cognitam, ſed dignã in primis, quã ut plus quàm Platonicã omnes uelint cognoſcere, preſertim ab homine facundiſſimo ſic expreſſam, ſic depictã, ſic oculis ſubiectã, ut quoties lego, aliquãto plus mihi uidere uidear, q̃ cũ ipſum Raphaelẽ Hythlodæũ (nã ei ſermoni æquè interfui ac MORVS ipſe) ſua uerba ſonantẽ audirẽ. Etiam ſi uir ille haud uulgari prędituſ eloquẽtia ſic rẽ exponeret, ut facile appareret, eũ non ea referre, quæ narrantibus aliis didiciſſet, ſed quę cominus hauſiſſet ocu-

lis,& in quibus nõ exiguũ tempus esset uersatus,homo mea quidẽ sententia, regionũ,hominũ, & rerũ experientia uel ipso Vlysse superior,et qualẽ octingentis hisce annis nusquã arbitrer natũ, ad quẽ collatus Vespucius nihil uidisse putetur. Iã prẽterquàm quòd uisa ꝙ audita narramus efficacius, aderat homini peculiaris quædã ad explicãdas res dexteritas. Attamẽ eadẽ hęc quoties MORI penicillo depicta contemplor,sic afficior, ut mihi uidear nõnunquã in ipsa uersari Vtopia. Ethercule crediderim, Raphaelẽ ipsum minus in ea insula uidisse per omne quinquenniũ quod illic egit, ꝙ in Mori descriptione uideri liceat. Tantũ hic occurrit undiq; miraculorũ,ut ambigã,quid primũ aut potissimũ admirer, fœlicissimę memorię fidẽ, quæ tot res auditas duntaxat, penè ad uerbũ reddere potuerit: an prudẽtiam, qua uulgo ignotissimos fontes, unde omnia reipublicæ uel oriũtur mala, uel oriri possent bona,sic animaduertit: an orationis uim ac facultatẽ, qua tãta ser-

monis

monis Latini puritate, tãtis dicendi neruis, tot res cõplexus est, præsertim unus in tot publica simul & domestica negocia distractus. Verùm hæc omnia tu minus admiraris doctissime Buslidi, qui familiari etiã consuetudine penitus habes cognitũ, homine maius ac propè diuinũ hominis ingeniũ. In cæteris igitur nihil est, quod illius scriptis queã adijce re: tãtũ tetrastichũ uernacula Vtopiensiũ lingua scriptũ, quod à Mori discessu forte mihi ostendit Hythlodæus, apponendum curaui, præfixo eiusdem gẽtis alphabeto, tum adiectis ad margines aliquot annotatiunculis. Nã quod de insulæ situ laborat MORVS, ne id quidẽ omnino tacuit Raphael, quanquã paucis admodum, ac uelut obiter attigit, uelut hoc alij seruans loco. Atque id sanè, nescio quo modo, casus quidã malus utriq; nostrũ inuidit. siquidẽ cũ ea loqueretur Raphael, adierat Morũ è famulis quispiã, q illi nescio quid diceret in aurem: ac mihi quidẽ tãto attẽtius auscultanti, comitũ quispiã clarius, ob frigus

opinor nauigatione collectum, tussiẽs, dicentis uoces aliquot intercepit. Verùm non conquiescã, donec hanc quoque partem ad plenũ cognouero, adeò ut non solùm sitũ insulæ, sed ipsam etiã poli sublationem sim tibi adunguẽ redditurus, si modò incolumis est noster Hythlodæus. Nã uarius de homine rumor adfertur, alij affirmant periisse in itinere, rursum alij reuersum in patriã: sed partim suorum mores non ferentẽ, partim Vtopiæ desiderio sollicitatum, eò remigrasse. Nam quòd huius insulæ nomen nusquam apud Cosmographos reperiatur, pulchrè dissoluit Hythlodęus ipse. Siquidem fieri potuit, inquit, ut nomen quo ueteres sint usi, postea sit commutatum. aut etiã illos hæc fugerit insula, quando & hodie complures oriuntur terræ priscis illis Geographis intactę. Quanquam quorsum attinet hic argumentis adstruere fidem, quum Morus ille sit autor? Cæterùm quod is ambigit de editione, equidem laudo, & agnosco uiri modestiã. At mihi uisum est

est opus modis omnib. indignũ, quod diu premeretur, & cumprimis dignũ, quod exeat in manus hominum, idq; tuo potissimùm nomine commendatũ orbi: uel quòd MORI dotes tibi præcipuè sint perspectæ, uel quòd nemo magis idoneus, qui rectis consilijs iuuet rempublicam, in qua iam annis cõpluribus summa cum laude uersaris, tum prudentiæ, tum integritatis. Bene uale studiorum Mecœnas, & huius seculi decus. Antuerpiæ. Anno M. D. XVI. Cal. Nouemb.

THOMAS MORVS
PETRO AEGIDIO S. D.

PVDET me propemodum, chariſſime Petre Ægidi, libellũ hunc de Vtopiana republica, poſt annũ fer mè ad te mittere, quẽ te non dubito intra ſeſquimenſem expectaſſe. quippe quum ſcires mihi demptũ in hoc opere inueniẽdi laborẽ, neque de diſpoſitiõe quicquã fuiſſe cogitãdũ, cui tantũ erãt ea recitãda, quę tecũ unà pariter audiui narrãtẽ Raphaelẽ. quare nec erat quod in eloquẽdo laboraret, qñ nec illius ſermo potuit exquiſitus eſſe, quũ eſſet primùm ſubitarius atque extẽporalis, deinde hominis, ut ſcis, non perinde Latinè docti, q̃ Græcè: & mea oratio quanto accederet propius ad illius neglectã ſimplicitatem, tanto futura ſit propior ueritati, cui hac in re ſoli curã & debeo & habeo. Fateor mi Petre, mihi adeò multũ laboris his reb. paratis detractũ, ut penè nihil fuerit relictũ: alioquin huius rei uel excogitatio, uel œconomia potuiſ-

potuisset ab ingenio neq; infimo, neq; prorsus indocto postulare, tũ temporis nonnihil, tũ studij. Quod si exigeret, ut diserte etiã res, non tantũ uere, scriberetur, id uerò à me præstari, nullo tẽpore, nullo studio potuisset. Nunc uerò quũ ablatis curis his, in quibus tantũ fuit sudoris exhauriendũ, restiterit tantũ hoc, uti sic simpliciter scriberẽtur audita, nihil erat negocij. Sed huic tamen tam nihilo negocij peragendo, cætera negocia mea minus ferè quàm nihil temporis reliquerunt: dum causas forenseis assidue alias ago, alias audio, alias arbiter finio, alias iudex dirimo: dum hic officij causa uisitur, ille negocij: dum foris totum fermè diem alijs impertior, reliquũ meis, relinquo mihi, hoc est literis, nihil. Nempe reuerso domũ cum uxore fabulandum est, garriendum cũ liberis, colloquẽdũ cũ ministris. Quæ ego omnia inter negocia numero, quando fieri necesse est (necesse est autem, nisi uelis esse domi tuæ peregrinus) & danda omnino opera est, ut quos uitæ tuæ

comites aut natura prouidit, aut fecit casus, aut ipse delegisti, his ut te q̃ iucũdissimũ cõpares, modò ut ne comitate corrumpas, aut indulgẽtia ex ministris dominos reddas. Inter hæc quę dixi, elabitur dies, mensis, annus. Quando ergo scribimus? Nec interim de somno quicquã sum loquutus, ut nec de cibo quidẽ, qui multis nõ minus absumit tẽporis, q̃ somnus ipse, qui uitę absumit fermè dimidiũ. At mihi hoc solũ temporis adquiro, quod somno ciboq̃ suffuror: quod quoniã parcũ est, lẽtè, quia tamẽ aliquid, aliquando perfeci, atq̃ ad te mi Petre trãsmisi Vtopiam, ut legeres, & si quid effugisset nos, uti tu admoneres. Quãquã enim nõ hac parte penitus diffido mihi (qui utinã sic ingenio atq̃ doctrina aliquid essem, ut memoria non usquequaq̃ destituor) nõ usq̃adeò tamen cõfido, ut credam nihil mihi potuisse excidere. Nam & Ioannes Clemẽs puer meus, qui adfuit, ut scis, unà, ut quem à nullo patior sermone abesse, in in quo aliquid esse fructus põt, quoniã

ab

ıb hac herba, qua & Latinis literis & Græcis cœpit euirescere, egregiam aliquando frugem spero, in magnam me coniecit dubitationẽ. Siquidem quũ, quantum ego recordor, Hythlodæus narrauerit Amauroticum illum pontẽ, quo fluuius Anydrus insternitur, quin gentos habere passus in longum, loannes meus ait, detrahendos esse ducentos, latitudinẽ fluminis haud supra trecentos ibi continere. Ego te rogo, rem ut reuoces in memoriam. Nam si tu cũ illo sentis, ego quoq; adsentiar, & me lapsum credam: sin ipse non recolis, scribam, ut feci, quod ipse recordari uideor mihi. nam ut maximè curabo, ne quid sit in libro falsi, ita si quid sit in ambiguo, potius mendacium dicam, quàm mẽtiar: quod malim bonus esse, quàm prudens. Quanquam facile fuerit huic mederi morbo, si ex Raphaele ipso aut præsens sciscitaris, aut per literas. quod necesse est facias, uel ob alium scrupulũ, qui nobis incidit, nescio meáne culpa magis, an tua, an Raphaelis ipsius.

Theologica differẽtia inter mentiri et mendaciũ dicere.

Nam neq; nobis in mentem uenit quæ rere, neq; illi dicere, qua in parte noui il lius orbis Vtopia sita sit. Quod nõ fuis se prætermissum sic, uellem profectò mediocri pecunia mea redemptũ: uel quòd subpudet me nescire, quo in ma ri sit insula, de qua tã multa recensẽa: uel quòd sunt apud nos unus & alter, sed unus maximè uir pius & professio ne Theologus, qui miro flagrat deside rio adeundæ Vtopiæ, non inani & cu riosa libidine collustrandi noua, sed uti religionem nostram, fœliciter ibi cœ ptam, foueat atq; adaugeat. Quod quo faciat ritè, decreuit antè curare, ut mit tatur à Pontifice, atque adeò ut creetur Vtopiensibus Episcopus, nihil eo scru pulo retardatus, quòd hoc antistitium sit illi precibus impetrandum. Quippe sanctum ducit ambitum, quem non honoris aut quæstus ratio, sed pietatis respectus pepererit. Quamobrem te oro mi Petre, uti aut præsens, si potes commodè, aut absens per epistolam, compelles Hythlodæum, atq; efficias, ne

Sanctus ambitus.

ne quicquam huic operi meo aut insit falsi, aut ueri desideretur. Atque haud scio, an præstet ipsum ei librum ostendi. Nam neq; alius æquè sufficit, si quid est erratum, corrigere: neq; is ipse aliter hoc præstare potest, quàm si quæ sunt à me scripta, perlegerit. Ad hæc fiet ut hoc pacto intelligas, accipiátne libenter, an grauatim ferat, hoc operis à me conscribi. Nempe si suos labores decreuit ipse mandare literis, nolit fortasse me, neq; ego certè uelim Vtopiensium per me uulgata republica, florem illi gratiamq; nouitatis historię suę præripere. Quanquã, ut uerè dicam, nec ipse mecũ satis adhuc constitui, an sim omnino editurus. Etenim tã uaria sunt palata mortaliũ, tã morosa quorũdã ingenia, tã ingrati animi, tã absurda iudicia, ut cum his haud paulo fœlicius agi uideat, qui iucũdi atq; hilares, genio indulgẽt suo, q; qui semet macerãt curis, ut edant aliqd, quod alijs aut fastidiẽtibus, aut ingratis, uel utilitati possit esse, uel uoluptati. Plurimi literas nesciunt,

multi

multi contemnunt: barbarus ut durum reiicit, quicquid non est planè barbarũ: scioli aspernantur ut triuiale, quicquid obsoletis uerbis non scatet: quibusdã solum placent uetera, pleriscp tantum sua. hic tam tetricus est, ut nõ admittat iocos: hic tam insulsus, ut non ferat sales. tam simi quidam sunt, ut nasum omnem, uelut aquam ab rabido morsus cane, reformident. adeò mobiles alij sunt, ut aliud sedentes probẽt, aliud stantes. hi sedent in tabernis, & inter pocula de scriptorum iudicant ingenijs, magnacp cum autoritate condemnant utcunq; lubitum est, suis quencp scriptis, ueluti capillitio uellicantes, ipsi interim tuti, & quod dici solet ἔξω βέλος. quippe tã leues & abrasi undicp, ut ne pilum quidem habeant boni uiri, quo possint apprehendi. Sunt præterea quidam tam ingrati, ut quum impensè delectentur opere, nihilo tamen magis ament autorem: non absimiles inhumanis hospitibus, qui quum opiparo conuiuio prolixè sint excepti, saturi demum discedunt

Simos uocat homines nullo naso.

Mira collatio.

unt domum, nullis habitis gratijs ei, à
uo sunt inuitati. I nunc, & hominibus
am delicati palati, tam uarij gustus, ani
ni præterea tam memoris & grati, tuis
mpensis epulum instrue. Sed tamẽ mi
Petre, tu illud age, quod dixi, cum Hy-
hlodæo: postea tamen integrum erit
ac de re cõsultare denuò. Quanquam
i id ipsius uoluntate fiat: quando qui-
lem scribendi labore defunctus, nunc
ferò sapio. Quod reliquũ est, de eden-
do, sequar amicorum consilium, atq; in
primis tuum. Vale dulcissime Petre
Aegidi, cum optima coniuge: ac me
ut soles ama, quando ego te a-
mo etiam plus quam
soleo.

HEXA-

HEXASTICHON

ANEMOLII, POETAE LAV-reati, Hythlodæi ex sorore nepotis, in Vtopiam insulam.

VTopia priscis dicta, ob infrequentiam:
Nunc ciuitatis æmula Platonicæ,
Fortasse uictrix (nam quòd illa literis
Delineauit, hoc ego una præstiti,
Viris & opibus, optimisq; legibus)
Eutopia meritò sum uocanda nomine.

TETRASTICHON eiusdem.

Vtopus me dux ex non insula fecit insulam,
Vna ego terrarum omnium absq; philosophia,
Ciuitatem philosophicam expressi mortalibus.
Libenter impertio mea, nõ grauatim accipio meliora.

GERARDVS NOVIOMAgus de Vtopia.

Dulcia lector amas? sunt hic dulcissima quæq;:
Vtile si quæris, nil legis utilius.

Siue

ue utrunq; uoles, utrôq; hæc insula abundat,
Quo linguam exornes, quo doceas animum.
ic fontes aperit, recti prauiq; disertus
Morus, Londini gloria prima sui.

CORNELIVS GRAPHEVS ad Lectorem.

is noua monstra, nouo dudum nunc orbe reperto?
Viuendi uaria uis ratione modos?
is qui uirtutum fontes? uis unde malorum
Principia? & quantum in rebus inane latet?
æc lege, quæ uario Morus dedit ille colore,
Morus Londinæ nobilitatis honos.

FINIS.

SERMONIS QVEM RAPHAEL HYTHLODAEVS, VIR EXIMIUS *de optimo Reipublicæ ſtatu habuit, Liber primus: per illuſtrem uirum Thomam Morum, inclytæ Britanniarum urbis Londini & ciuem, & Vicecomitem.*

QVVM non exigui momenti negocia quædam inuictiſsimus Angliæ rex HENRICVS, eius nominis octauus, omnibus egregij principis artibus ornatiſsimus, cum ſereniſsimo Caſtellæ principe CAROLO controuerſa nuper habuiſſet, ad ea tractanda, cõponẽdaq; oratorem me legauit in Flandriam, comitem & collegam uiri incomparabilis Cuthberti Tunſtalli, quẽ ſacris ſcrinijs nuper ingenti omnium gratulatione præfecit: de cuius ſanè laudibus nihil à me dicetur, non quòd uerear ne parum ſynceræ fidei teſtis habenda ſit amicitia, ſed quòd uirtus eius ac doctrina maior eſt, quàm ut à me prædicari poſsit, tum notior ubiq;, atq; illuſtrior, a quàm

Cuthbertus Tunſtallus.

Paræmia. quàm ut debeat, nisi uideri uelim solem lucerna, quod aiunt, ostendere. Occurrerũt nobis Brugis (sic enim conuenerat) hi quibus à principe negocium demandabatur, egregij uiri omnes. in his præfectus Brugensis, uir magnificus, princeps & caput erat: caterùm os & pectus Georgius Temsicius Cassiletanus Præpositus, non arte solùm, uerumetiam natura facundus, ad hæc iureconsultissimus, tractandi uerò negocij cùm ingenio, tum assiduo rerum usu eximius artifex. Vbi semel atque iterum congressi, quibusdam de rebus non satis consentiremus, illi, in aliquot dies uale nobis dicto, Bruxellas profecti sunt, principis oraculum scisciturí. Ego me interim (sic enim res ferebat) Antuerpiam confero. Ibi dum uersor, sæpe me inter alios, sed quo non alius

P. Aegidius. gratior, inuisit Petrus Aegidius Antuerpiæ natus, magna fide, & loco apud suos honesto, dignus honestissimo, quippe iuuenis haud scio doctior ne, an moratior. est enim & optimus & literatissimus, ad hæc animo in omnes candido, in amicos uerò tam propenso pectore, amore, fide, adfectu tam syncero, ut uix unum aut alterum usquam inuenias, quem illi sentias omnibus amicitiæ numeris esse conferendum. Rara illi modestia, nemini longius abest fucus,

eus, nulli simplicitas inest prudentior. Porrò sermone tam lepidus, & tam innoxiè facetus, ut patriæ desiderium, ac laris domestici, uxoris & liberorum, quorum studio reuisendorum nimis quàm anxiè tenebar (iam tum enim plus quatuor mensibus abfueram domo) magna ex parte mihi dulcissima consuetudine sua, & mellitissima confabulatione leuauerit. Hunc quum die quadam in templo diuæ Mariæ, quod & opere pulcherrimum, & populo celeberrimum est, rei diuinæ interfuissem, atque peracto sacro pararem inde in hospitium redire, fortè colloquentem uideo cum hospite quodam, uergentis ad senium ætatis, uultu aduſto, promissa barba, penula neglectim ab humero dependente, qui mihi ex uultu atque habitu nauclerus esse uidebatur. At Petrus ubi me conspexit, adit ac salutat. respondere conantem seducit paululum: &, Vides inquit hunc? (simul designabat eum cum quo loquentem uideram) eum, inquit, iam hinc ad te rectà parabam ducere. Veniſſet, inquam, pergratus mihi tua causa. Imò, inquit ille, si nosses hominem, sua. Nam nemo uiuit hodie mortalium omnium, qui tantam tibi hominum, terrarumq; incognitarum narrare possit historiam, quarum rerum audi-

endarum scio auidissimum esse te. Ergo, inquam, non pessimè coniectaui. Nam primo aspectu protinus sensi, hominem esse nauclerum. Atqui, inquit, aberrasti longissimè. nauigauit quidem non ut Palinurus, sed ut Vlysses: imò uelut Plato. Nempe Raphael iste, sic enim uocatur gentilitio nomine Hythlodæus, & Latinæ linguæ non indoctus, & Græcæ doctissimus (cuius ideo studiosior quàm Romanæ fuit, quoniam totum se addixerat philosophiæ: qua in re nihil quod alicuius momenti sit, præter Senecæ quædam ac Ciceronis extare latinè cognouit) relicto fratribus patrimonio, quod ei domi fuerat (est enim Lusitanus) orbis terrarum contemplandi studio, Americo Vespucio se adiunxit, atque in tribus posterioribus illarum quatuor nauigationum, quæ passim iam leguntur, perpetuus eius comes fuit, nisi quòd in ultima cum eo non redijt. Curauit enim, atque adeò extorsit ab Americo, ut ipse in his uigintiquatuor esset, qui ad fines postremæ nauigationis in Castello relinquebantur. Itaque relictus est, uti obtemperaretur animo eius, peregrinationis magis, quàm sepulchri curioso: quippe cui hæc assiduè sunt in ore, Cœlo tegitur, qui non habet urnam: &, Vndiq; ad superos tantundem esse uię. Quæ mēs eius,

nisi

niſi Deus ei propitius adfuiſſet, nimio fuerat illi conſtatura. Cæterùm poſtquam digreſſo Veſpucio multas regiones cum quinque Caſtellanorum comitibus emenſus eſt, mirabili tandem fortuna Taprobanen delatus inde peruénit in Caliquit: ubi repertis commodè Luſitanorum nauibus, in patriã deniq; præter ſpem reuehitur. Hæc ubi narrauit Petrus, actis ei gratijs, quòd tã officioſus in me fuiſſet, ut cuius uiri colloquium mihi gratum ſperaret, eius uti ſermone frueretur, tantam rationem habuiſſet, ad Raphaelem me conuerto. Tum ubi nos mutuò ſalutaſſemus, atq; illa cõmunia dixiſſemus, quæ dici in primo hoſpitum congreſſu ſolẽt, inde domum meam digredimur: ibiq; in horto conſidẽtes, in ſcamno ceſpitibus herbeis conſtrato, cõfabulamur. Narrauit ergo nobis, quo pacto poſteaquam Veſpucius abierat, ipſe ſocijq; eius, qui in Caſtello remanſerant, conueniendo atq; blandiendo cœperint ſe paulatim eius terræ gentibus inſinuare: iamq; non innoxiè modò apud eas, ſed etiam familiariter uerſari, tum principi cuidam (cuius & patria mihi & nomen excidit) grati, chariq; eſſe: eius liberalitate narrabat commeatum atque uiaticum ipſi & quinq; eius comitibus affatim fuiſſe ſuppeditatum, cum itineris (quod per aquã ratibus,

bus, per terram curru peragebant) fidéliſ-
ſimo duce, qui eos ad alios principes, quos
diligenter commendati petebant, adduce-
ret. Nam poſt multorum itinera dierum,
oppida atque urbes aiebat reperiſſe ſe, ac
non peſsimè inſtitutas, magna populorum
frequentia, reſpublicas: nempe ſub æqua-
toris linea tum hinc atque inde ab utroq;
latere, quantum ferè ſpatij ſolis orbita com
plectitur, uaſtas obiacére ſolitudines perpe
tuo feruore torridas. Squalor undique, &
triſtis rerum facies, horrida atque inculta
omnia, feris habitata ſerpentibusq;, aut de-
niq; hominibus neque minus efferis quàm
ſint beluæ, neque minus noxijs. Cæterùm
ubi longius euectus ſis, paulatim omnia
manſueſcere, cœlum minus aſperum, ſolum
uirore blandum, mitiora animantium in-
genia, tandem aperiri populos, urbes, op-
pida, in his aſsidua non inter ſe modò ac fi-
nitimos, ſed procul etiam diſsitas gentes,
terra mariq; commercia. Inde ſibi natam fa
cultatem, multas ultrò citroq; terras inui-
ſendi, quòd nulla nauis ad iter quodlibet
inſtruebatur, in quam non ille, comitesq;
eius libentiſsimè admittebantur. Naues
quas primis regionibus conſpexerunt, ca-
rina plana fuiſſe narrabat. uela conſutis pa-
pyris aut uiminibus intendebantur, alibi
coriacea.

coriacea. post uerò acuminatas carinas, ca-
nabea uela repererunt. omnia deniq; no-
stris similia. nautæ maris ac cœli non impe-
riti. Sed miram se narrabat iisse gratiam,
tradito magnetis usu, cuius antea penitus
erãt ignari. ideoq; timidè pelago consueuis-
se sese, neq; aliàs temerè, quàm æstate cre-
dere. Nunc uerò eius fiducia lapidis con-
temnunt hyemem, securi magis quàm tuti,
ut periculum sit, ne quæ res magno eis bo-
no futura putabatur, eadem per impru-
dentiam magnorum causa malorum fiat.
Quid quoque in loco se uidisse narrauit, &
longum fuerit explicare, neque huius est o-
peris institutum, & alio fortasse loco dice-
tur à nobis, præsertim quicquid ex usu fue-
rit non ignorari: qualia sunt in primis ea,
quæ apud populos usquam ciuiliter conui-
uentes animaduertit, rectè prudẽterq; pro-
uisa. His enim de rebus & nos auidissimè
rogabamus, & ille libentissimè disserebat,
omissa interim inquisitione monstrorum,
quibus nihil est minus nouum. Nam Scyl-
las & Celenos rapaces, & Lestrigonas po-
puliuoros, atque eiuscemodi immania por-
tenta, nusquam ferè non inuenias, at sa-
nè ac sapienter institutos ciues haud re-
perias ubilibet. Cæterùm ut multa apud
nouos illos populos adnotauit perperam

consulta, sic haud pauca recensuit, unde possint exempla sumi corrigendis harum urbium, nationum, gentium, ac regnorum erroribus idonea, alio, ut dixi, loco à me commemoranda. Nunc ea tantum referre animus est, quæ de moribus atque institutis narrabat Vtopiensium, præmisso tamen eo sermone, quo uelut tractu quodam ad eius mentionem reipublicæ deuentum est. Nam quum Raphael prudentissimè recensuisset, alia hîc, alia illic errata, utrobiq; certè plurima, tum quæ apud nos, quæue item sunt apud illos cauta sapiẽtius, quum uniuscuiusque populi mores atque instituta sic teneret, tanquam in quemcunque locum diuertisset, totam ibi uitam uixisse uideretur. Admiratus hominem Petrus: Miror profecto mi Raphael, inquit, cur te regi cuipiam non adiungas, quorum neminem esse, satis scio, cui tu non sis futurus uehementer gratus, utpote quem hac doctrina, atque hac locorum hominumq; peritia non oblectare solùm, sed exemplis quoque instruere, atque adiuuare consilio sis idoneus, simul hoc pacto & tuis rebus egregiè consulueris, & tuorum omnium commodis magno esse adiumento possis. Quod ad meos attinet, inquit ille, non ualde commoueor, nempe in quos mediocriter

llocriter opinor me officij mei partes im-
leuisse. nam quibus rebus alij non nisi se-
es & ægri cedunt, imò tum quoque ægrè
edunt, quum amplius retinere non pos-
unt, eas res ego non sanus modò ac uege-
us, sed iuuenis quoq; cognatis amicisq; di
partiui: quos debere puto hac mea esse be-
ignitate contentos, neq; id exigere atq; ex
ectare præterea, ut memet eorum causa re-
ibus in seruitium dedam. Bona uerba, in-
quit Petrus, mihi uisum est non ut seruias
egibus, sed ut inseruias. Hoc est, inquit ille,
na syllaba plus quàm seruias. At ego sic cẽ
eo, inquit Petrus, quoquo tu nomine rem
ppelles, eam tamen ipsam esse uiam, qua
on alijs modò & priuatim & publicè pos-
s conducere, sed tuam quoq; ipsius condi
ionem reddere feliciorem. Feliciorémne,
nquit Raphael, ea uia facerem, à qua ab-
orret animus? Atqui nunc sic uiuo ut uo-
o, quod ego certè suspicor paucissimis pur
uratorum contingere. Quin satis est eorũ,
qui potentum amicitias ambiunt, ne ma-
nam putes iacturã fieri, si me atq; uno aut
ltero mei similibus sint carituri. Tum ego:
erspicuũ est, inquam, te mi Raphael, neq;
pum esse, neq; potentiæ cupidum, atq; e-
o profectò huius tuæ mentis hominẽ non
inus ueneror ac suspicio, quàm eorum

quemuis, qui maximè rerum sunt potentes. Cæterùm uideberis planè rem te atque isthoc animo tuo tam generoso, tam uerè philosopho dignam facturus, si te ita compares, ut uel cum aliquo priuatim incommodo ingenium tuum atq; industriam publicis rebus accõmodes, quod nunquam tanto cum fructu queas, quanto si à consiliis fueris magno alicui principi, eiq; (quod te facturum certè scio) recta atque honesta persuaseris. nempe à principe bonorũ malorumq; omnium torrens in totum populum, uelut à perenni quodam fonte, promanat. In te uerò tam absoluta doctrina est, ut uel citra magnum rerum usum, porrò tanta rerum peritia, ut sine ulla doctrina, egregium consiliarium cuiuis regum sis præstaturus. Bis erras, inquit ille, mi More, primùm in me, deinde in re ipsa. nam neq; mihi ea est facultas, quam tu tribuis, & si maximè esset, tamen quum ocio meo negocium facesserem, publicam rem nihil promoueã. Primùm enim principes ipsi plerique omnes militaribus studijs (quorum ego neq; peritiam habeo, neq; desidero) libentius occupãtur, quàm bonis pacis artibus: maiusq; multo studium est, quibus modis per fas ac nefas noua sibi regna pariãt, quàm uti parta bene administrent. Præterea quicunq; regibus

gibus à consilio sunt, eorum nemo est qui
non aut uerè tantum sapit, ut non egeat,
aut tantum sibi sapere uidetur, ut non libe-
at alterius probare consilium, nisi quòd ab
surdissimis quibusque dictis assentiuntur
& supparasitantur eorum, quos ut maximè
apud principem gratiæ, student assentatio-
ne demereri sibi. Et certè sic est naturà com-
paratum, ut sua cuiq; inuenta blandiantur.
Sic & coruo suus arridet pullus, & suus si-
miæ catulus placet. Quòd si quis in illo cœ-
tu uel alienis inuidentium, uel præferentiũ
sua, aliquid afferat, quod aut alijs tempori-
bus factum legit, aut alijs fieri locis uidit: i-
bi qui audiunt, perinde agunt, ac si tota sa-
pientiæ suæ periclitaretur opinio, & post il-
la pro stultis planè sint habẽdi, nisi aliquid
sufficiant inuenire, quod in aliorum inuen
tis uertant uitio. Si cætera destituant, tum
huc confugiunt, Hæc nostris, inquiunt, pla
cuere maioribus: quorum prudentiam uti-
nam nos æquaremus. itaq; hoc dicto, uelu-
ti egregiè perorata re, confidunt, tanquam
magnũ sit periculũ, si quis ulla in re depre-
hendatur maioribus suis sapientior. à qui-
bus tamẽ ut quicq; optimè consultũ est, ita
æquissimo animo ualere sinimus. at si qua
de re potuit cõsuli prudentius, eã protinus
ansam cupidè arreptã mordic⁹ retinemus.

Itaq;

ſtaq; in hæc ſuperba, abſurda, ac moroſa iudicia, cùm ſæpe alibi, tum ſemel in Anglia quoq; incidi. Obſecro, inquam, fuiſti apud nos? Fui, inquit, atq; aliquot mẽſes ibi ſum uerſatus non multo poſt eam cladem, qua Anglorum occidentalium ciuile aduerſus regem bellum, miſeranda ipſorum ſtrage compreſſum eſt. Interea multum debui reuerendiſsimo patri Ioanni Morono Cantuarienſi Archiepiſcopo & Cardinali, ac tum quoq; Angliæ Cancellario, uiro, mi Petre (nam Moro cognita ſum narraturus) non autoritate magis quàm prudentia ac uirtute uenerabili. Etenim ſtatura ei mediocris erat, nec ætati quanquam ſeræ cedens: uultus quem reuereare, non horreas. in cõgreſſu non difficilis, ſerius tamen & grauis. libido erat, aſperius interdum compellando ſupplicãtes experiri, ſed ſine noxa, quid ingenij, quam animi præſentiam quiſque præ ſe ferret, qua uelut cognata ſibi uirtute, modò abeſſet impudentia delectabatur, & ut idoneam ad res gerendas amplecteba-
tur. Sermo politus & efficax, Iuris magna peritia, ingenium incomparabile, memoria ad prodigium uſq; excellens. Hæc enim natura egregia diſcendo atq; exercẽdo pro uexit. Huius conſilijs rex plurimùm fidere, multum reſp. niti (quum ego aderam) uidebatur.

debatur. quippe qui ab prima ferè iuuenta
protinus à schola coniectus in aulam, ma-
ximis in negocijs per omnem uersatus æta-
tem, ac uarijs fortunæ æstibus assiduè iacta
tus, prudentiam rerum (quæ sic recepta nō
facile elabitur) multis magnisq; cum peri-
culis didicerat. Fortè fortuna quū die quo-
dam in eius mensa essem, laicus quidam le-
gum uestratiū peritus aderat, is nescio un-
de nactus occasionem, cœpit accuratè lau-
dare rigidam illam iusticiam, quæ tum illic
exercebatur in fures, quos passim narrabat
nonnunquam suspendi uiginti in una cru-
ce, atq; eo uehementius dicebat se mirari,
cum tam pauci elaberentur supplicio: quo
malo fato fieret, uti tam multi tamen ubiq;
grassarentur. Tum ego (ausus enim sum li-
berè apud Cardinalem loqui) Nihil mire-
ris inquam. Nam hæc punitio furum & su-
pra iustum est, & non ex usu publico. Est e-
nim ad uendicanda furta nimis atrox, nec
tamen ad refrenanda sufficiēs. Quippe ne-
que furtum simplex tam ingēs facinus est,
ut capite debeat plecti, neq; ulla pœna est
tāta, ut ab latrocinijs cohibeat eos, qui nul-
lam aliam artem quærendi uictus habent.
Itaque hac in re non uos modò, sed bona
pars huius orbis imitari uidetur malos præ
ceptores, qui discipulos uerberāt libentius,
quàm

De legibus parū æquis.

furtum

Quomodo fiat, ne tam multi sint fures.

quàm docent. Decernuntur enim furanti grauia atq; horrēda supplicia, cum potius multo fuerit prouidendum, uti aliquis esset prouentus uitæ, ne cuiquam tam dira sit furandi primùm, dehinc pereundi necessitas. Est, inquit ille, fatis hoc prouisum: sunt artes mechanicæ, est agricolatio: ex his tueri uitam liceat, ni sponte mali esse mallent. At non sic euades, inquam. Nam primùm omittamus eos, qui sępe uel ab externis bellis, uel ciuilibus mutili redeūt domū, ut nuper apud uos è Cornubiensi prælio, & non ita pridem è Gallico, qui uel Reip. impendunt membra, uel regi, quos neq; pristinas artes exercere debilitas patitur, neque ætas nouam discere. hos inquam omittamus, quando bella per intermissas uices commeant: ea contemplemur, quæ nullo die non

Nobiles.

accidunt. Tantus est ergo nobilium numerus, qui non ipsi modò degant ocioſi, tanquam fuci, laboribus aliorum, quos puta suorum prædiorum colonos augendis reditibus ad uiuum usq; radūt. Nam eam solam frugalitatē nouere, homines alioquin ad mendicitatem usq; prodigi: uerùm immensam quoq; ocioſorū stipatorum turbā circunferunt, qui nullam unquam quærēdi uictus artem didicere. Hi simulatq; herus obierit, aut ipsi ægrotauerint, ejiciuntur illi-

eos

to: nam & ocioſos libẽtius quàm ægrotos
alunt, & ſæpe morientis hæres nõ protinus
alendæ ſufficit paternæ familiæ. interim illi
eſuriunt ſtrenuè, niſi ſtrenuè latrocinentur.
Nam quid faciant? Siquidem ubi errando
paululum ueſtes ac ualetudinem attriuere,
morbo iam ſqualidos, atq; obſitos pannis,
neq; generoſi dignantur accipere, neq; au-
dent ruſtici: non ignari eum, qui molliter e-
ducatus in ocio ac delicijs, ſolitus ſit accin-
ctus acinace ac cetra, totam uiciniam uultu
nebulonico deſpicere, & cõtemnere omnes
præ ſe, haudquaquam idoneũ fore, qui cũ
igone ac marra, maligna mercede, ac uictu
parco, fideliter inſeruiat pauperi. Ad hæc il-
e: Atqui nobis, inquit, hoc hominũ genus
n primis fouendum eſt. in his enim, utpote
hominibus animi magis excelſi ac genero-
ioris, quàm ſunt opifices aut agricolæ, con
iſtunt uires ac robur exercitus, ſi quando
it confligendum bello. Profectò, inquam
go, eadem opera dicas licet, belli gratia fo-
uendos eſſe fures, quibus haud dubiè nun
quàm carebitis, dum habebitis hos. Quin
neque latrones ſunt inſtrenui milites, ne-
que milites ignauiſsimi latronum, adeò in-
ter has artes bellè conuenit. At hoc uitium
tamen frequens eſt uobis, non proprium.
ſt enim omnium ferè gentium commune.

Nam

Nam Gallias infestat alia pręterea pestis pestilentior. Tota patria stipendiarijs in pace quoq; (si illa pax est) oppleta atq; obsessa militibus, eadē persuasione inductis, qua uos ocioſos hic ministros alendos esse cēsui stis: nempe quod Morosophis uisum est, in eo sitam esse publicam salutem, si in promptu semper adsit ualidū firmūq; præsidiū, maximè ueteranorum. neq; enim confidūt inexercitatis quicquam: ut uel ideo quærēdum eis bellum sit, ne imperitos habeant milites, & homines iugulādi gnaros, ne (ut habet facetè Salustius) manus aut animus incipiat per ocium torpescere. At quàm sit pernicioſum huiusmodi beluas alere, & Gallia suo malo didicit, & Romanorum, Carthaginensium, ac Syrorum, tum multarum gentium exempla declarant, quorum omnium non imperium modò, sed agros quoque, atq; adeò urbes ipsas parati ipsorum exercitus alijs atq; alijs occasionibus euerterunt. Quàm uerò non magnopere necessariū, uel hinc eluceſcit, quòd ne Galli quidem milites armis ab unguiculis exercitatissimi cum euocatis comparati uestris, admodum sæpe gloriantur, superiores sese discessisse, ut ne quid dicā amplius, ne præsentibus uidear adblandiri uobis. Sed nec uestri illi uel opifices urbici, uel rudes atq; agrestes

Pernicioſa perpetua militum præsidia.

agreſtes agricolæ, ocioſos generoſorum ſti-
patores creduntur ualde pertimeſcere: niſi
aut hi quibus ad uires atq; audaciam cor-
pus contigit ineptius, aut quorum animi
uis inopia rei familiaris infringitur, adeò
periculum nullum eſt, ne quorum ualida et
robuſta corpora (neq; enim niſi ſelectos di
gnantur generoſi corrumpere) nunc uel e-
langueſcunt ocio, uel negocijs propriè mu-
liebribus emolliuntur, ijdem bonis artibus
inſtructi ad uitam, & uirilibus exercitati la-
boribus effœminentur. Certè utcunq; ſeſe
hæc habet res, illud mihi nequaquam uide
tur publicæ rei conducere, in euentum bel-
li, quod nunquam habetis niſi quum uul-
tis, infinitam eius generis turbã alere, quod
infeſtat pacem, cuius tanto maior haberi ra
tio, quàm belli debeat. Neq; hæc tamen ſola
eſt furandi neceſsitas: eſt alia magis, quan-
tum credo, peculiaris uobis. Quæ nam eſt
ea? inquit Cardinalis. Oues inquã ueſtræ, *Ouium uora*
quæ tam mites eſſe, tamq; exiguo ſolent ali, *citas.*
nunc (uti fertur) tam edaces atq; indomi-
tæ eſſe cœperunt, ut homines deuorent i-
pſos, agros, domos, oppida uaſtẽt ac depo-
pulentur. Nempe quibuſcunque regni par
tibus naſcitur lana tenuior, atque ideo pre
ciоſior, ibi nobiles & generoſi, atque adeò
Abbates aliquot ſancti uiri, non his conten

ti reditibus fructibusq; annuis, qui maiori
bus suis solebant ex prædijs crescere: nec ha
bentes satis, quòd ociosè ac lautè uiuentes,
nihil in publicum prosint, nisi etiã obsint,
aruo nihil relinquunt, omnia claudunt pa-
scuis, demoliuntur domos, diruunt oppi=
da, templo duntaxat stabulandis ouibus re
licto: & tanquam parum soli perderẽt apud
uos, ferarum saltus ac uiuaria, illi boni uiri
habitationes omnes, & quicquid usquam
est culti, uertunt in solitudinem. Ergo ut u=
nus helluo inexplebilis ac dira pestis pa=
triæ, continuatis agris, aliquot millia iuge=
rum uno circundet septo, ejiciuntur coloni
quidam, suis etiam aut circumscripti frau=
de, aut ui oppressi exuuntur, aut fatigati in-
iurijs, adiguntur ad uenditionẽ. Itaq; quo=
quo pacto emigrant miseri, uiri, mulieres,
mariti, uxores, orbi, uiduæ, parentes cũ par
uis liberis, & numerosa magis quàm diuite
familia, ut multis opus habet manibus res
rustica: emigrant, inquam, è notis atq; assue
tis laribus, nec inueniunt quò se recipiant:
supellectilem omnem haud magno uendi=
bilem, etiamsi manere possit emptorẽ, quũ
extrudi necesse est, minimo uenundant. id
quum breui errando insumpserint, quid re
stat aliud deniq;, quàm uti furentur, & pen=
deant iustè scilicet, aut uagentur atq; mendi
cent:

centr quanquã tũ quoq; uelut errones con
ijciuntur in carcerem, quòd ocioſi obam=
bulent, quorum operam nemo eſt qui con=
ducat, quum illi cupidiſſimè offerãt. Nam
ruſticæ rei cui aſſueuerunt, nihil eſt quod a=
gatur, ubi nihil ſeritur. Siquidem unus opi
lio atq; bubulcus ſufficit ei terræ depaſcen=
dæ pecoribus, in cuius cultum, ut ſementi
faciendæ ſufficeret, multæ poſcebantur ma=
nus. Atq; hac ratione fit, ut multis in locis
annona multo ſit carior. Quin lanarũ quo= *Lanæ caritas unde.*
que adeò increuit precium, ut â tenuiori=
bus, qui pannos inde ſolent apud uos con=
ficere, prorſus emi non poſsint: atq; ea ra=
tione plures ab opere ablegantur in ociũ.
Nam poſt aucta paſcua infinitam ouium
uim abſumpſit tabes: uelut eorum cupidi=
tatem ulciſcente Deo, immiſſa in oues lue,
quam in ipſorum capita contortam eſſe fue
rat iuſtius. Quòd ſi maximè increſcat ouiũ
numerus, precio nihil decreſcit tamẽ. quod
earum ſi monopolium appellari non po=
teſt quod non ũnus uendit, certè oligo=
polium eſt. Reciderunt enim ferè in ma=
nus paucorum, eorũdemq; diuitum, quos
nulla neceſsitas urget antè uendẽdi quàm
libet, nec antè libet quàm liceat quanti li=
bet. Iam cætera quoque pecorum genera,
utæquè cara ſint, eadem ratio eſt: atq; hoc

etiam amplius, quòd dirutis uillis, atq; imminuta re ruſtica, non ſint qui fœturã curent. Neq; enim diuites illi, ut ouium, ſic etiam armentorum fœtus éducant: ſed aliunde macra empta uili, poſteaquam ſuis paſcuis pinguerint, magno reuendũt. Ideoq;, ſicuti reor, nondum ſentitur totum huius rei incommodum. Nempe adhuc his modò locis reddũt chara, ubi uendunt. cæterũ ubi aliquandiu celerius extulerint illinc, quàm naſci poſsint, tum demum ibi quoq; paulatim decreſcente copia, ubi coemuntur, neceſſe eſt hic inſigni laboretur inopia. Ita qua re uel maximè felix hæc ueſtra uidebatur inſula, iam ipſam paucorum improba cupiditas uertit in perniciem. Nam hæc annonæ charitas in cauſa eſt, cur quiſque quàm poſsit plurimos è familia dimittat, quò quæſo niſi mendicatum, aut, quod generoſis animis perſuadeas facilius, latrocinatum? Quid quòd ad miſerã hanc egeſtatem atq; inopiam adiungitur importuna luxuries? Nam & miniſtris nobilium, & opificibus, & ipſis propemodũ ruſticis, & omnibus denicq; ordinibus, multum eſt inſolentis apparatus in ueſtibus, nimius in uictu luxus. Iã ganea, luſtra, lupanar, & aliud lupanar tabernæ uinariæ, ceruiſiarię: poſtremò tot improbi ludi, alea, charta, fritill⁹, pila, ſphæ-

Luxus.

la,ſphæra,diſcus:an nõ hæc celeriter exhau ſta pecunia, rectà ſuos myſtas mittunt ali quò latrocinatum? Has pernicioſas peſtes eijcite:ſtatuite, ut uillas atq; oppida ruſtica, aut hi reſtituant qui diruêre, aut ea cedant repoſituris,atq; ædificare uolentibus.refre nate coemptiones iſtas diuitũ,ac uelut mo nopolij exercendi licẽtiam.pauciores alan tur ocio:reddatur agricolatio: lanificiũ in ſtauretur,ut ſit honeſtum negocium,quo ſe utiliter exerceat ocioſa iſta turba, uel quos hactenus inopia fures fecit,uel qui nunc er rones,aut ocioſi ſunt miniſtri,fures nimirũ utriq; futuri. Certè niſi his malis medemi ni,fruſtra iactetis exercitam in uindicanda furta iuſticiam, nempe ſpecioſam magis, quàm aut iuſtam aut utilem. Siquidẽ quũ peſsimè ſinitis educari, & mores paulatim ab teneris annis corrumpi,puniẽdos uide licet,tum demum quum ea flagitia uiri deſi gnent, quorum ſpem de ſe perpetuã à pue ritia uſque præbuerant: quid aliud quæſo quàm facitis fures, & ijdẽ plectitis? Iam me hæc loquente iuris ille conſultus interim ſe ad dicendum compoſuerat, ac ſtatuerat ſe cum,modo illo ſolenni diſputantiũ uti,qui diligentius repetunt quàm reſpondent: a deò bonam partem laudis ponũt in memo ria. Bellè,inquit, dixiſti profectò, quum ſis

Diſputantiũ mores.

uidelicet hoſpes, qui magis audire his de rebus aliquid potueris, quàm exactè quicquam cognoſcere: id quod ego paucis efficiam perſpicuum. Nam primùm ordine recenſebo, quæ tu dixiſti: deinde oſtendam, quibus in rebus impoſuit tibi noſtrarum rerum ignoratio: poſtremò rationes tuas omnes diluam atq; diſſoluam. Igitur ut à primo quod ſum pollicitus, exordiar, quatuor mihi uiſus es. Tace, inquit Cardinalis. nam haud reſponſurus paucis uideris, qui ſic incipias. Quamobrẽ leuabimus in præſenti te hac reſpondendi moleſtia, ſeruaturi tamen integrum id munus tibi in proximũ congreſſum ueſtrum: quem (niſi quid impediat, aut te, aut Raphaelem hunc) craſtinus dies uelim referat. Sed interim abs te mi Raphael, perquàm libenter audierim, quare tu furtum putes ultimo ſupplicio nõ puniẽdum, quamúe aliam pœnam ipſe ſtatuas, quæ magis conducat in publicũ. nam tolerandum ne tu quidem ſentis. At ſi nunc per mortem quoq;, tamen in furtum ruitur, propoſita ſemel uitæ ſecuritate, quę uis, quis metus poſſet abſterrere maleficos: qui mitigatione ſupplicij, uelut præmio quodã ad maleficium ſe inuitatos interpretarentur? Omnino mihi uidetur, inquam, pater benigniſsime, homini uitam eripi propter ereptam

Mos Cardinali familiaris, interpellandi ſi quis loquacius ageret.

ereptam pecuniam, prorsus iniqtium esse. Siquidem cum humana uita ne omnibus quidem fortunæ possessionibus paria fieri posse arbitror. Quòd si læsam iusticiam, si leges uiolatas, hac rependi pœna dicant, haud pecuniam: quidni meritò summum illud ius, summa uocetur iniuria? Nam neque legum probanda sunt tam Manliana imperia, ut sicubi in leuissimis parum obtemperetur, illicò stringant gladium: neq; tam Stoica scita, ut omnia peccata adeò existiment paria, uti nihil iudicent interesse, occidat'ne aliquis hominem, an nummum ei surripiat: inter quæ (si quicquam æquitas ualet) nihil omnino simile aut affine Deus uetuit occidi quenquam: & nos tam facilè occidimus ob ademptam pecuniolam? Quòd si quis interpretetur, illo Dei iussu interdictam necis potestatem, nisi quatenus humana lex declaret occidendum: quid obstat quo minus homines eodem modo constituant inter se, quatenus stuprum admittendum sit, adulterandum, peierandũ? Siquidem quũ Deus nõ alienæ modò, uerumetiam suæ cuiq; mortis ius ademerit, si hominum inter se cõsensus, de mutua cæde certis placitis consentientium, adeò debet ualere, ut illius præcepti uinculis eximat suos satellites, qui sine ullo exẽplo Dei eos

Manliana imperia.

interemerint, quos humana sanctio iussit occidi: an non hoc pacto præceptum illud Dei tantum iuris est habiturum, quantum humana iura permiserint? ac fiet nimirum, ut ad eundem modum omnibus in rebus statuant homines, quatenus diuina mandata conueniat obseruari. Denicꝙ lex Mosaica, quanquam inclemens & aspera, nempe in seruos, & quidem obstinatos lata: tamen pecunia furtum, haud morte mulctauit. Ne putemus Deum in noua lege clemẽtiæ, qua pater imperat filijs, maiorem indulsisse nobis inuicem sæuiendi licentiam. Hęc sunt cur non licere putem. Quàm uerò sit absurdum, atꝙ etiam pernicioſum reipub. furem atꝙ homicidam ex æquo puniri, nemo est, opinor, qui nesciat. Nempe quum latro conspiciat non minus imminere discriminis duntaxat furti damnato, quàm si præterea conuincatur homicidij, hac una cogitatione impellitur in cædem eius, quẽ alioqui fuerat tantum spoliaturus: quippe præterquam quòd deprehẽso nihil sit plus periculi, est etiã in cæde securitas maior, & maior cælandi spes sublato facinoris indice. Itaꝙ dũ fures nimis atrociter studemus perterrefacere, in bonorum incitamus pernicieẽ. Iã quod quæri solet, quæ punitio possit esse commodior: hoc meo iudicio haud

Lex Mosaica.

Furib. quæ pœna conueniat.

paulo

paulo facilius est repertu, quàm quæ possit esse deterior. Cur enim dubitemus, eã uiam utilem esse castigandis sceleribus, quam scimus olim tam diu placuisse Romanis, administrandæ reipub. peritissimis? Nempe hi magnorum facinorum conuictos in lapidicinas, atq; fodienda metalla damnabant, perpetuis adseruandos uinculis. Quãquam ego quod ad hanc rem attinet, nullius institutum gentis magis probo, quàm id quod interea dum peregrinabar, in Persida obseruatum apud uulgo dictos Polyleritas, adnotaui, populum neque exiguum, neq; imprudẽter institutum, & nisi quod tributum quotannis Persarum pendit regi, cæterà liberum ac suis permissum legibus. Cæterùm quoniam longè ab mari, montibus ferè circundati, & suæ terræ nulla in re malignè contenti fructibus, neque adeũt alios sæpe, neque adeuntur: tamen ex uetusto more gentis, neque fines prorogare student, & quos habent ab omni facilè iniuria ut montes tuentur, & pẽsio quam rerum potienti persoluunt, immunes prorsus ab militia, haud perinde splendidè, atque commodè, felicesq; magis quàm nobiles, aut clari degũt. quippe ne nomine quidem opinor, præterquàm conterminis admodum satis noti. Ergo apud hos furti qui peraguntur, quod

Resp. Polyleritarum apud Persas.

Annotandũ nobis qui secus facimus.

sustulere domino reddunt, non, quod alibi fieri solet, principi: utpote cui tantum iuris esse censent in rem furtiuam, quantum ipsi furi. Sin res perierit, precio ex bonis furum confecto ac persoluto, tum reliquo uxoribus eorum atque liberis integro, ipsi damnantur in opera: ac nisi atrociter cõmissum furtum est, neq; clauduntur ergastulo, neq; gestant cõpedes, sed liberi ac soluti in publicis occupantur operibus. detrectantes ac languidius gerentes sese, non tam uinculis cohercent, quàm excitant uerberibus. strenuam nauantes operam absunt à contumelijs, noctu tantum nominatim censiti cubiculis includuntur. præter assiduum laborẽ nihil incommodi est in uita. Aluntur enim haud duriter qui publicæ rei seruiunt, è publico. alibi aliter. Siquidem alicubi, quod impẽditur in eos, ex eleemosyna colligitur, atq; ea uia quanquam incerta: tamen ut est ille populus misericors, nulla reperitur uberior. Alibi reditus quidã publici ad id destinantur. Est ubi certum in eos usus tributum uiritim cõferunt. Quin aliquot in locis nullum publicum opus faciũt, sed ut priuatus quisq; eget mercenarijs, ita illorũ cuiuspiã in eum diem operam, stata mercede conducit apud eorum, paulo minoris quàm quanti liberam fuerat conducturus: præterea fas

est

ſt ſeruilem ignauiam flagris corripere. Sic
it, uti nunquam opere careant: & præter ui-
ſtum aliquid quoque die ab ſingulis publi
co inferatur ærario. Vno quodam colore ue
ſtiuntur & omnes & ſoli, capillo non abra-
ſo, uerùm paulo ſupra auriculas attonſo, è
quarum altera paululum præſcinditur. Ci-
bũ cuiq; ab amicis dari, potumq; ac ſui co-
loris ueſtem, licet pecuniam datam eſſe, dan
ti pariter atque accipienti capitale: neq; mi-
nus periculoſum etiam homini libero qua-
cunque de cauſa nummum à damnato re-
cepiſſe, & ſeruos item (ſic enim damnatos
uocant) arma contingere. Suos quæque re-
gio propria diſtinguit nota, quam abiecis-
ſe capitale eſt: ut uel extra ſuos conſpici fi-
nes, uel cum alterius regionis ſeruo quic-
quam eſſe collocutum. At neque tutior fu-
gæ meditatio, quàm ipſa eſt fuga. Quin con
ſcium talis fuiſſe conſilij, in ſeruo nex eſt, in
libero ſeruitus. Contrà indici præmia de-
creta ſunt, libero pecunia, ſeruo libertas,
utrique uerò uenia atque impunitas con-
ſcientiæ: ne quando perſequi malum con-
ſilium quàm pœnitere ſit tutius Huius rei
hæc lex atque hic ordo eſt, quem dixi, qui
quantum habeat humanitatis & commo-
di, facilè patet: quando ſic iraſcitur, ut ui-
tia perimat ſeruatis hominibus, atque ita
tractatis

*At idem ho-
die famuli
nobiliũ pul-
chrum ſibi
ducunt.*

tractatis, ut bonos esse necesse sit: & quãtum antè damni dederunt, tantum reliqua uita resarciant. Porrò ne ad pristinos relabantur mores, adeò nullus est metus, ut uiatores quoq; quibus iter aliquò institutum est, nõ alijs uiæ ducibus sese tutioreis arbitrentur, quàm seruis illis ad quamcq; regionem subinde commutatis. Nempe ad perpetrandũ latrocinium nihil habent usquam non importunum: manus inermes: pecunia tantum sceleris index: deprehenso parata uindicta, neq; spes ulla prorsus fugiendi quôquam. Quo enim pacto falleret ac tegeret fugam, homo nulla uestium parte populo similis: nisi abeat nudus? quin sic quoque fugientem proderet auricula. At ne inito saltem consilio coniurent in remp. id demum scilicet periculum est, quasi in tantam uenire spem ulla possit uicinia, nõ tentatis ac solicitatis antè multarum regionum seruitijs, quę tantum absunt à facultate conspirandi, ut ne conuenire quidem & colloqui aut salutare se mutuò liceat: ut credantur interim id consilium intrepidè crediturí suis, quod reticentibus periculosum, prodẽtibus maximo esse bono sciant. Quum cõtrà nemo sit prorsus expes, obediendo ac perferendo, bonamq; de se præbendo spem, emẽdatioris in posterum uitæ, posse his modis fieri,

ut

t libertatem aliquando recuperet, quippe
ullo non anno restitutis aliquot, commen
atione patientiæ. Hæc quum dixissem, atq;
diecissem, nihil mihi uideri causæ, quare
on hic modus haberi uel in Anglia possit,
nulto maiore cum fructu, quàm illa iusti-
ia, quam iuris ille peritus tantopere lauda
uerat. Sub hæc ille, nempe iureconsultus:
Nunquam, inquit, istud sic stabiliri queat
n Anglia, ut non in summum discrimẽ ad-
ducat remp. & simul hæc dicens, commouit
caput, ac distorsit labrum, atque ita conticu
it. Et omnes qui aderant, pedibus in eius
bant sententiam. Tum Cardinalis: Non
est, inquit, procliue diuinare, commo-
de ne an secus res cessura sit, nullo prorsus
facto periculo. Verùm si pronunciata mor-
tis sententia differri executionem iubeat
princeps, atque hunc experiatur morem,
cohibitis asylorum priuilegijs: tum uerò si
res comprobetur euentu esse utilis, rectum
fuerit eam stabiliri: alioqui tunc quoq; affi-
cere supplicio eos, qui sunt antè damnati,
neq; minus è rep. fuerit, neq; magis iniustũ,
quàm si nunc idem fieret, nec ullum interea
nasci ex ea re potest periculum. Quin mihi
certè uidentur errones quoq; ad eundem
posse modum nõ pessimè tractari, in quos
hactenus tã multis æditis legibus, nihil pro-
mouimus

mouimus tamen. Hæc ubi dixit Cardinalis, quæ me narrante contempserãt omnes, eadem nemo non certatim laudibus est prosequutus, maximè tamen illud de erronibus, quoniam hoc ab ipso adiectum est. Nescio an quæ sunt secuta, silere præstiterit. erant enim ridicula: sed narrabo tamen. nam non erant mala, & aliquid ad hanc rem pertinebant. Adstabat fortè parasitus quidam, qui uideri uolebat imitari morionem, sed ita simulabat, ut propior uero esset, tam frigidis dictis captans risum, ut ipse sæpius, quàm dicta sua, rideretur. Excidebant homini tamen interdum quædam, adeò non absurda, ut fidem adagio facerent, Crebro iactu iaci aliquando Venerem. Is ergo, dicente quodam è conuiuis: Iam meo sermone bene prouisum esse furibus, atque à Cardinale etiam cautum de erronibus, restare nunc uti his præterea consuleret publicitùs: quos ad egestatem morbus aut senectus impulisset, atque ad labores unde uiui possit, reddidisset impotes. Sine, inquit, me. nam ego & hoc rectè ut fiat, uidero. Etenim hoc genus hominum miserè cupio aliquò è conspectu amoliri meo: ita me malè uexarunt sæpe, cũ querulis illis opplorationibus flagitarent pecuniam, quas nunquam tamen tam commodè potuerunt occinere, ut nummũ à me extor-

Festiuus dialogus fratris et morionis.

Egenis quomodo succurrendum.

xtorquerent. Quippe ſemper alterum eue-
it, ut aut non libeat dare, aut ne liceat qui-
em, quando nihil eſt quod detur. Itaque
unc cœperunt ſapere. nam ne perdant o-
eram, ubi me præterire uident, prætermit-
unt taciti: ita nihil à me ſperant amplius,
on herculè magis, quàm ſi eſſem ſacerdos.
ed illos ego mendicos omnes lata lege di- *Prouerbiũ.*
ribui ac diſpartiri iubeo in Benedictinorũ
œnobia, & fieri laicos, ut uocant, mona-
hos: mulieres moniales eſſe impero. Sub-
iſit Cardinalis & approbat ioco, cęteri etiã
eriò. Cæterùm Theologus quidam frater
oc dicto in ſacerdotes ac monachos adeò
ſt exhilaratus, ut iam ipſe quoq; cœperit lu
ere, homo alioqui propriè ad toruitatem
rauis. At ne ſic quidem, inquit, extricabe-
is à mẽdicis, niſi nobis quoq; proſpexeris
ratribus. Atqui, inquit paraſitus, hoc iã cu-
atum eſt. Nã Cardinalis egregiè proſpexit *Errones.*
obis, cum ſtatueret de coercendis atq; ope
e exercendis erronibus. Nam uos eſtis er-
ones maximi. Hoc quoque dictum, quum
oniectis in Cardinalem oculis, eũ uiderent
on abnuere, cœperunt omnes non illiben
er arripere, excepto fratre. Nam is (neque
quidem miror) tali perfuſus aceto, ſic indi-
gnatus eſt, atque incanduit, ut nec à conui-
ijs quidem potuerit temperare: hominem
uocauit

uocauit nebulonem, detractorem, ſuſurronem, & filium perditionis, minas interim terribiles citans è ſcriptura ſacra. Iam ſcurra ſeriò ſcurrari cœpit, & erat planè in ſua palæſtra. Noli, inquit, iraſci bone frater. ſcriptũ eſt, In patientia ueſtra poſsidebitis animas ueſtras. Rurſum frater (referam enim ipſius uerba) Non iraſcor, inquit, furcifer, uel ſaltem non pecco. Nam Pſalmiſta dicit, Iraſcimini, & nolite peccare. Admonitus deinde frater à Cardinale ſuauiter, ut ſuos affectus compeſceret: Non domine, inquit, ego loquor niſi ex bono zelo, ſicut debeo. Nam uiri ſancti habuerunt bonum zelum. unde dicitur, Zelus domus tuæ comedit me. & canitur in eccleſiis, Irriſores Helizei, dũ conſcendit domum Dei, zelus calui ſentiũt: ſicut fortaſſe ſentiet iſte deriſor, ſcurra, ribaldus. Facis, inquit Cardinalis, bono fortaſſis affectu, ſed mihi uideris facturus, neſcio an ſanctius, certè ſapientius, ſi te ita compares, ne cum homine ſtulto & ridiculo ridiculum tibi certamen inſtituas. Non domine, inquit, non facerem ſapientius. Nam Solomon ipſe ſapientiſsimus dicit: Reſpõde ſtulto ſecundum ſtultitiam eius. ſicut ego nunc facio, & demonſtro ei foueam in quam cadet, niſi bene præcaueat. Nam ſi multi irriſores Helizei, qui erat tantũ unus caluus, ſenſerunt

Vt ſeruat de corũ in narratione?

Frater, zelus abutitur neutro genere.

ſerunt zelus calui: quanto magis ſentiet u=
nus deriſor multorum fratrum, in quibus
ſunt multi caluiſ & etiam habemus bullam
Papalẽ, per quam omnes qui derident nos,
ſunt excommunicati. Cardinalis, ubi uidit
nullum fieri finem, nutu ablegato paraſito,
ac aliam in rem commodùm uerſo ſermo=
ne, paulo pòſt ſurgit è menſa, atq; audiẽdis
cliẽtum negocijs dedit ſe, nosq; dimiſit. En
mi More, quàm longo te ſermone onerauí:
quod tam diu facere planè puduiſſet me, ni
ĩ tu & cupidè flagitaſſes, & ſic uidereris au=
dire, tanquam nolles quicquam eius confa
bulationis omitti. quæ quanquam aliquan
to perſtrictius, narranda tamẽ mihi fuit om
nino, propter eorum iudicium, qui quæ me
dicente ſpreuerant, eadem rurſus ueſtigiò
non improbante Cardinale, etiam ipſi com
probarunt, uſq; adeò aſſentantes ei, ut para
ti quoq; eius inuentis, quæ dominus per
ocum non aſpernabatur, adblandirentur,
& ſeriò propemodum admitterent: ut hinc
poſsis æſtimare, quanti me ac mea conſilia
ulici forent æſtimaturi. Profectò, mi Rapha
l, inquã, magna me affeciſti uoluptate, ita
unt abs te dicta prudenter ſimul & lepidè
mnia: praterea uiſus mihi interim ſum nõ
olùm in patria uerſari, uerumetiam repue=
aſcere quodammodo iucũda recordatio=

ne Cardinalis illius, in cuius aula puer fum educatus: cuius uiri memoriæ quòd tu tam impenſè faues, nõ credas mi Raphael, quanto mihi ſis effectus hoc nomine charior, cũ eſſes alioqui chariſsimus. Cæterùm nõ poſſum adhuc ullo pacto meam demutare ſententiam, quin planè putem, ſi animum inducas tuum, uti ne ab aulis principum abhorreas, in publicum poſſe te tuis conſilijs plurimum boni conferre: quare nihil magis incumbit tuo, hoc eſt, boni uiri officio. Siquidem cum tuus cenſeat Plato, reſp. ita demũ futuras eſſe felices, ſi aut regnent philoſophi, aut reges philoſophentur: quàm procul aberit felicitas, ſi philoſophi regibus nec dignentur ſaltem ſuũ impertiri conſilium? Non ſunt, inquit ille, tã ingrati, quin id libenter facerent, imò multi libris æditis iam fecerunt, ſi hi qui rerum potiuntur, eſſent parati bene conſultis parére. Sed bene hauddubiè præuidit Plato, niſi reges philoſophentur ipſi, nunquam futurum, ut peruerſis opinionibus à pueris imbuti àtq; infecti, penitus philoſophantium comprobẽt cõſilia: quod ipſe quoq; experiebatur apud Dionyſium. An non me putas, ſi apud aliquem regum decreta ſana proponerem, & pernitioſa malorũ ſemina conarer illi euellere, protinus aut eĳciendum, aut habendũ ludibrio?

ludibrio? Age finge, me apud regẽ esse Gallorum, atq; in eius considere consilio, dũ in secretissimo secessu præsidente rege ipso in corona prudentissimorum hominum magnis agitur studijs, quibus artibus ac machinamentis Mediolanum retineat, ac fugitiuam illã Neapolim ad se retrahat: postea uerò euertat Venetos, ac totam Italiam subijciat sibi: deinde Flandros, Brabantos, totã postremò Burgundiam suæ faciat ditionis, atq; alias præterea gentes, quarum regnum iam olim animo inuasit. Hic dum alius suadet, feriendum cum Venetis fœdus tãtisper duraturum, dum ipsis fuerit commodum, cum illis communicandum cõsilium: quin deponẽdam quoq; apud eosdem aliquam prædę partem, quam rebus ex sententia peractis repetat. dum alius consulit conducendos Germanos, alius pecunia demulcẽdos Eluetios, alius aduersum numen Imperatoriæ maiestatis, auro, uelut anathemate, propitiandum. dum alij uidetur, cum Arragonum rege componendas esse res, & alieno Nauariæ regno, uelut pacis autoramento cedendum. Alius interim censet, Castelliæ principem aliqua spe affinitatis irretiendum, atq; aulicos nobiles aliquot in suam factionem certa pensione esse pertrahendos. dum maximus omnium nodus occurrit,

rit, quid ſtatuendum interim de Anglia ſit: cæterùm de pace tractandum tamen, & conſtringenda firmiſsimis uinculis ſemper infirma ſocietas: amici uocentur, ſuſpiciantur ut inimici. Habendos igitur paratos, uelut in ſtatione, Scotos, ad omnem intentos occaſionem: ſi quid ſe commoueant Angli, protinus immittendos. ad hæc fouendum exulem nobilem aliquem occultè. namque id apertè ne fiat, prohibent fœdera, qui id regnum ſibi deberi contendat, ut ea uelut anſa contineat ſuſpectum ſibi principẽ. Hic, inquam, in tanto rerum molimine, tot egregijs uiris ad bellum ſua certatim cõſilia conferentibus, ſi ego homuncio ſurgam, ac uerti iubeam uela, omittendam Italiam cenſeã, & domi dicam eſſe manendum: unum Galliæ regnum ferè maius eſſe, quàm ut commodè poſsit ab uno adminiſtrari, ne ſibi putet rex de alijs adijciendis eſſe cogitandum. Tum ſi illis proponerẽ decreta Achoriorum populi, Vtopienſium inſulæ ad Euronoton oppoſiti, qui quum olim bellũ geſſiſſent, ut regi ſuo aliud obtinerent regnum, quod affinitatis antiquæ cauſa ſibi contendebat hæreditate deberi: conſecuti tandem id, ubi uiderũt nihilo ſibi minus eſſe moleſtiæ in retinendo, quàm in quærendo, pertulerunt: uerùm aſsidua pullulare ſemina, uel internæ

Exemplũ annotandum.

internæ rebellionis, uel externæ incursionis in deditos, ita semper aut pro illis, aut contra pugnandum, nūquam dari facultatem dimittendi exercitus: compilari interim se, efferri foras pecuniam, alienæ gloriolæ suū impendi sanguinem, pacem nihilo tutiorē, domi corruptos bello mores, imbibitam latrocinandi libidinem, cōfirmatam cædibus audaciam, leges esse contemptui, quòd rex in duorum curam regnorum distractus, minus in utrumuis animum posset intendere. *Belli incommoda.*

Quum uiderent alioqui tantis malis nullum finem fore, inito tandem consilio, regi suo humanissimè fecerunt optionem retinendi utrius regni uellet. nam utriusq; non fore potestatem, se plures esse quàm qui à dimidiato possint rege gubernari: quū nemo sit libenter admissurus mulionem sibi cum alio communem. Ita coactus est ille bonus princeps, nouo regno cuipiam ex amicis relicto (qui breui etiam pòst eiectus est) antiquo esse contentus. Præterea si ostenderem, omnes hos conatus bellorum, quibus totæ nationes eius causa tumultuarentur, quum thesauros eius exhausissent, ac destruxissent populum, aliqua tandem fortuna, frustra cessuros tamen: proinde auitum regnū coleret, ornaret quantum posset, & faceret quàm florentissimum: amet suos, & ametur

à ſuis: cum his unà uiuat, imperetq; ſuauiter, atque alia regna ualere ſinat, quando id quod nunc ei contigiſſet, ſatis amplum ſuperq; eſſet. Hanc orationẽ quibus auribus, mi More, putas excipiendam? Profectò non ualde pronis, inquam. Pergamus ergo, inquit. Si cõſiliarijs cũ rege quopiam tractantibus, & comminiſcentibus, quibus technis ei queant coaceruare theſauros, dum unus intendendam conſulit æſtimationem monetæ, quum ipſi ſit eroganda pecunia: deijciendam rurſus infra iuſtum, quum fuerit corroganda: uti & multum æris paruo diſſoluat, & pro paruo multum recipiat. dum alius ſuadet, ut bellum ſimulet, atq; eo prætextu coacta pecunia, cum uiſum erit faciat pacem ſanctis ceremonijs, quo plebeculę oculis fiat pręſtigium, miſeratus uidelicet humanum ſanguinem princeps pius. dum alius ei ſuggerit in mentem, antiquas quaſdã, & tineis adeſas leges, lõga deſuetudine antiquatas, quas quòd nemo latas meminiſſet, omnes ſint tranſgreſsi, carum ergo mulctas iubeat exigi, nullum uberiorem prouẽtum eſſe, nullum magis honorificũ, utpote qui iuſticiæ præ ſe perſonam ferat. dum ab alio admonetur, uti ſub magnis mulctis multa prohibeat, maximè talia, quæ ne fiant, in rẽ ſit populi, pòſt pecunia cum illis diſpenſet, quorum

Technæ regum conſiliariorum.

quorum commodis obstat interdictum: sic & à populo gratiam iniri, & duplex adferri compendium, uel dum hi mulctãtur, quos quæstus cupiditas pellexit in casses, uel dũ alijs uendit priuilegia tanto pluris, quanto scilicet fuerit melior princeps, utpote qui grauatim quicquam contra populi cõmodum priuato cuiquam indulgeat, & ob id non nisi magno precio. dum alius ei persuadet, obstringendos sibi iudices, qui quauis in re pro regio iure disceptent, accersendos præterea in palatium, atq; inuitãdos uti coram se de suis rebus differant; ita nullã causam eius tã apertè iniquam fore, in qua nõ aliquis eorum uel contradicendi studio, uel pudore dicendi eadẽ, uel quo gratiã ineant, apud eum aliquam reperiant rimã, qua possit intendi calumnia. Sic dum iudicibus diuersa sentientibus res per se clarissima disputatur, & ueritas in quęstionem uenit, ansam commodùm regi dari, pro suo commodo ius interpretãdi: cæteros aut pudore accessuros, aut metu: sic intrepidè ferẽt postea pro tribunali sententia. Neq; eñ deesse prætextus potest pronuncianti pro principe. Nempe cui satis est, aut æquitatẽ à sua parte esse, aut uerba legis, aut contortũ scripti sensum, aut, quæ legibus denicq; omnibus præponderat apud religiosos iudices, principis

Craſſi dictũ.

indiſputabilem prærogatiuam. Dum omnes in Craſsiano illo conſentiunt atq; conſpirant, Nullam auri uim ſatis eſſe principi, cui ſit alendus exercitus: præterea nihil iniuſtè regem facere, ut maximè etiam uelit, poſſe. quippe omnia omnium eius eſſe, ut homines etiam ipſos: tantum uerò cuiq; eſſe proprium, quantum regis benignitas ei non ademerit. quod ipſum ut quàm minimum ſit, principis multum referre, ut cuius tutamentum in eo ſitum ſit, ne populus diuitijs ac libertate laſciuiat: quòd hæres minus patienter ferant dura atque iniuſta imperia, quum contrà egeſtas atque inopia retundat animos, ac patientes reddat, adimatq; preſsis generoſos rebellãdi ſpiritus. Hic ſi ego rurſus adſurgens cõtendam, hæc conſilia omnia regi & inhoneſta eſſe, & pernicioſa, cuius non honor modò, ſed ſecuritas quoque in populi magis opibus ſita ſit, quàm ſuis. quos ſi oſtendam, regem ſibi deligere ſua cauſa, non regis, uidelicet uti eius labore ac ſtudio ipſi cõmodè uiuant, tutiq; ab iniurijs, eoq; magis ad principem eã pertinere curam, ut populo bene ſit ſuo, quàm ut ſibi: non aliter ac paſtoris officium eſt, oues potius quàm ſemet paſcere, quatenus opilio eſt. Nam quòd populi egeſtatẽ cẽſeãt pacis præſidium eſſe, longiſsimè aberrare eos,

os, ipsa res docet. Nempe ubi plus rixarū
omperias, quàm inter mendicos? Quis in
entius mutationi rerum studet, quàm cui
minimè placet præsens uitæ status? Aut cui
leniq; audacior impetus ad conturbanda
mnia, spe alicunde lucrādi, quàm cui iam
ihil est quod possit perdere? Quòd si rex
liquis adeò aut contemptus esset, aut inui
us suis, ut aliter eos continere in officio nō
ossit, nisi contumelijs, compilatione, & se-
tione grassetur, eosq; redigat ad mendici-
atem: præstiterit illi profectò regno abdica
e, quàm his retinere artibus, quibus quā-
quā imperij nomē retineat, certè amittit ma
estatem. Neq; enim regiæ dignitatis est, im
erium in mendicos exercere, sed in opulē-
os potius atq; felices. Quod ipsum sensit
ertè uir erecti ac sublimis animi Fabricius, *Fabricij dictum.*
um responderet, Malle se imperare diuiti-
us, quàm diuitem esse. Et profectò unum
liquem uoluptate ac delicijs fluere, gemen
bus undiq; ac lamentantibus alijs, hoc
on est regni, sed carceris esse custodem. De
ique ut imperitissimus medicus est, qui
norbū nescit nisi morbo curare: ita qui ui-
am ciuium non nouit alia uia corrigere,
quàm ademptis uitæ cōmodis, is se nescire
ateatur imperare liberis, quin aut inertiam
otius mutet suā, aut superbiam. nam his se

rẽ uitijs accidit, ut populus eum uel cõtemnat, uel habeat odio. Viuat innocuus de suo, sumptus ad reditus accommodet, refrenet maleficia, & recta institutione suorum præueniat potius, quàm sinat increscere, quæ deinde puniat. leges abrogatas cõsuetudine, haud temerè reuocet, præsertim quę diu desitæ, nunquam desideratæ sunt. neq; unquam comissi nomine eiusmodi quicquam capiat, quale priuatum quempiam iudex, uelut iniquum ac uafrum non paretur accipere. Hic si proponerem illis Macarensium legem, qui & ipsi non longè admodum absunt ab Vtopia, quorũ rex, quo primùm die auspicatur imperium, magnis adhibitis sacrificijs, iurijurãdo astringitur, nunquam se uno tempore supra mille auri pondo in thesauris habiturum, aut argenti, quantum eius auri precium æquet. Hanc legem ferũt ab optimo quodam rege institutam, cui maiori curæ fuit patrię commodũ, quàm diuitiæ suæ, uelut obicem aceruandæ pecuniæ tantæ, quanta faceret inopiam eius in populo. Nempe eum thesaurum uidebat suffecturum, siue regi aduersus rebelleis, siue regno aduersus hostium incursiones esset confligendum: cæterùm minorem esse, quàm ut animos faciat inuadendi aliena. quæ potissima cõdendæ legis causa fuit.

Mira lex Macarensiũ.

Pro-

roxima, quòd sic prospectum putauit, ne
esit pecunia, quæ in quotidiana ciuiũ cõ-
nutatione uersetur: & quum regi necesse est
rogare, quicquid thesauro supra legitimũ
ccreuerit modum, non quæsiturum cen-
uit occasiones iniuriæ. Talis rex & malis e-
it formidini, & à bonis amabitur. Hæc er-
o atq; huiusmodi si ingererem apud ho-
nines, in contrariam partem uehementer
nclinatos, quàm surdis essem narraturus
abulam? Surdissimis, inquam, hauddu-
piè. neq; hercule miror, neq; mihi uiden-
ur (ut uerè dicam) huiusmodi sermones
ngerendi, aut talia danda consilia, quæ cer
us sis, nunquam admissum iri. Quid enim
prodesse possit, aut quomodo in illorũ pe-
ctus influere sermo tã insolẽs, quorũ præoc
cupauit animos, atq; insedit penitus diuer-
sa psuasio? Apud amiculos in familiari col-
loquio non insuauis est hæc philosophia
scholastica. Cæterùm in cõsilijs principũ, u-
bi res magnæ magna autoritate agũtur, nõ
est his rebus locus. Hoc est, inquit ille, quod
dicebã, nõ esse apud principes locũ philoso
phiæ. Imò, inquã, est, uerũ nõ huic scholasti *Philosophiæ*
cæ, quæ quiduis putet ubiuis cõuenire: sed *duplex.*
est alia philosophia ciuilior, quæ suã nouit
scenã, eiq; sese accõmodãs, in ea fabula quæ
in manibus est, suas partes cõcinnè & cum
decoro

ὁμοίωσις mira. decoro tutatur: hac utendum est tibi. Alioquin dum agitur quæpiam Plauti comœdia, nugãtibus inter se uernulis, si tu in proscenĩu prodeas habitu philosophico, & recenseas ex Octauia locum, in quo Seneca disputat cum Nerone: nónne præstiterit egisse mutam personam, quàm aliena recitãdo talem fecisse tragicomœdiam? Corruperis enim peruerterisq; præsentem fabulam, dum diuersa permisces, etiam si ea quæ tu affers, meliora fuerint. Quæcunq; fabula in manu est, eam age quàm potes optimè: neque ideo totam perturbes, quòd tibi in mẽtem uenit alterius, quæ sit lepidior. Sic est in Rep. sic in consultationibus principum. Si radicitùs euelli non possint opiniones praua, nec receptis usu uitijs mederi queas ex animi tui sententia: non ideo tamẽ deserenda Resp. est, & in tempestate nauis destituẽda est, quoniam uentos inhibere non possis. At neq; insuetus & insolens sermo inculcãdus, quem scias apud diuersa persuasos pondus non habiturum: sed obliquo ductu conandum est, atq; adnitendum tibi, uti pro tua uirili omnia tractes commodè, & quod in bonum nequis uertere, efficias saltem, ut sit quàm minimè malum. Nã ut omnia bene sint, fieri non potest, nisi omnes boni sint: quod ad aliquot ab hinc annos adhuc

uc non expecto. Hac, inquit, arte nihil fie-
et aliud, quàm ne dum aliorum furori me
eri studeo, ipse cum illis insaniam. Nam si
era loqui uolo, talia loquar necesse est. Cæ
erùm falsa loqui, sit ne philosophi, nescio:
ertè non est meum. Quanquam ille meus
rmo ut fuerit fortasse ingratus illis atque
nolestus, ita non uideo cur uideri debeat
sq; ad ineptias insolens. Quòd si aut ea di
erē, quæ fingit Plato in sua Rep. aut ea quæ
aciunt Vtopienses in sua: hæc quanquam *Vtopiensiū*
ssent (ut certè sunt) meliora, tamen aliena *instituta.*
ideri possint, quòd hic singulorum priua
æ sunt possessiones, illic omnia sunt cōmu
ia. Meus uerò sermo, nisi quòd ad eos qui
atuissent secum, ruere diuersa uia præcipi-
es, iucundus esse non potest, qui reuocet
c præmonstret pericula: alioqui quid ha-
uit, quod non ubiuis dici uel conueniat,
el oporteat? Equidem si omittēda sunt om
ia tanquam insolentia atq; absurda, quæ-
unq; peruersi mores hominum fecerunt,
t uideri possint aliena: dissimulemus o-
ortet apud Christianos pleraq; omnia,
quę CHRISTVS docuit, ac dissimulari us-
queadeò uetuit, ut ea quoq;, quæ ipse in au
es insusurrasset suis, palàm in tectis iusserit
rædicari: quorum maxima pars ab istis
noribus longè est alienior, quàm mea fuit
oratio.

oratio. nisi quòd concionatores, homines callidi, tuum illud consiliũ secuti puto, quãdo mores suos homines ad CHRISTI normam grauatim paterentur aptari, doctrinã eius uelut regulã plumbeam accõmodauerunt ad mores, ut aliquo saltem pacto coniungerentur scilicet. qua re nihil uideo quid profecerint, nisi ut securius liceat esse malos: atq; ipse profectò tantundem proficiã in consilijs principũ. Nam aut diuersa sentiam, quod perinde fuerit, ac si nihil sentiã: aut eadem, & ipsorũ adiutor sim, ut inquit Mitio Terentianus, insaniæ. Nam obliquus ille ductus tuus non uideo quid sibi uelit, quo censes adnitendum, si non possint omnia reddi bona, tamen ut tractentur cõmodè, fiantq;, quoad licet, quàm minimè mala. Quippe non est ibi dissimulandi locus, nec licet conniuere: approbanda sunt apertè pessima consilia, & decretis pestilentissimis subscribendum est. Speculatoris uice fuerit, ac penè proditoris, etiam qui improbè consulta, malignè laudauerit. Porrò nihil occurrit, in quo prodesse quicquam possis, in eos delatus collegas, qui uel optimũ uirum facilius corruperint, quàm ipsi corrigantur: quorũ peruersa cõsuetudine uel deprauaberis, uel ipse integer atq; innocens, alienæ malitiæ stultitiæq; prætexeris, tantum

um abeſt ut aliquid poſsis in melius obli-
quo illo ductu conuertere. Quam ob rem
ulcherrima ſimilitudine declarat Plato,
ur meritò ſapientes abſtineant à capeſcen
la Rep. Quippe quũ populum uideant in
lateas effuſum aſsiduis imbribus perfun-
li, nec perſuadere queant illis ut ſe ſubdu-
ant pluuię, tectaq; ſubeãt: gnari nihil pro
uturos ſeſe ſi exeant, quàm ut unà complu
ntur, ſemet intra tecta continent, habentes
atis, quando alienæ ſtulticiæ non poſſunt
mederi, ſi ipſi ſaltem ſint in tuto. Quanquã
rofectò mi More (ut ea uerè dicam, quæ
neus animus fert) mihi uidetur, ubicunq;
riuatæ ſunt poſſeſsiones, ubi omnes om-
nia pecunijs metiuntur, ibi uix unquã poſ-
e fieri, ut cum Rep. aut iuſtè agatur, aut pro
perè: niſi uel ibi ſentias agi iuſtè, ubi opti-
ma quæq; perueniunt ad peſsimos: uel ibi
eliciter, ubi omnia diuiduntur in pauciſsi-
mos, nec illos habitos undecunq; commo-
dè, cæteris uerò planè miſeris. Quã ob rem
quum apud animum meum reputo prudẽ
iſsima atq; ſanctiſsima inſtituta Vtopien-
ſiũ, apud quos tam paucis legibus, tã cõmo
dè res adminiſtrantur, ut & uirtuti precium
ſit, & tamẽ æquatis rebus omnia abundent
omnibus: tum ubi his eorũ moribus exad-
uerſò cõparo tot natiões, alias ſemper ordi-

nantes,

nantes, nec ullam satis ordinatam unquã earum omnium, in quibus quod quisq; nactus fuerit, suum uocat priuatum, quorum tam multæ indies conditæ leges non sufficiunt, uel ut consequatur quisquam, uel ut tueatur, uel ut satis internoscat ab alieno, illud quod suum inuicem quisq; priuatum nominat: id quod facilè indicant infinita illa tam assiduè nascentia, quàm nunquam finiẽda litigia. Hæc, inquam, dum apud me considero, æquior Platoni fio, minusq; de miror, dedignatũ illis leges ferre ullas, qui recusabant eas, quibus ex æquo omnes omnia partirentur commoda. Siquidem facilè præuidit homo prudentissimus, unam atq; unicam illam esse uiam ad salutem publicam, si rerum inducatur æqualitas: quæ nescio an unquam possit obseruari, ubi sua sunt singulorum propria. Nam quum certis titulis quisq; quantum potest ad se conuertit, quantacunq; fuerit rerum copia, eã omnem pauci inter se partiti, reliquis relinquunt inopiam, fereq; accidit, ut alteri sint alterorum sorte digniſsimi, quum illi sint rapaces, improbi, atq; inutiles: contrà ij modesti uiri, ac simplices, & quotidiana industria in publicum, quàm in semet benigniores. Adeò mihi certè persuadeo, res æquabili ac iusta aliqua ratione distribui, aut fœliciter

ter agi cũ rebus mortaliũ, niſi ſublata prorſus proprietate, non poſſe: ſed manente illa, manſurã ſemper apud multo maximã multoq; optimã hominũ partem, egeſtatis & ærumnarũ anxiam atq; ineuitabilẽ ſarcinã: quã ut fateor leuari aliquantulum poſſe, ſic tolli planè contendo non poſſe. Nempe ſi ſtatuatur, ne quis ſupra certum agri modum poſsideat, & uti ſit legitimus cuiq; cenſus pecuniæ, ſi fuerit legibus quibuſdam cautũ, ut neq; ſit princeps nimium potens, neq; populus nimis inſolẽs: tum magiſtratus ne ambiantur, neu dentur uenum, aut ſumptus in illis fieri ſit neceſſe: alioquin & occaſio dat per fraudẽ ac rapinas ſarciẽdæ pecunię, & fit neceſsitas eis muneribus prę ficiẽdi diuites, quæ potius fuerant adminiſtrãda prudẽtibus. Talibus inquã legibus, quemadmodũ ægra aſsiduis ſolent fomentis fulciri corpora deploratæ ualetudinis, ita hæc quoq; mala leniri queant, ac mitigari: ut ſanentur uerò, atq; in bonũ redeãt habitum, nulla omnino ſpes eſt, dũ ſua cuiq; ſunt propria. Quin dum unius partis curæ ſtudes, aliarũ uulnus exaſperaueris, ita mutuò naſcit ex alterius medela alterius morbus, quãdo nihil ſic adĳci cuiquam poteſt, ut non idẽ adimatur alĳ. At mihi, inquam, contrà uidetur, ibi nunquam cõmodè uiui

posse, ubi omnia sint cõmunia. Nã quo pacto suppetat copia rerũ, unoquoq; ab labore subducente se: utpote quẽ neq; sui quæstus urget ratio, & alienæ industriæ fiducia reddit segnẽ. At quũ & stimulentur inopia, neq; quod quisquã fuerit nactus, id pro suo tueri ulla possit lege: an non necesse est perpetua cæde ac seditione laboretur? sublata præsertim autoritate ac reuerẽtia magistratuũ, cui quis esse locus possit, apud homines taleis, quos inter nullũ discrimẽ est, ne cõminisci quidẽ queo. Nõ miror, inquit, sic uideri tibi, quippe cui eius imago rei aut nulla succurrit, aut falsa. Verùm si in Vtopia fuisses mecũ, moresq; corũ atq; instituta uidisses præsens, ut ego feci, qui plus annis quinq; ibi uixi, neq; unquã uoluissem inde discedere, nisi ut nouũ illũ orbem proderem: tum planè faterere, populũ rectè institutum nusquã alibi te uidisse, quàm illic. Atqui profectò, inquit Petrus Aegidius, ægrè persuadeas mihi, melius institutũ populum in nouo illo, quàm in hoc noto nobis orbe reperiri, ut in quo neq; deteriora ingenia, & uetustiores opinor esse, quàm in illo Resp. & in quibus plurima ad uitã cõmoda lõgus inuenit usus: ut ne adiſciã, apud nos casu reperta quædã, quibus excogitandis nullũ potuisset ingeniũ sufficere. Quod ad uetusta-

ueruſtatẽ, inquit ille, rerũ attinet publicarũ,
ũ pronunciare poſſes rectius, ſi hiſtorias il-
ius orbis perlegiſſes, quibus ſi fides haberi
debet, prius apud eos crãt urbes, quã homi
nes apud nos: iam uerò quicquid hactenus
uel ingeniũ inuenit, uel caſus reperit, hoc u-
robiq; potuit extitiſſe. Cæterùm ego certè
puto, ut illis præſtemus ingenio, ſtudio ta-
mẽ atq; induſtria lõgè à tergo relinquimur.
Nam (ut ipſorũ habẽt annales) ante appul
ſum illuc noſtrũ, de rebus noſtris (quos illi
uocãt Vltraæquinoctialeis) nihil unquam
quicquã audierãt, niſi quòd olim annis ab
hinc ducentis ſupra mille, nauis quædã a-
pud inſulã Vtopiã naufragio periit, quã tẽ-
peſtas eò detulerat. Eiecti ſunt in littus Ro-
mani quidã atq; Aegyptij, qui poſtea nun-
quã inde diſceſſere. Hanc unã occaſionẽ ui-
de quàm cõmodã illis ſua fecit induſtria. Ni
hil artis erat intra Romanũ imperiũ, unde
poſſit aliquis eſſe uſus, quod nõ illi aut ab
expoſitis hoſpitibus didicerint, aut acce-
ptis quærendi ſeminibus adinuenerint. tan
to bono fuit illis aliquos hinc ſemel illuc eſ-
ſe delatos. At ſi qua ſimilis fortuna quẽpiã
antehac illinc huc perpulerit, tam penitus
hoc obliteratũ eſt, quàm iſtud quoq; forſan
excidet poſteris, me aliquãdo illic fuiſſe. Et
ut illi uno ſtatim congreſſu quicquid à no-

bis commodè inuentum est, fecerũt suum: sic diu futurum puto, priusquam nos accipiamus quicquam, quod apud illos melius quàm nobis est institutum. Quod unũ maximè esse reor in causa, cur quũ nec ingenio, nec opibus inferiores simus eis, ipsorum tamen res, quàm nostra prudẽtius administretur, & felicius efflorescat. Ergo mi Raphael, inquã, quæso te atq; obsecro, describe nobis insulã: nec uelis esse breuis, sed explices ordine agros, fluuios, urbes, homines, mores, instituta, leges, ac denique omnia, quæ nos putes uelle cognoscere: putabis aũt uelle quicquid adhuc nescimus. Nihil, inquit, faciã libentius: nã hæc in promptu habeo, sed res ocium poscit. Eamus ergo, inquã, intrò pransum, mox tempus nostro arbitratu sumemus. Fiat, inquit. Ita ingressi prandemus. pransi, in eundẽ cõuersi locũ, in eodem sedili consedimus: ac iussis ministris, ne quis interpellaret, ego ac Petrus Aegidius hortamur Raphaelẽ, ut præstet quod erat pollicitus. Is ergo ubi nos uidit intentos atq; auidos audiendi, quũ paulisper tacitus & cogitabundus assedisset, hunc in modum exorsus est.

PRIMI LIB. FINIS.

AMAVRORV VRBS
FONS ANYDRI
OSTIVM ANYDRI
HYTHLODAEVS

SERMONIS QVEM RAPHAEL HYTHLODÆUS de optimo Reipub. statu habuit, Liber Secundus:

PER THOMAM MORVM, *ciuem & Vicecomitem Londinensem.*

Situs & forma Vtopiæ.

VTOPIENSIVM Insula in media sui parte (nam hac latissima est) milia passuũ ducenta porrigitur, magnumq; per insulæ spacium non multo angustior, fines uersus paulatim utrinq; tenuatur. hi uelut circunducti circino, quingentorum ambitu millium insulam totam in lunæ speciem renascentis effigiant: cuius cornua fretum interfluens, millibus passuum plus minus undecim dirimit, ac per ingens inane diffusum, circuniectu undiq; terræ prohibitis uentis, uasti in morem lacus stagnans magis quàm sæuiens, omnem propè eius terræ aluum pro portu facit: magnoq; hominum usu naues quaqua uersus transmittit. fauces hinc uadis, inde saxis formidolosæ. In medio fermè interstitio una rupes

rupes eminet, eoq; innoxia, cui inædificatam turrim præsidio tenent, cæteræ latentes & insidiosæ. Canales solis ipsis noti, atque ideo non temerè accidit, uti exterus quisquam hunc in sinum, nisi Vtopiano duce, penetret, ut in quem uix ipsis tutus ingressus est, nisi signis quibusdam è littore uiam regentibus: his in diuersa translatis loca, hostium quamlibet numerosam classem facilè in perniciem traherent. Ab altera parte non infrequentes portus. At ubique descensus in terram ita natura munitus, aut arte, ut ingentes copiæ paucis inde queant propugnatoribus arceri. Cæterùm uti fertur, utiq; ipsa loci facies præ se fert, ea tellus olim non ambiebatur mari: sed Vtopus, cuius utpote uictoris nomen refert insula (nam ante id temporis Abraxa dicebatur) quiq; rudem atque agrestem turbam ad id quo nunc cæteros propè mortales antecellit cultus, humanitatis que perduxit: primo protinus appulsu uictoria potitus, passuum millia quindecim, qua parte tellus continenti adhæsit, excindendum curauit, ac mare circum terram duxit. Quumq; ad id operis non incolas modò coegisset (ne contumeliæ loco laborem ducerent) sed suos præterea milites omnes adiungeret, in tantam

Vtopia insula ab Vtopo duce.

hominum multitudinem opere distributo, incredibili celeritate res perfecta, ut finitimos, qui initiò uanitatẽ incepti riserant, admiratione successus ac terrore perculerit. In
Oppida Vtopiæ insulæ. sula ciuitates habet quatuor & quinquaginta, spacioſas omnes ac magnificas, lingua, moribus, institutis, legibus prorsus ijsdem: idem situs omnium, eadẽ ubiq; quatenus per locum licet, rerum facies. Harũ quæ proximæ intersunt, millia quatuor ac uiginti separant. Nulla rursus est tam deserta, ê qua non ad aliam urbem pedibus queat unius itinere diei peruenirí. Ciues quaq; ex urbe terni senes ac rerum periti, tractatum de rebus insulæ communibus, quotannis conueniunt Amaurotum. Nam ea urbs, quòd tanquam in umbilico terræ sita maximè iacet, omnium partiũ legatis opportuna, prima princepsq; habetur. Agri ita commodè
Distributio agrorum. ciuitatibus assignati sunt, ut ab nulla parte minus soli, q; XX. passuũ millia una quæuis habeat, ab aliqua multo etiã amplius, uidelicet qua parte lõgius urbes inter se disiunguntur. Nulli urbi cupido promouẽdorum finiũ: quippe quos habent, agricolas magis corũ se, q; dominos putant. Habent
Prima cura agricolationis. ruri per omnes agros commodè dispositas domos, rusticis instrumentis instructas. Hę habitantur ciuibus per uices eò cõmigrantibus,

tibus. Nulla familia ruſtica in uiris mulieri-
busq; pauciores habet, quàm quadragin-
ta, præter duos aſcriptitios ſeruos, quibus
pater materq; familiâs graues ac maturi pre
ficiuntur, & ſingulis tricenis familijs phylar
chus unus. E quaq; familia uiginti quotan-
nis in urbem remigrant hi, qui bienniũ ru-
ri compleuere. in horum locum totidem re-
centes ex urbe ſubrogantur, ut ab his, qui
annum ibi fuere, atq; ideo ruſticarum peri-
tiores rerum, inſtituãtur, alios anno ſequen
te docturi: ne ſi pariter omnes ibi noui, agri
colationisq; rudes eſſent, aliquid in anno-
na per imperitiam peccaretur. Is innouan-
dorum agricolarum mos, & ſi ſolennis ſit,
ne quiſquam inuitus aſperiorem uitã coga-
tur continuare diutius: multi tamen, quos
ruſticæ rei ſtudiũ natura delectat, plures ſibi
annos impetrant. Agricolæ terrã colunt, nu *Agricolarũ*
triũt animalia, ligna cõparant, atq; in urbẽ *officia.*
quà cõmodum eſt, terra mariue cõuehunt.
Pullorum infinitam educãt multitudinem,
mirabili artificio. Neq; enim incubant oua *Mira ratio*
gallinæ, ſed magnum eorum numerum ca- *fouendi oua.*
lore quodam æquabili fouentes animant,
educantq; hi ſimulatq; è teſta prodiere, ho-
mines, uice matrũ comitantur, & agnoſcũt.
Equos alunt perquàm paucos, nec niſi fero *Vſus equo-*
cientes, neq; alium in uſum, quàm exercen- *rum.*

Vsus boum.

dæ rebus equestribus inuĕtuti. Nam omnĕ, seu colĕdi seu uehĕdi laborĕ boues obeunt, quos, ut fatĕtur, equis impetu cedere, sic patiĕtia uincere, nec tot obnoxios morbis putant: ad hæc minore impendio & operæ & sumptus ali, ac denicꝫ laboribus emeritos, in cibum tandem usui esse. Semente in solũ panem utuntur. Nam aut uuarum uinum bibunt, aut pomorum, pirorũmue, aut denique aquam nõnunquam meram, sæpe etiã qua mel aut glycyrizam incoxerint, cuius haud exiguam habent copiam. Quum exploratum habeant (habĕt enim certissimũ) quantum annonæ cõsumat urbs, & circumiectus urbi conuentus, tamen multo amplius & sementis faciunt, & pecudum educant, quàm quod in suos usus sufficiat, reliquum imperturi finitimis. Quibuscũcꝫ reb. opus est, quæ res ruri non habentur, eã supellectilem omnĕ ab urbe petũt, & sine ulla rerum cõmutatione, à magistratibus urbanis nullo negocio consequuntur. Nam illo singulo quocꝫ mense plericꝫ ad festum diem conueniunt. Quũ frumentandi dies instat, magistratibus urbanis agricolarũ phylarchi denũciãt, quantũ ciuiũ numerũ ad se mitti cõueniat: quę multitudo frumĕtorum, quũ ad ipsum diĕ opportunè adsit, uno propè sereno die tota frumentatione defunguntur.

Cibus ac potus.

Modus sementis.

Mutua opera quantum ualeat.

DE

DE VRBIBVS, AC NOminatim de Amauroto.

VRBIVM qui unam norit, omnes nouerit, ita sunt inter se (quatenus loci natura non obstat) omnino similes. Depingam igitur unam quampiam (neq; enim admodum refert quam.) Sed quã potius, quàm Amaurotũ? qua nec ulla dignior est, quippe cui senatus gratia reliquæ deferũt, nec ulla mihi notior, ut in qua annos quinq; perpetuò uixerim. Sitũ est igitur Amaurotũ in leni decliuu montis, figura ferè quadrata. Nã latitudo eius paulo infra collis incepta uerticẽ, millibus passuũ duobus ad flumen Anydrũ pertinet, secundũ ripam aliquanto lõgior. Oritur Anydrus milibus octoginta supra Amaurotũ, modico fonte, sed aliorũ occursu fluminũ, atq; in his duorum etiam mediocrium auctus, ante urbem ipsam quingentos in latum passus extenditur: mox adhuc amplior, sexaginta millia prolapsus, excipitur oceano. Hoc toto spacio, quod urbẽ ac mare interiacet, ac supra urbẽ quoq; aliquot millia, sex horas perpetuas influens æstus ac refluus alternat celeri flumine: quum sese pelagus infert, triginta in longum milia, totũ Anydri alueũ suis occupat undis, profligato retrorsum fluuio.

Amauroti primariæ Vtopiensium urbis descriptio.

Anydrus.

Idẽ fit apud Anglos in flumine Thamysi.

Tum

Tum aliquanto ultra liquorem eius salsugi ne corrumpit, dehinc paulatim dulcescens amnis, syncerus urbẽ perlabitur, ac refugi= entẽ uicissim purus & incorruptus, ad ipsas prope fauces insequitur. Vrbs aduersæ flu= minis ripæ, non pilis ac sublicibus ligneis, sed ex opere lapideo, egregiè arcuato põte, commissa est ab ea parte, quæ longissimè di stat à mari, quo naues totum id latus urbis possint inoffensæ præteruehi. Habent aliũ præterea fluuium, haud magnum quidem illum, sed perquàm placidum ac iucũdum. Nam ex eodem scaturiens monte, in quo ci uitas collocatur, mediam illam per deuexa perfluẽs, Anydro miscetur. Eius fluuij caput fontemq́, quòd paulo extra urbem nascit, munimẽtis amplexi Amaurotani iunxerũt oppido: ne si qua uis hostiũ ingruat, inter= cipi atq́ auerti aqua, néue corrumpi queat. Inde canalibus coctilibus diuersim ad infe= riores urbis partes aqua deriuat: id sicubi locus fieri uetat, cisternis capacibus collecta pluuia tantundem usus adfert. Murus altus ac latus oppidum cingit, turribus ac propu gnaculis frequẽs: arida fossa, sed alta, lataq́ ac ueprium sepibus impedita, tribus ab la= teribus circumdat mœnia, quarto flumen ipsum pro fossa est. Plateæ cùm ad uecturã, tũ aduersus uentos descriptæ cõmodè: ædi= ficia

Mœniũ mu= nimenta.

Plateæ cuiusmodi.

ficia neutiquam sordida, quorum longa & totum per uicũ perpetua series, aduersa domorũ fronte conspicitur. has uicorũ frontes uia distinguit, pedes uiginti lata. Posterioribus ædium partibus, quanta est uici longitudo, hortus adiacet, latus, & uicorũ tergis undiq; circunseptus. Nulla domus est, quæ non, ut ostium in plateam, ita posticũ in hortum habeat. Quin biſores quoq; facili tractu manus apertiles, ac dein' sua sponte coeuntes, quemuis intromittunt: ita nihil usquam priuati est. Nam domos ipsas unoquoq; decennio sorte commutant. Hos hortos magnifaciunt. in his uineas, fructus, herbas, flores habẽt: tanto nitore, cultuq;, ut nihil fructuosius usquam uiderim, nihil elegantius. qua in re studium eorum, non ipsa uoluptas modò, sed uicorum quoq; inuicẽ de suo cuiusq; horti cultu certamen accendit. & certè non aliud quicquam temerè urbe tota reperias, siue ad usum ciuium, siue ad uoluptatem cõmodius. eoq; nullius rei, quàm huiusmodi hortorum, maiorem habuisse curam uidetur is qui condidit. Nam totam hanc urbis figuram, iam inde ab initio descriptam ab ipso Vtopo ferunt. Sed ornatum, cæterumq; cultũ, quibus unius ætatẽ hominis haud suffecturam uidit, posteris adiiciendum reliquit. Itaq; scriptũ in annalibus

Aedificia.

Horti ædibus adhærentes.

Vtilitas hortorum etiam Maroni prædicata.

libus habent, quos ab capta usque insula, mille septingentorum ac sexaginta annorū complectentes historiam, diligenter & religiosè perscriptos adseruant. ædes initiò humiles, ac ueluti casas & tuguria fuisse, è quolibet ligno temerè factas, parietes luto obductos, culmina in aciē fastigiata stramentis operuerant. At nūc omnis domus uisenda forma tabulatorum trium, parietum facies aut silice aut cementis aut latere coctili constructæ, in aluum introrsus congesto rudere. Tecta in planum subducta, quæ intritis quibusdam insternūt, nullius impendij, sed ea temperatura, quæ nec igni obnoxia sit, & tolerādis tempestatū iniurijs plumbū superet. Ventos è fenestris uitro (nā eius ibi creberrimus usus est) expellunt. Interim etiā lino tenui, quod perlucido oleo, aut succino perlinunt, gemino nimirū cōmodo. Siquidem ad eū modū fit, ut & plus lucis trāsmittat, & uentorum minus admittat.

Aedium forma.

Vitreæ aut linteatæ fenestræ.

DE MAGISTRATIBVS.

TRIGINTA quæq; familiæ magistratū sibi quotannis eligunt, quē sua prisca lingua Syphograntum uocant, recentiore phylarchum. Syphograntis decē cum suis familijs Traniborus olim, nunc protophylarchus

phylarchus dictus præficitur. Demũ Syphogranti omnes qui sunt ducenti, iurati lecturos sese, quem maximè censent utilẽ, suffragijs occultis renunciant principem, unum uidelicet ex quatuor, quos eis populus nominauit. Nam à quaq; urbis quarta parte, selectus unus commendatur senatui. Principis magistratus perpetuus est in omnem illius uitã, nisi tyrannidis affectatæ suspicio impediat. Traniboros quotannis eligunt, cæterùm haud temerè commutant. Reliqui magistratus omnes annui. Tranibori tertio quoq; die, interdum si res postulat, sæpius in consilium cum principe ueniunt. De rep. consultant, controuersias priuatorum, si quæ sunt, quæ perquàm paucæ sunt, maturè dirimunt. Syphograntos semper in senatum duos adscisciũt, atq; omni die diuersos, cautumq; ut ne quid ratũ sit, quod ad rẽp. pertineat, de quo non tribus in senatu diebus antè agitatum, quàm decretum sit. Extra senatum aut comitia publica, de rebus communibus inire consilia, capitale habetur. Hæc eò ferũt instituta, ne procliue esset, coniuratione principis ac Tranibororum, oppresso per tyrannidem populo, statum reip. mutare. Atque ideo quicquid magni momenti iudicatur, ad Syphograntorum comitia defertur, qui cum suis familijs communicata

Mira ratio creandi magistratus.

Nihil subitò statuendum.

municata re, pòst inter se consultant, ac suum consilium renunciant senatui. Interdum ad totius insulæ cõsilium res defertur. Quin id quoq; moris habet senatus, ut nihil quo die primùm proponitur, eodem disputetur, sed in sequentem senatum differatur: ne quis ubi quod in buccam primũ uenerit, temerè effutierit, ea potius excogitet postea, quibus decreta tueat̃ sua, quàm quę ex reipub. usu sint: malitq; salutis publicæ, quàm opinionis de se iacturam facere, peruerso quodam ac prępostero pudore, ne initiò parum prospexisse uideatur. Cui prospiciendũ initiò fuit, ut consultò potius, quàm citò loqueretur.

Vtinã idem hodie fiat in nostris consilijs.

DE ARTIFICIIS.

Agricolatio cõmunis omnium.

ARS una est omnibus uiris mulieribusq;, promiscua agricultura, cuius nemo est expers. Hac à pueritia eruditur omnes, partim in schola traditis præceptis, partim in agros uiciniores urbi, quasi per ludum educti, non intuentes modò, sed per exercitandi corporis occasionẽ tractantes etiam. Præter agriculturam (quæ est omnibus, ut dixi, communis) quilibet unã quampiam, tanquam suam docetur. ea est ferè aut lanificium, aut operãdi lini studiũ, aut

Artes ad necessitatẽ, non ad luxum discendæ.

aut semẽtariorum, aut fabri, seu ferrarij, seu materiarij artificiũ. Neq; enim aliud est opificium ullum, quod numerum aliquem dictu dignum occupet illic. Nam uestes, quarum, nisi quòd habitu sexus discernitur, & cœlibatus à coniugio, una per totam insulã forma est, eademq; per omne æuum perpetua, nec ad oculum indecora, & ad corporis motum habilis, tum ad frigoris æstusq; rationem apposita: eas, inquam, quæq; sibi familia conficit. Sed ex alijs illis artibus unusquisq; aliquã discit, nec uiri modò, sed mulieres etiam. Cæterùm hæ uelut imbecilliores leuiora tractant, lanam ferè linumq; operantur, uiris artes reliquæ magis laboriosæ mandantur. Maxima ex parte quisq; in patrijs artibus educatur. nam eò plerisq; natura feruntur. Quòd si quem animus aliò trahat, in eius opificij, cuius capitur studio, familiam quampiam adoptione traducitur: cura non à patre modò eius, sed magistratibus etiam præstita, ut graui atq; honesto patrifamiliâs mancipetur. Quin si quis unam perdoctus artem, aliam præterea cupiuerit, eodem modo permittitur. Vtramq; nactus, utram uelit exercet, nisi alterutra ciuitas magis egeat. Syphograntorum præcipuum ac propè unicum negocium est, curare ac prospicere ne quisquã desideat ociosus, sed uti

Cultus similitudo.

Nemo ciuitẽ expers artificij.

Ad quã quisque natura sit appositus, eã discat artem.

ſuę quiſq; arti ſedulò incumbat, nec ab ſummo mane tamen, ad multam uſq; noctem perpetuo labore, uelut iumenta, fatigatus. nã ea plus quàm ſeruilis ęrumna eſt: quæ tamen ubique ferè opificum uita eſt, exceptis Vtopienſibus, qui cũ in horas uigintiquatuor æquales diẽ connumerata nocte diuidant, ſex duntaxat operi deputant, tres ante meridiem, à quibus prandium ineunt, atque à prandio duas pomeridianas horas, quum interquieuerint, tres deinde rurſus labori datas cœna claudũt. Quum primã horam ab meridie numerent, ſub octauam cubitum eunt. horas octo ſomnus uendicat. Quicquid inter operis horas ac ſomni, cibiq; medium eſſet, id ſuo cuiuſq; arbitrio permittitur: non quo per luxum aut ſegnitiẽ abutatur, ſed quod ab opificio ſuo liberum, ex animi ſententia in aliud quippiam ſtudij bene collocet. has intercapedines plericq; impendũt literis. Solẽne eſt enim publicas quotidie lectiones haberi antelucanis horis: quibus ut interſint, ij dũtaxat adiguntur, qui ad literas nominatim ſelecti ſunt. Cæterùm ex omni ordine, mares ſimul ac fœminæ, multitudo maxima ad audiendas lectiones, alij alias, prout cuiuſq; fert natura, confluit. Hoc ipſum tempus tamẽ ſi quis arti ſuæ malit inſumere, quod multis uſuue-

Moderãdus opificum labor.

Studia literarum.

nit

nit (qũorum animus in nullius contemplatione disciplinæ consurgit) haud prohibetur, quin laudatur quoq; ut utilis reipublicæ. Super cœnam, tum unam horam ludendo producunt, æstate in hortis, hyeme in aulis illis cõmunibus, in quibus comedũt. Ibi aut musicen exercent, aut se sermone recreant. Aleam, atq; id genus ineptos ac perniciosos ludos ne cognoscũt quidẽ: cæterũm duos habent in usu ludos, latrunculorũ ludo nõ dissimiles. Alterum numerorum pugnam, in qua numerus numerũ prædat: alterũ in quo collata acie cũ uirtutibus uitia cõfligũt. Quo in ludo perquàm scitè ostenditur & uitiorũ inter se dissidium, & aduersus uirtutes concordia: itẽ quę uitia quibus se uirtutibus opponãt, quibus uiribus apertè oppugnent, quibus machinamentis ab aliquo adoriantur, quo præsidio uirtutes uitiorũ uires infringant, quibus artibus eorũ conatus eludant, quibus denicq; modis alterutra pars victoriæ compos fiat. Sed hoc loco ne quid erretis, quiddã pressius intuẽdũ est. Etenim, quòd sex duntaxat horas in opere sunt, fieri fortasse potest, ut inopiã aliquam putes necessariarum rerum sequi. Quod tam longè abest ut accidat, ut id temporis ad omnium rerum copiam, quæ quidem ad uitæ uel necessitatem requiran-

Lusus in cœnis.

tur, uel commoditatem nõ ſufficiat modõ, ſed ſuperſit etiam: id quod uos quoque intelligetis, ſi uobiſcum reputetis, apud alias gentes quàm magna populi pars iners degit. Primũ mulieres ferè omnes totius ſummæ dimidium, aut ſicubi mulieres negocioſæ ſunt, ibi utplurimùm, earũ uice uiri ſertunt. Ad hæc ſacerdotum ac religioſorum, quos uocãt, quanta quamq; ocioſa turba? Adijce diuites omnes, maximè prædiorum dominos, quos uulgò generoſos appellãt, ac nobiles. his adnumera ipſorũ famulitiũ, totam uidelicet illã cetratorum nebulonũ colluuiẽ. robuſtos denique ac ualentes mendicos adiunge, morbũ quẽpiam prætexentes inertię: multo certè pauciores eſſe, quàm putaras, inuenies eos, quorum labore conſtant hæc omnia, quibus mortales utuntur. Expende nũc tecum, ex his ipſis quàm pauci in neceſſarijs opificijs uerſantur. Siquidẽ ubi omnia pecunijs metimur, multas artes neceſſe eſt exerceri inanes prorſus ac ſuperfluas, luxus tantum ac libidinis miniſtras. Nam hæc ipſa multitudo quæ nunc operatur, ſi partiretur in tam paucas artes, quàm paucas cõmodus naturæ uſus poſtulat, in tanta rerum abundantia, quantam nunc eſſe neceſſe ſit, precia nimirum uiliora forent, q̃ ut artifices inde uitã tueri ſuã poſſent. At ſi iſti

Ocioſorũ hominũ genera.

Artes inanes.

si isti omnes, quos nunc inertes artes distrin gunt, ac tota insuper ocio ac desidia lãgue- scẽs turba, quorũ unus quiuis earũ rerum, quæ aliorũ laboribus suppeditantur, quan tum duo earundẽ operatores, consumit: in opera uniuersi atq; eadem utilia collocaren tur, facilè animaduertis, quantulum tempo ris ad suppeditanda omnia, quæ uel necessi tatis ratio, uel cõmoditatis efflagitet (adde uoluptatis etiam, quę quidẽ uera sit ac natu ralis) abundè satis superq; foret. atque id ipsum in Vtopia res ipsa perspicuũ facit. Nã illic in tota urbe cũ adiacẽte uicinia, uix ho- mines quingẽti, quib. ex omni uirorũ ac mu lierũ numero, quorum ætas ac robur operi sufficit, uacatio permittitur. In his Sypho- granti (quanquam leges eos labore solue- runt) ipsi tamen sese non eximunt, quo faci lius exemplo suo reliquos ad labores inui- tent. Eadẽ immunitate gaudent hi, quibus cõmendatione sacerdotũ persuasus popu- lus occultis Syphograntorum suffragijs ad perdiscendas disciplinas perpetuã uacatio- nẽ indulget: quorũ si quis cõceptã de se spẽ fefellerit, ad opifices retruditur: cõtraq; non rarẽter usu uenit, ut mechanicus quispiam, succisiuas illas horas tã grauiter impendat literis, tantum diligentia proficiat, ut opifi- cio suo exemptus, in literatorũ classem pro- uehatur.

Ne magistra tus quidẽ ab opere ceßãt.

Soli literati ad magistratus uocãtur.

uehatur. Ex hoc literatorũ ordine legati, sacerdotes, Tranibori, ac ipse denique deligitur princeps, quẽ illi prisca ipsorũ lingua Barzanem, recẽtiore Ademũ appellãt. Reliqua ferè multitudo omnis, quũ neque ociosa sit, nec inutilibus opificijs occupata, procliuis æstimatio est, quàm paucæ horæ quantum boni operis pariant ad ea quæ commemoraui. Hoc præterea facilitatis accedit, quòd in necessarijs plerisque artibus minore opera, quàm alię gentes opus habẽt. Nam primũ

Quomodo uitẽtur impẽ se in ædificijs.

ædificiorũ aut structura aut refectio ideo tã multorum assiduam ubique requirit operã, quòd quæ pater ædificauit, hæres parũ fugi paulatim dilabi sinit, ita quod minimo tueri potuit, successor eius deintegrò impẽdio magno cogit instaurare. quin frequenter etiã, quæ domus alij ingenti sumptu stetit, hanc alius delicato animo contemnit: eaque neglecta, atque ideo breui collapsa, aliã alibi impensis non minoribus extruit. At apud Vtopiẽses compositis rebus omnibus, & constituta Rep. rarissimè accidit, uti noua collocandis ædibus area deligatur: & non modò remedium celeriter præsentibus uitijs adhibetur, sed etiam imminentibus occurritur. Ita fit, ut minimo labore diutissimè perdurent ædificia, & id genus opifices uix habeant interdum quod agant, nisi quòd

materiam

materiam dolare domi, & lapides interim quadrare atq; aptare iubentur, quo, si quod opus incidat, maturius possit exurgere. Iam in uestibus uide, quàm paucis operis egeãt, primùm dũ in opere sunt, corio neglectim aut pellibus amiciũtur, quæ in septennium durent. quum procedunt in publicum, superinduunt chlamidem uestem, quæ rudiores illas uestes contegat: eius per totam insulam unus color est, atque is natiuus. Itaque lanei panni non modò multo minus quàm usquã alibi sufficit, uerùm is ipse quoq; multo minoris impendij est. at lini minor est labor, eoq; usus crebrior: sed in lineo solus candor, in laneo sola mundicies cõspicitur, nullum tenuioris fili precium est. Itaq; fit, ut quum alibi nusquam uni homini quatuor aut quinq; togę laneę diuersis coloribus, ac totidem sericiæ tunicæ sufficiant, delicatioribus paulo ne decem quidem: ibi una quisq; contentus est plerunq; in biennium. Quippe nec causa est ulla cur plures affectet, quas consecutus, neq; aduersus frigus esset munitior, neq; uestitu uideretur uel pilo cultior. Quãobrẽ quum & oẽs utilibus sese artib exerceãt, & ipsarũ etiã opera pauciora sufficiant, fit nimirũ ut abundante rerũ omnium copia, interdum in reficiẽdas (si quæ detritæ sunt) uias publicas immẽsam multitudinẽ

Quomodo in amictu.

educant, perſæpe etiam quum nec talis cuiuſpiam operis uſus occurrat, pauciores horas operandi publicè denũcient. Neq; enim ſuperuacaneo labore ciues inuitos exercẽt magiſtratus, quandoquidem eius Reip. inſtitutio hunc unum ſcopũ in primis reſpicit, ut, quoad per publicas neceſsitates licet, quamplurimum temporis ab ſeruitio corporis ad animi libertatẽ cultumq; ciuibus uniuerſis aſſeratur. In eo enim ſitam uitæ fœlicitatem putant.

DE COMMERCIIS MVTVIS.

Diſtributio familiarũ.

SED iã quo pacto ſeſe mutuò ciues utantur, quæ populi inter ſe commercia, quæq; ſit diſtribuendarũ rerũ forma, uidetur explicandum. Quum igitur ex familijs conſtet ciuitas, familias utplurimùm cognationes efficiunt. Nã fœminæ ubi maturuerint, collocatæ maritis in ipſorũ domicilia concedunt. At maſculi filij, ac deinceps nepotes, in familia permanẽt, & parẽtũ antiquiſsimo parent, niſi præ ſenecta mẽte parũ ualuerit. tũc enim ætate proximus ei ſuffi-

Numerus ciuium.

citur. Verùm ne ciuitas aut fieri infrequentior, aut ultra modum poſsit increſcere, cauet ne ulla familia, quarũ millia ſex quęq; ciuitas, excepto conuẽtu, cõplectit, pauciores quàm

quàm decem, plurêsue quàm sexdecim puberes habeat. Impuberum enim nullus prę finiri numerus potest. Hic modus facilè seruatur, transcriptis his in rariores familias, qui in plenioribus excrescunt. At si quando in totum plus iusto abundauerit, aliarũ urbium suarum infrequentiam sarciunt. Quòd si fortè per totam insulam plus ęquo moles intumuerit, tum ex qualibet urbe descriptis ciuibus in continente proximo, ubi cunq; indigenis agri multũ supersit & cultu uacat, coloniã suis ipsorum legibus propagant, ascitis unà terræ indigenis, si conuenire secum uelint. Cum uolentibus coniuncti in idem uitæ institutum eosdemq; mores, facilè coalescũt: idq; utriusq; populi bono. Efficiunt enim suis institutis, ut ea terra utrisq; abunda sit, quæ alteris aut parca ac maligna uidebatur. Renuentes ipsorum legibus uiuere, propellunt his finibus, quos sibi ipsi describunt. Aduersus repugnantes bello confligunt. nam eam iustissimam belli causam ducunt, quum populus quispiã eius soli, quo non ipse utitur, sed uelut inane ac uacuum possidet, alijs tamen, qui ex naturæ præscripto inde nutriri debeant, usum ac possessionem interdicat. Si quando ullas ex suis urbibus aliquis casus eo usq; imminuerit, ut ex alijs insulæ partibus, ser-

Qua de causa bellum gerant Vtopiẽses.

uato ſuo cuiuſq; urbis modo, reſarciri non poſsint (quod bis duntaxat ab omni æuo, peſtis graſſante fæuitia fertur contigiſſe) remigrantibus è colonia ciuibus replentur. Perire enim colonias potius patiunt, quàm ullam ex inſulanis urbibus imminui. Sed ad conuictum ciuium reuertor. Antiquiſsimus (ut dixi) præeſt familiæ. Miniſtri ſunt uxores maritis, & liberi parentibus, atq; in ſumma minores natu maioribus. Ciuitas omnis in quatuor æquales partes diuiditur. In medio cuiuſq; partis forum eſt omnium rerum. Eò in certas domos opera cuiuſq; familiæ conuehũtur, atq; in horrea ſingulæ ſeorſum ſpecies diſtributæ ſunt. Ab his quilibet paterfamiliâs quibus ipſe ſuiq; opus habent, petit, ac ſine pecunia, ſine omni prorſus hoſtimẽto quicquid petierit, aufert. Quare enim negetur quicquam? quũ & omnium rerũ abundè ſatis ſit, nec timor ullus ſubſit, ne quiſquã plus quàm ſit opus, flagitare uelit. Nam cur ſuperuacua petiturus putetur is, qui certum habeat, nihil ſibi unquam defuturum? Nempe auidum ac rapacem, aut timor carendi facit in omni animantũ genere, aut in homine ſola reddit ſuperbia, quæ gloriæ ſibi ducit, ſuperflua rerum oſtentatione cęteros antecellere: quod ulti genus in Vtopienſiũ inſtitutis nullum omni-

Miniſtri.

Fora.

Rapacitas unde.

omnino locum habet. Adiuncta sunt foris (quæ cõmemoraui) fora cibaria, in quæ nõ olera modò, arborũq; fructus & panes cõportantur, sed pisces præterea, quadrupedumq; & auiũ quicquid esculentum est, extra urbem locis appositis, ubi fluento tabum ac sordes eluantur. Hinc deportãt pecudes occisas, depuratasq; manibus famulorum. nam neq; suos ciues patiũtur assuescere laniatu animalium, cuius usu clementiam, humanissimũ naturæ nostræ affectũ, paulatim deperire putant: neq; sordidum quicquam atq; immundum, cuius putredine corruptus aer morbũ posset inuchere, perferri in urbẽ sinunt. Habet præterea quilibet uicus aulas quasdam capaces, æquali ab sese inuicẽ interuallo distantes, nomine quãq; suo cognitas. Has colũt Syphogrãti, quarũ unicuiq; triginta familię, uidelicet ab utroq; latere quindecim sunt adscriptæ, cibũ ibi sumpturę. Obsonatores cuiusq; aulę certa hora cõueniũt in forum, ac relato suorũ numero cibũ petũt. Sed prima ratio ęgrotorũ habet, qui in publicis hospitijs curant. Nã quatuor habent in ambitu ciuitatis hospitia paulo extra muros, tã capacia, ut totidem oppidulis æquari possint: tũ ut neq; ęgrotorũ numer⁹ quãlibet magn⁹ anguste collocaret, et p hoc incõmodè; tũ quo hi q tali mor-

Clementia.

Aulæ in singulis uicis.

Cura ægrotorum.

morbo tenerentur,cuius contagio ſolet ab alio ad alium ſerpere, longius ab aliorum cœtu ſemoueri poſsint. Hæc hoſpitia ita ſunt inſtructa, atq; omnibus rebus quæ ad ſalutem conferant, referta, tum tam tenera ac ſedula cura adhibetur, tam aſsidua medicorum peritiſsimorum præſentia, ut cùm illuc nemo mittatur inuitus, nemo tamen ferè in tota urbe ſit,qui aduerſa ualetudine laborans,non ibi decumbere, quâm domi ſuæ præferat.Quum ægrotorum obſonator cibos ex medicorum præſcripto receperit, deinceps optima quæq; inter aulas æquabiliter pro ſuo cuiuſq; numero diſtribuũtur: niſi quòd principis,pontificis, & Tranibororum reſpectus habetur, ac legatorum etiam,& exterorum omnium ſi qui ſunt(qui pauci ac rarò ſunt) ſed his quoq; cum adſunt,domicilia certa atq; inſtructa parãtur. Ad has aulas prandij cœnæq; ſtatis horis tota Syphograntia cõuenit, æneæ tubæ clãgore commonefacta, niſi qui aut in hoſpitijs, aut domi decumbunt:quanquã nemo prohibetur,poſtquam aulis eſt ſatisfactũ, è foro domum cibum petere: ſciunt enim neminem id temerè facere. Nã etſi domi prandere nulli uetitum ſit, nemo tamen hoc libenter facit,cum neq; honeſtum habeatur, & ſtultum ſit,deterioris parandi prandij ſumere

Conuiuia cõmunia promiſcuaq;.

mere laborẽ, cum lautum atq; opiparũ præ
ſtò apud aulã tam propinquã ſit. In hac au=
la miniſteria omnia, in quibus paulo plus
ſordis aut laboris eſt, obeũt ſerui. Cæterùm *Fœminæ mi=*
coquendi, parãdiq; cibi officium, & totius *niſtræ in con*
deniq; inſtruendi conuiuij, ſolæ mulieres e= *uiuijs.*
xercent, cuiuſq; uidelicet familiæ per uices.
Tribus pluribúsue mẽſis pro numero con=
uiuarum diſcumbitur. Viri ad parietem, fœ
minæ exterius collocant̃, ut ſi quid his ſubi
ti oboriatur mali (quod uterum gerẽtibus
interdum ſolet accidere) imperturbatis or=
dínibus exurgant, atq; inde ad nutrices ab= *Nutrices.*
eant. Sedent illæ quidẽ ſeorſum cũ lactenti=
bus in cœnaculo quodam, ad id deſtinato,
nunquã ſine foco atque aqua munda, nec
abſq; cunis interim: ut & declinare liceat in
fantulos, & ad ignem cum uelint exemptos
faſcijs liberare, ac ludo reficere. Suæ quæq;
ſoboli nutrix eſt, niſi aut mors aut morbus
impediat. id cum accidit, uxores Syphogrã
torum properè nutricem quęrũt: nec id dif=
ficile eſt. Nam quæ id præſtare poſſunt, nul=
li officio ſeſe offerunt libẽtius, quoniam &
omnes eam miſericordiã laude proſequun
tur: & qui educatur, nutricem parẽtis agno
ſcit loco. In antro nutricum conſidunt pue= *Educatio ſo=*
ri omnes, qui primum luſtrũ non expleue= *bolis.*
re. cæteri impuberes, quo in numero ducũt

quí=

quícunq; ſexus alterius utrius intra nubi-
les annos ſunt, aut miniſtrant diſcumbenti
bus, aut qui per ætatẽ nondũ ualent, adſtãt
tamen, atq; id ſummo cum ſilentio. utrique
quod à ſedentibus porrigitur, eo æſcũtur,
nec aliud diſcretũ prandendi tempus ha-
bent. In medio primæ menſæ (quí ſummus
locus eſt) & cui (nam ea menſa ſuprema in
parte cœnaculi tranſuerſa eſt) totus cõuen-
tus conſpicitur, Syphograntus cum uxore
conſidet. His adiunguntur duo ex natu ma
ximis. Sedent enim per omnes mẽſas qua-
terni. At ſi templum in ea Syphogrãtia ſitũ
eſt, ſacerdos eiuſq; uxor cum Syphogrãto
ſedent, ut præſideant. Ab utraq; parte collo
Iuniores ma- cantur iuniores, pòſt ſenes rurſus: atq; hoc
ioribus ad- pacto per totam domũ & æquales inter ſe
mixti. iunguntur, & diſsimilibus tamen immiſcẽ-
tur: quod ideo ferunt inſtitutũ, ut ſenũ gra-
uitas ac reuerentia (quũ nihil ita in menſa
fieri diciũe poteſt, ut eos ab omni parte uici
nos effugiat) iuniores ab improba uerbo-
rum geſtuumq; licentia cohibeat. Ciborũ
fercula non à primo loco deinceps apponũ
tur, ſed ſenioribus primùm omnibus (quo
Senum habi rum inſignes loci ſunt) optimus quiſq; ci-
ta ratio. bus infertur, deinde reliquis æqualiter mi-
niſtratur. At ſenes lautitias ſuas (quarũ non
tanta erat copia, ut poſſet totam per domũ
affatim

affatim distribui) pro suo arbitratu circũsedentibus impertiũtur. Sic & maioribus natu suus seruatur honos, & commodi tantũdem tamen ad omneis peruenit. Omne prãdium cœnamq; ab aliqua lectione auspicãtur, quæ ad mores faciat, sed breui tamẽ, ne fastidio sit. Ab hac seniores honestos sermones, sed neq; tristes ac infacetos ingerũt. At nec longis logis totum occupant prandiũ, quin audiunt libenter iuuenes quoq;, atq; adeò de industria prouocãr, quo & indolis cuiusq; & ingenij per conuiuij libertatẽ prodenus sese, capiant experimẽtum. Prandia breuiuscula sunt, cœnæ largiores: quòd labori illa, has somnus & nocturna quies excipit, quam illi ad salubrem concoctionẽ magis efficacem putant. Nulla cœna sine musica transigitur: nec ullis caret secunda mensa bellarijs. odores incendunt, & unguenta spargunt, nihilq; non faciunt, quod exhilarare conuiuas possit. sunt enim hanc in partem aliquanto procliuiores, ut nullũ uoluptatis genus, ex quo nihil sequatur incommodi, censeant interdictum. Hoc pacto igitur in urbe conuiuunt: at ruri, qui longius ab sese dissiti sunt, omnes domi quisq; uæ comedunt. nulli enim familiæ quicquã ad uictum deest, quippe à quibus id totum uenit, quo uescantur urbici.

Sermones in conuiuijs.

Musica in conuiuio.

Voluptas innoxia non aspernanda.

DE

DE PEREGRINATIONE VTOPIENSIVM.

AT si quos aut amicorum alia in urbe commorantium, aut ipsius etiam uidendi loci desiderium cœperit, â Syphograntis ac Traniboris suis ueniam facilè impetrant, nisi si quis usus impediat. Mittitur ergo simul numerus aliquis cum epistola principis, quæ & datam peregrinandi copiam testatur, & reditus diem præscribit. Vehiculum datur cum seruo publico, qui agat boues, & curet. cæterũ nisi mulieres in cœtu habeant, uehiculũ uelut onus & impedimentum remittitur. Toto itinere cùm nihil secũ efferant, nihil defit tamen. ubiq; enim domi sunt. Si quo in loco diutius uno die commorentur, suam ibi quisq; artẽ exercet, atq; ab artis eiusdem opificibus humanissimè tractantur. Si semet autore quisquam extra suos fines uagetur, deprehẽsus sine principis diplomate contumelioſè habitus, pro fugitiuo reducitur, castigatus acriter. Idẽ ausus denuò, seruitute plectitur. Quòd si quem libido incessat per suę ciuitatis agros palandi, uenia patris & consentiente coniuge, nõ prohibetur: sed in quodcunq; rus peruenerit, nullus antè cibus datur, quàm antemeridianum operis pensum

sum (aut quantum ante cœnam ibi laborari solet) absoluerit. Hac lege quouis intra suæ urbis fines ire licet. Erit enim nõ minus utilis urbi, quàm si in urbe esset. Iam uideris quàm nulla sit usquam otiandi licentia, nullus inertiæ prætextus, nulla taberna uinaria, nulla ceruisiaria, nusquam lupanar, nulla corruptelæ occasio, nullæ latebræ, cõciliabulum nullum: sed omnium præsentes oculi necessitatem aut consueti laboris, aut ocij non inhonesti faciunt. Quẽ populi morem necesse est omnium rerum copiam sequi. atque ea quum æquabiliter ad omnes perueniat, fit nimirum, ut inops esse nemo, aut mendicus possit. In senatu Amaurotico (quem, uti dixi, terni quotãnis omni ex urbe frequentant) ubi primũ constiterit, quæres quoq; loco abundet, rursum cuius alicubi malignior prouentus fuerit, alterius inopiam, alterius protinus ubertas explet: atque id gratuitò faciunt, nihil uicissim ab his recipientes, quibus donant. Sed quæ de suis rebus uni cuipiam urbi dederint, nihil ab ea repetentes: ab alia, cui nihil impenderunt, quibus egent, accipiunt. Ita tota insula uelut una familia est. At postquam satis prouisum ipsis est (quod non antea factum censent, quàm in biennium propter anni sequentis euentum prospexerint) tum

O sanctã rẽpublicam.

Aequabilitas facit, ut omnibus sufficiat.

Resp. nihil aliud quàm magna quædam familia est.

ex his quæ ſuperſunt, magnam uim frumẽti, mellis, lanæ, lini, ligni, cocci, & conchiliorum, uellerum, ceræ, ſeui, coriĳ, ad hæc animalium quoq; in alias regiones exportant: quarum rerum omnium ſeptimam partem inopibus eius regionis dono dant, reliquã precio mediocri uenditãt. quo ex commercio non eas modò merces, quibus domi egent (nam id ferè nihil eſt præter ferrũ) ſed argenti atque auri præterea magnam uim in patriam reportant. Cuius rei diutina conſuetudine, ſuprà quàm credi poſsit, ubiq; iam earum rerum copia abundant. Itaq; nunc parum penſi habent, præſente'ne pecunia an in diem uendant, multoq; maximam partem habeant in nominibus: in quibus tamen faciendis non priuatorum unquam, ſed confectis ex more inſtrumentis, publicam urbis fidem ſequuntur. Ciuitas ubi ſolutionis dies aduenerit, à priuatis debitoribus exigit creditum, atq; in ærarium redigit, eiusq; pecuniæ, quoad ab Vtopienſibus repetatur, uſura fruitur. Illi maximam partem nunquam repetunt. Nam quæ res apud ſe nullum habet uſum, eam ab his auferri, quibus uſui eſt, haud ęquum cenſent. Cæterùm ſi res ita poſcat, ut eius aliquam partem alĳ populo mutuam daturi ſint, tum demum poſcunt: aut quum bellum

Negociatio Vtopienſiũ.

Qua ratione poſsit eſſe uilis pecunia.

bellum gerendum est. quam in rem unam totum illum thesaurum quem habent, domi seruant, uti aut extremis in periculis, aut in subitis præsidio sit. potissimùm quo milites externos (quos libentius quàm suos ciues obijciunt discrimini) immodico stipendio conducant: gnari multitudine pecuniæ hostes ipsos plerunq; mercabiles, & uel proditione uel infestis etiam signis inter se committi. Hanc ob causam inæstimabilem thesaurum seruant, at non ut thesaurum tamen, sed ita habent, quomodo me narrare profectò deterret pudor, me tuentem ne fidem oratio non sit habitura: quod eo iustius uereor, quo magis mihi sum conscius, nisi uidissem præsens, quàm ægrè potuissem ipse perduci ut alteri idem recensenti crederem. Necesse est enim ferè, quàm quicq; est ab eorum qui audiunt moribus alienum, tam idem procul illis abesse à fide. quanquam prudens rerum æstimator minus fortasse mirabitur, quū reliqua eorū institutа tam longè ab nostris differāt, si argenti quoq; atq; auri usus ad ipsorū potius, quàm ad nostri moris rationem accōmodetur. Nempe quum pecunia non utantur ipsi, sed in eum seruent euentum, qui ut potest usuuenire, ita fieri potest ut nunquam incidat, interim aurum argentumq;

Thesaurū in quos usus seruant.

O *artificem.*

(unde ea fit) ſic apud ſe habent, ut ab nul=
lo pluris æſtimetur, quàm rerum ipſarum
Aurũ ferro uilius. natura meretur: qua quis non uidet, quàm
longè infra ferrum ſunt? ut ſine quo non
herculè magis, quàm abſq; igni atq; aqua
uiuere mortales queant, quum interim au=
ro argentoq; nullum uſum, quo non facilè
careamus, natura tribuerit, niſi hominum
ſtulticia precium raritati feciſſet: quin con=
trà, uelut parens indulgentiſsima, optima
quæq; in propatulo poſuerit, ut aerem, a=
quam, ac tellurem ipſam, longiſsimè uerò
uana ac nihil profutura ſemouerit. Ergo
hæc metalla, ſi apud eos in turrim aliquam
abſtruderentur, princeps ac ſenatus in ſu=
ſpicionem uenire poſſet (ut eſt uulgi ſtulta
ſolertia) ne deluſo per technam populo, i=
pſi aliquo inde commodo fruerentur. Por=
rò ſi phyalas inde, aliaq; id genus opera fa=
brè excuſa conficerent, ſi quando incidiſſet
occaſio, ut conflanda ſint rurſus, atq; in mi=
litum eroganda ſtipendium, uident nimi=
rum fore, ut ægrè patiantur auelli, quæ ſe=
mel in delicijs habere cœpiſſent. His rebus
uti occurrant, excogitauere quandam ra=
tionem, ut reliquis ipſorum inſtitutis con=
ſentaneam, ita ab noſtris (apud quos aurũ
tanti fit, ac tam diligenter conditur) longiſ=
ſimè abhorrentem, eoq; niſi peritis non cre=
dibilem.

dibilem. Nam cùm in fictilibus è terra uitroq; elegãtiſsimis quidem illis, ſed uilibus tamen, edant bibantq;, ex auro atq; argento, non in communibus aulis modò, ſed in priuatis etiam domibus matellas paſsim, ac ſordidiſsima quæq; uaſa conficiunt: ad hæc catenas & craſſas cõpedes, quibus coercent ſeruos, ijſdem ex metallis operantur: poſtremò quoſcunq; aliquod crimen infames facit, ab horum auribus annuli dependent aurei, digitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, & caput denicq; auro uincitur. Ita omnibus curant modis, uti apud ſe aurũ argentumq; in ignominia ſint: atq; hoc pacto fit, ut hæc metalla, quæ cæteræ gentes non minus ferè dolenter ac uiſcera ſua diſtrahi patiuntur, apud Vtopienſes, ſi ſemel omnia res poſtularet efferri, nemo ſibi iacturam unius feciſſe aſsis uideretur. Margaritas præterea legunt in littoribus, quin in rupibus quibuſdam adamãtes, ac pyropos quoq;: neq; tamen quærunt, ſed oblatos caſu perpoliunt. his ornant infantulos, qui ut primis pueritiæ annis, talibus ornamentis gloriantur ac ſuperbiunt: ſic ubi pluſculũ accreuit ætatis, cũ animaduertunt eiuſmodi nugis nõ niſi pueros uti, nullo parentum monitu, ſed ſuomet ipſorum pudore deponunt, nõ aliter ac noſtri pueri,

O magnificã auri contumeliam.

Gemmæ puerorũ deliciæ.

quum grandescunt, nuces, bullas, & pupas abijciunt. Itaq; hæc tam diuersa ab reliquis gentibus instituta, quàm diuersas itidem animorum affectiones pariant, nunquã æquè mihi atq; in Anemoliorum legatis inclaruit. Venerunt hi Amaurotum dum ego aderam: & quoniam magnis de rebus tractatum ueniebant, aduentũ eorum terni illi ciues ex qualibet urbe præuenerant: sed omnes finitimarum gentium legati, qui eò antè appulerant, quibus Vtopiensium perspecti mores erant, apud quos sumptuoso uestitui nihil honoris haberi intelligebant, sericum contemptui esse, aurum etiam infame sciebant, cultu quàm poterãt modestissimo uenire consueuerãt. At Anemolij, quod longius aberant, ac minus cum illis cõmercij habuerant, quum accepissent, eodẽ omnes, eoq; rudi corporis cultu esse, persuasi non habere eos quo non utebantur, ipsi etiam superbi magis quàm sapientes, decreuerunt apparatus elegãtia deos quosdam repræsentare, & miserorum oculos Vtopiẽsiũ ornatus sui splendore prestringere. Itaq; ingressi sunt legati tres cum comitibus centum, omnes uestitu uersicolori, plerisq; serico: legati ipsi (nam domi nobiles erãt) amictu aureo, magnis torquibus & inauribus aureis, ad hæc anulis aureis in manibus,

Elegantissima fabula.

moni-

monilibus insuper appensis in pileo, quæ margaritis ac gemmis affulgebant, omnibus postremò rebus ornati, quæ apud Vtopiẽses aut seruorum supplicia, aut infamiũ dedecora, aut puerorum nugamenta fuere. Itaq; operæprecium erat uidere, quo pacto cristas erexerint, ubi suum ornatũ cum Vtopiensium uestitu (nam in plateis sese populus effuderat) contulere: contraq; nõ minus erat uoluptatis cõsiderare, quàm longè sua eos spes expectatioq; fefellerat, quamq; lõgè ab ea existimatione aberant, quam se cõsecuturos putauerant. Nẽpe Vtopiensiũ oculis omniũ, exceptis perquàm paucis, qui alias gentes aliqua idonea de causa inuiserant, totus ille splendor apparatus pudendus uidebatur, & infimum quenq; pro dominis reuerenter salutãtes, legatos ipsos ex aurearum usu catenarum pro seruis habitos, sine ullo prorsus honore prætermiserunt. Quin pueros quoq; uidisses, qui gemmas ac margaritas abiecerant, ubi in legatorum pileis affixas conspexerunt, compellare matrem ac latus fodere: En mater, quàm magnus nebulo margaritis adhuc & gemmulis utitur, ac si esset paruulus? At parens seriò etiam illa, Tace, inquit, fili, est opinor quispiam è morionibus legatorum. Alij catenas illas aureas repre-

ὦ τεχνίδιον.

hendere, utpote nullius usus, quippe tam graciles, ut eas facilè seruus infringere: tam laxas rursus, uti quũ fuerit libitũ, possit excutere, & solutus ac liber quouis aufugere. Verùm legati, postquã ibi unum atq; alterũ diem uersati, tantam auri uim in tanta uilitate conspexerunt, nec in minore contumelia, quàm apud se honore habitã uidissent, ad hæc in unius fugitiui serui catenas compedesq; plus auri atq; argenti congestum, quàm totus ipsorum triũ apparatus constiterat: subsidentibus pennis omnem illũ cultum, quo sese tam arroganter extulerãt, pudefacti sepposuerunt. Maximè uerò postquã familiarius cum Vtopiensibus collocuti, mores eorum atq; opiniones didicere. mirantur illi siquidem quenquam esse mortalium, quem exiguæ gemmulæ aut lapilli dubius oblectet fulgor, cui quidem stellam aliquam, atque ipsum denique solem liceat intueri: aut quenquam tam insanum esse, ut nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum uideatur: siquidem hanc ipsam (quantumuis tenui filo sit) ouis olim gestauit, nec aliud tamen interim quàm ouis fuit. Mirantur item aurum suapte natura tam inutile, nunc ubique gentium æstimari tanti, ut homo ipse, per quem, atque adeò in cuius usum id precij obtinuit, minoris multo

Dubius dixit, ob gemmas factitias: aut certè dubiũ dixit exiguum ac malignum.

multo quàm aurum ipsum æstimetur, usq; adeò, ut plumbeus quispiam, & cui nõ plus ingenij sit quàm stipiti, nec minus etiam improbus quàm stultus, multos tamen & sapientes & bonos uiros in seruitute habeat, ob id duntaxat, quòd ei magnus contigit aureorum numismatum cumulus, quẽ si qua fortuna, aut aliqua legum stropha (quæ nihil minus ac fortuna ipsa summis ima permiscet) ab hero illo ad abiectissimũ totius familiæ suę nebulonem transtulerit, fit nimirũ paulo pòst, ut in famuli sui famulitium concedat, uelut appendix additamẽtumq; numismatum. Cæterùm multo magis eorũ mirantur ac detestantur insaniam, qui diuitibus illis, quibus neq; debent quicquã, neque sunt obnoxij, nullo alio respectu, quàm quòd diuites sunt, honores tantum non diuinos impẽdunt: idq; cũ eos tam sordidos atq; auaros cognoscunt, ut habeant certo certius, ex tanto nummorũ cumulo, uiuentibus illis, ne unum quidem nummulum unquam ad se uẽturum. Has atq; huiusmodi opiniones partim ex educatione conceperunt, in ea educti Rep. cuius instituta longissimè ab his stulticiæ generibus absunt, partim ex doctrina & literis. Nam etsi haud multi cuiusq; urbis sunt, qui cæteris exonerati laboribus soli disciplinę deputantur, hi

Quãto plus sapiunt Vtopiani, quàm Christianorum uulgus.

uidelicet, in quibus à pueritia egregiam indolem, eximium ingenium, atq; animũ ad bonas artes propensum deprehendêre: tamen omnes pueri literis imbuuntur, & populi bona pars, uiri fœminæq;, per totã uitã horas illas quas ab operibus liberas esse diximus, in literis collocant. Disciplinas ipsorum lingua perdiscunt. est enim neq; uerborum inops, nec insuauis auditu, nec ulla fidelior animi interpres est. eadem ferè (nisi quod ubiq; corruptior, alibi aliter) magnã eius orbis plagã peruagatur. Ex omnibus his philosophis, quorũ nomina sunt in hoc noto nobis orbe celebria, ante nostrum aduentũ ne fama quidem cuiusquam eò peruenerat, & tamen in musica dialecticaq;, ac numerandi & metiendi scientia, eadẽ ferè, quæ nostri illi ueteres, inuenêre. Cęterùm ut antiquos omnibus propè rebus exęquant, ita nuperorum inuentis dialecticorum longè sunt impares. Nam ne ullam quidem regulam inuenerunt earũ, quas de restrictionibus, amplificationibus, ac suppositionibus acutissimè excogitatis in paruis logicalibus, passim hic edisc ũt pueri. Porrò secundas intentiones tam longè abest ut inuestigare suffecerint, ut nec hominẽ ipsum in cõmuni quem uocant, quanquã (ut scitis) planè colossum, & quouis Gigante maiorem,

Studia & disciplinæ Vtopiensium.

Subest nasus.

tum

tũ à nobis præterea digito demõstratũ, nemo tamẽ eorum uidere potuerit. At sunt in astrorum cursu, & cœlestium orbium motu peritissimi. Quin instrumenta quoq; diuersis figuris solerter excogitarunt, quibus solis ac lunæ, & cæterorum item astrorũ, quæ in ipsorũ horizonte uisuntur, motiones ac situs exactissimè comprehensos habent. Cæterùm amicitias atq; errantium dissidia syderum, ac totã denicq; illã ex astris diuinandi impostu ram ne somniant quidẽ. Imbres, uentos, ac cæteras tẽpestatũ uicissitudines: signis quibusdã longo perspectis usu præsentiũt. Sed de causis earum rerũ omniũ, & de fluxu maris eiusq; salsitate, & in summa de cœli mundiq; origine ac natura, partim eadẽ quę ueteres philosophi nostri disserũt, partim ut illi inter se dissident: ita hi quoq; dum nouas rerũ rationes afferunt, ab omnibus illis dissentiunt, nec inter se tamẽ usquequaq; conueniunt. In ea philosophiæ parte, qua de moribus agit, eadẽ illis disputantur, quæ nobis, de bonis animi quærunt & corporis, & externis: tum ũtrũ boni nomen omnibus his, an solis animi dotibus conueniat. De uirtute differunt ac uoluptate: sed omniũ prima est ac princeps controuersia, quã nam in re, una pluribusue sitã hominis fœlicitatẽ putent. At hac in re propensiores

Astrologia.

Physica omnium incertissima.

Ethica.

Ordo bonorum.

æquo

æquo uidentur in factionem uoluptatis aſſertricem, ut qua uel totam, uel potiſsimam fœlicitatis humanæ partem definiãt. Et quo magis mireris, ab religiõe quoque (quæ grauis & ſeuera eſt, fereq; triſtis & rigida) petũt tamen ſententiæ tam delicatæ patrociniũ. Neque enim de fœlicitate diſceptãt unquã, quin principia quædam ex religione depropta, tũ philoſophia, quæ rationibus utitur, cõiungant, ſine quibus ad ueræ fœlicitatis inueſtigationem, mancam atque imbecillam per ſe rationem putant. Ea principia ſunt huiuſmodi. Animam eſſe immortalẽ, ac Dei beneficentia ad fœlicitatem natã: uirtutibus ac benefactis noſtris præmia poſt hãc uitam, flagitijs deſtinata ſupplicia. Hæc, tametſi religionis ſint, ratione tamen cẽſent ad ea credenda & cõcedenda perduci: quibus ẽ medio ſublatis, ſine ulla cunctatione pronunciant, neminem eſſe tam ſtupidum, qui nõ ſentiat, petendam ſibi per fas ac nefas uoluptatem, hoc tantum caueret, ne minor uoluptas obſtet maiori, aut eam perſequatur, quam inuicem retaliet dolor. Nam uirtutem aſperam ac difficilem ſequi, ac nõ abigere modò ſuauitatem uitæ, ſed dolorẽ etiam ſpõte perpeti, cuius nullum expectes fructũ (quis enim poteſt eſſe fructus, ſi poſt mortem nihil aſſequeris, quum hanc uitam totam

Principia philoſophiæ è religiõe petenda.

Theologia Vtopiẽſium.

Animorum immortalitas.

totam insuauiter, hoc est, miserè traduxeris) id uerò dementissimum ferunt. Nunc uerò non in omni uoluptate fœlicitatẽ, sed in bona atq; honesta, sitam putãt. Ad eam enim, uelut ad summum bonum, naturam nostrã ab ipsa uirtute pertrahi, cui sola aduersa factio fœlicitatem tribuit. Nempe uirtutẽ definiunt, secundum naturam uiuere. ad id siquidem à Deo institutos esse nos. Eum uerò naturæ ductum sequi, quisquis in appetendis fugiendisq; rebus obtemperat rationi. Rationem porrò mortales primum omniũ in amorem ac ueneratione diuinæ maiestatis incendere, cui debemus & quòd sumus, & quòd compotes esse fœlicitatis possumus: secũdum id commonet atq; excitat nos, ut uitam quàm licet minimè anxiam, ac maximè lætam ducamus ipsi, cæterisq; omnibus ad idem obtinendum adiutores nos pro naturæ societate præbeamus. Neq; enim quisquam unquam fuit tam tristis ac rigidus assecla uirtutis, & osor uoluptatis, qui ita labores, uigilias, & squalores indicat tibi, ut non idem aliorum inopiam atq; incommoda leuare te pro tua uirili iubeat, & id laudandum humanitatis nomine censeat, hominem homini saluti ac solatio esse: si humanũ est, maximè (qua uirtute nulla est homini magis propria) aliorũ mitigare molestiam,

Virtus.

Homini maximè ppriũ.

lestiam, & sublata tristitia uitæ iucunditati, hoc est, uoluptati reddere. Quid ni natura quenq; instiget, ut sibimet idem præstet: Nã aut mala est uita iucunda, id est, uoluptuaria. quod si est, non solùm neminem ad eam debes adiutare, sed omnibus, utpote noxiã ac mortiferam, quãtum potes adimere: aut si conciliare alijs eam, ut bonã, non licet modò, sed etiam debes, cur non tibi in primis ipsi: cui non minus propitium esse te, quàm alijs decet. Neque enim quum te natura moneat, uti in alios bonus sis: eadem te rursus iubet, in temet sæuum atque inclementem esse. Vitam ergo iucundam, inquiunt, id est, uoluptatem, tãquam operationum omniũ finem, ipsa nobis natura præscribit: ex cuius præscripto uiuere, uirtutem definiũt. At quũ natura mortales inuitet ad hilarioris uitæ mutuum subsidium (quod certè meritò facit. neque enim tam supra generis humani sortem quisquã est, ut solus naturæ curæ sit, quæ uniuersos ex æquo fouet, quos eiusdẽ formę communione complectitur) eadẽ te nimirum iubet etiam atq; etiã obseruare, ne sic tuis commodis obsecundes, ut aliorum procures incommoda. Seruanda igitur censent non inita solùm inter priuatos pacta, sed publicas etiam leges, quas aut bonus princeps iustè promulgauit, aut populus

Pacta & leges.

nec

nec oppressus tyrãnide, nec dolo circũscriptus, de partiendis uitæ commodis, hoc est, materia uoluptatis, communi cõsensu sanxit. His inoffensis legibus tuum curare commodum, prudentia est: publicum præterea, pietatis. Sed alienam uoluptatem præreptũ ire, dum consequare tuam, ea uerò iniuria est: cõtrà tibi aliquid ipsi demere, quod addas alijs, id demum est humanitatis ac benignitatis officium: quod ipsum nunquam tantũ aufert cõmodi, quantum refert. Nam & beneficiorum uicissitudine pensatur, & ipsa benefacti conscientia, ac recordatio charitatis eorũ & beneuolentiæ, quibus benefeceris, plus uoluptatis affert animo, quàm fuisset illa corporis qua abstinuisti. Postremò (quod facilè persuadet animo libenter assentienti religio) breuis & exiguę uoluptatis uicem, ingenti ac nunquã interituro gaudio rependit Deus. Itaq; hoc pacto censent, & excussa sedulò & perpẽsa re, omnes actiones nostras, atq; in his uirtutes etiam ipsas, uoluptatem tandem uelut finem fœlicitatemq; respicere. Voluptatẽ appellãt omnẽ corporis animiue motum statumq;, in quo uersari natura duce delectet. Appetitionem naturę nõ temerè addũt. Nam ut quicquid natura iucũdũ est, ad qd' neq; per iniuriã tẽditur, nec iucũdi° aliud admittit, nec labor succedit,

Officia uitæ mutua.

Voluptas quid.

cedit, non ſenſus modò, ſed recta quoq; ra=
Falſæ uolu= tio perſequitur: ita quæ præter naturam dul
ptates. cia ſibi mortales uaniſsima conſpiratione confingunt (tanquam in ipſis eſſet perinde res ac uocabula commutare) ea omnia ſta/ tuunt, adeò nihil ad fœlicitatẽ facere, ut plu rimũm officiant etiam, uel eo quòd quibus ſemel inſederunt, ne ueris ac genuinis oble= ctamentis uſquam uacet locus, totum pror ſus animum falſa uoluptatis opinione pre/ occupant. Sunt enim perquàm multa, quæ quum ſuapte natura nihil contineant ſuaui tatis, imò bona pars amaritudinis etiã plu= rimum peruerſa, tum improbarum cupidi= tatum illecebra, non pro ſummis tantũ uo= luptatibus habeantur, uerum etiã inter pre= cipuas uitæ cauſas numerentur. In hoc adul terinæ uoluptatis genere eos collocãt, quos antè memoraui, qui quo meliorem togam habent, eo ſibi meliores ipſi uidentur: qua
Error eorũ una in re bis errant. Neq; enim minus falſi
qui ſibi ob/ ſunt, quòd meliorem putant togam ſuam,
cultũ placẽt. quàm quòd ſe. Cur enim ſi ueſtis uſum ſpe= ctes, tenuioris fili lana præſtat craſsiori? at illi tamen tanquam natura non errore præ= cellerent, attollunt criſtas, & ſibimet quoq; preciſ credunt inde nonnihil accedere: eoq; honorẽ, quẽ uilius ueſtiti ſperare non eſſent auſi, elegantiori togæ uelut ſuo iure exigũt,

& prætermiſsi negligentius indignantur. At hoc ipſum quoq; , uanis & nihil profuturis honoribus affici, an non eiuſdem inſcitiæ eſt? Nam quid naturalis & ueræ uoluptatis affert nudatus alteri⁹ uertex, aut curuati poplites? hoccine tuorũ poplitum dolori medebitur? aut tui capitis phreneſin leuabit? In hac fucatæ uoluptatis imagine, mirũ quàm ſuauiter inſaniunt ij, qui nobilitatis opinione ſibi blandiuntur ac plaudũt, quòd eiuſmodi maioribus naſci contigerit, quorum longa ſeries diues (neque enim nũc aliud eſt nobilitas) habita ſit, præſertim in prędijs: nec pilo quidẽ minus ſibi nobiles uidẽtur, etiam ſi maiores nihil inde reliquerint, aut relictum ipſi abligurierint. His adnumerãt eos, qui gẽmis ac lapillis (ut dixi) capiũtur, ac dij quodãmodo ſibi uidentur facti, ſi quãdo eximium aliquem conſequãtur, eius præſertim generis, quod ſua tempeſtate maximo apud ſuos ęſtimet. neq; enim apud omnes, neq; omni tempore, eadem genera ſunt in precio. Sed nec niſi exemptũ auro, ac nudũ comparãt: imò ne ſic quidem, niſi adiurato uenditore, & præſtanti cautionem, ueram gemmam, ac lapidem uerum eſſe, tam ſolliciti ſunt, ne oculis eorum ueri loco adulterinus imponat. At ſpectaturo tibi cur minus præbeat oblectamenti factitius, quem tuus

Stulti honores.

Vana nobilitas.

Stultißima uoluptas ex gemmis.

oculus non discernit à uero: uterq; ex æquo ualere debet, tibi non minus hercle, quàm cæco. Quid hi qui superfluas opes adseruãt, ut nullo acerui usu, sed sola contemplatione delectentur, num ueram percipiunt, an falsa potius uoluptate luduntur? aut hi qui diuerso uitio aurum, quo nũquam sint usuri, fortasse nec uisuri amplius, abscondunt, & soliciti ne perdant, perdunt. quid enim aliud est ubibus demptum tuis, & omniũ fortasse mortaliũ telluri reddere? & tu tamẽ abstruso thesauro, uelut animi iam securus lætitia gestis: quem si quis furto sustulerit, cuius tu ignarus furti, decem pòst annis obieris, toto illo decennio, quo subtractæ pecuniæ superfuisti, quid tua retulit, surreptum an saluum fuisse? utroq; certè modo tantundem usus ad te peruenit. Ad has tã ineptas lætitias, aleatores (quorum insaniam auditu, non usu cognouere) uenatores præterea, atq; aucupes adiungunt. Nam quid habet, inquiunt, uoluptatis, talos in alueum projicere, quod toties feciſti, ut si quid uoluptatis ineſſet, oriri tamen potuiſſet ex frequenti usu satietas? aut quæ suauitas esse potest, ac non fastidium potius, in audiendo latratu atq; ululatu canum? aut qui maior uoluptatis sensus est, cũ leporẽ canis insequit, quàm quum canis canem? nempe idem utrobiq; agitur:

Opũ coacervatores.

Mira fictio et aptißima.

Alea.

Venatio.

agitur: accurritur enim, si te cursus oblectet. At si te cædis spes, laniatus expectatio sub oculis peragendi retinet: misericordiam potius mouere debet, spectare lepusculum à cane, imbecillum à ualidiore, fugacem ac timidum à feroce, innoxiũ deniq; à crudeli discerptum. Itaq; Vtopienses totũ hoc uenandi exercitium, ut rem liberis indignam, in lanios (quam artẽ per seruos obire eos supra diximus) reiecerunt. infimã enim eius partem esse uenationem statuunt, reliquas eius partes & utiliores & honestiores, ut quæ & multo magis conferant, & animalia necessitatis duntaxat gratia perimant: quum uenator ab miseri animalculi cæde ac laniatu, nihil nisi uoluptatem petat. Quam spectandæ necis libidinem in ipsis etiam bestijs, aut ab animi crudelis affectu censent exoriri, aut in crudelitatem deniq; assiduo tam efferæ uoluptatis usu defluere. Hęc igitur & quicquid est eiusmodi (sunt enim innumera) quanquã pro uoluptatibus mortaliũ uulgus habeat, illi tamen, quũ natura nihil insit suaue, planè statuunt, cũ uera uoluptate nihil habere cõmercij. Nam quod uulgò sensum iucunditate perfundunt (quod uoluptatis opus uidetur) nihil de sententia decedũt. nõ enim ipsius rei natura, sed ipsorum peruersa consuetudo in causa est, cuius uitio fit,

Citta in grauidis.

ut amara pro dulcibus amplectantur: non aliter ac mulieres grauidæ picem & ſeuum corrupto guſtu, melle mellitius arbitrãtur. Nec cuiuſquam tamen aut morbo aut conſuetudine deprauatum iudiciũ mutare naturam, ut non aliarum rerum, ita nec uoluptatis poteſt. Voluptatum, quas ueras fatentur, ſpecies diuerſas faciunt. Siquidem alias animo, corpori alias tribuunt. Animo dant intellectum, eamq; dulcedinem, quã ueri contemplatio pepererit. Ad hæc ſuauis additur bene actæ uitæ memoria, & ſpes nõ dubia futuri boni. Corporis uoluptatem in duas partiuntur formas, quarum prima ſit ea, quæ ſenſum perſpicua ſuauitate perfundit: quod aliàs earum inſtauratione partiũ fit, quas inſitus nobis calor exhauſerit. nã hæ cibo potuq; redduntur: aliàs dum egeruntur illa, quorum copia corpus exuberat. hæc ſuggeritur, dum excrementis inteſtina purgamus, aut opera liberis datur, aut ullius prurigo partis fricțu ſcalptúue lenitur. Interdum uerò uoluptas oritur, nec reddítura quicquam quod membra noſtra deſiderent, nec adẽptura quo laborent, cæterûm quæ ſenſus noſtros tamen ui quadam occulta, ſed illuſtri motu titillet afficiatq;, & in ſe conuertat, qualis ex muſica naſcitur. Alteram corporeæ uoluptatis formam

Veræ uoluptatis ſpecies.

Voluptates corporis.

mam eam uolunt esse, quæ in quieto atque æquabili corporis statu cõsistat: id est nimirum sua cuiusque nullo interpellata malo sanitas. Hæc siquidem si nihil eam doloris oppugnet, per se ipsa delectat, etiam si nulla extrinsecus adhibita uoluptate moueatur. Quanquam enim sese minus effert, minusq; offert sensui, quàm tumida illa edendi bibendiq; libido, nihilo tamẽ secius multi eam statuunt uoluptatum maximam, omnes ferè Vtopienses magnam & uelut fundamentum omnium ac basim fatentur, ut quæ uel sola placidam & optabilem uitæ conditionem reddat, & qua sublata nullus usquam reliquus sit cuiquam uoluptati locus. Nam dolore prorsus uacare, nisi adsit sanitas, stuporem certè, non uoluptatem uocant. Iam dudum explosum est apud eos decretum illorum, qui stabilem ac tranquillam sanitatem (nam hæc quoque quæstio grauiter apud eos agitata est) ideo non habendam pro uoluptate censebant, quòd præsentem non posse dicerent, nisi motu quopiam extrario sentiri. Verùm contrà nunc in hoc propè uniuersi conspirant, sanitatem uel in primis uoluptati esse. Etenim quum in morbo, inquiunt, dolor sit, qui uoluptati implacabilis hostis est, non aliter ac sanitati morbus: quid ni uicissim insit sa-

Valeat possessor oportet.

Sanitas.

nitatis trãquillitati uoluptas? nihil enim ad hanc rem referre putant, seu morbus dolor esse, seu morbo dolor inesse dicatur. tantundem enim utroq; modo effici. Quippe si sanitas aut uoluptas ipsa sit, aut necessariò uoluptatẽ pariat, uelut calor igni gignitur: nimirum utrobiq; efficitur ut quibus immota sanitas adest, his uoluptas abesse nõ possit. Præterea dũ uescimur, inquiunt, quid aliud quàm sanitas, quæ labefactari cœperat, aduersus esurientem (cibo commilitone) depugnat, in qua dum paulatim inualescit, ille ipse profectus ad solitum uigorem, suggerit illam, qua sic reficimur, uoluptatem. Sanitas ergo, quæ in conflictu lætatur, eadem non gaudebit adepta uictoriam? sed pristinum robur, quod solum toto conflictu petierat, tandem fœliciter assecuta, protinus obstupescet? nec bona sua cognoscet atque amplexabitur? Nam quòd non sentiri, sanitas dicta est, id uerò perquàm procul à uero putant. Quis enim uigilans, inquiunt, sanũ esse se non sentit, nisi qui non est? quem ne tantus aut stupor, aut lethargus adstringit, ut sanitatem non iucundam sibi fateatur, ac delectabilẽ? At delectatio quid aliud, quàm alio nomine uoluptas est? Amplectuntur ergo in primis animi uoluptates (eas enim primas omnium principesq; ducunt) quarum

rum potissimam partem censent ab exercitio uirtutum bonæq; uitæ conscientia proficiscì. Earum uoluptatum quas corpus suggerit, palmam sanitati deferunt. Nam edendi bibendiq; suauitatem, & quicquid eandem oblectamẽti rationem habet, appetenda quidem, sed non nisi sanitatis gratia statuunt. Neque enim per se iucunda esse talia, sed quatenus aduersæ ualetudini clanculũ surrepenti resistunt: ideoq; sapienti, sicuti magis deprecandos morbos, quàm optandam medicinam, & dolores profligandos potius, quàm adsciscenda solatia: ità hoc quoque uoluptatis genere nõ egere, quàm deliniri præstiterit. quo uoluptatis genere si quisquã se beatum putet, is necesse est fateatur se tum demum forè fœliciſsimum, si ea uita contigerit, quæ in perpetua fame, siti, pruritu, esu, potatione, scalpru, frictuq; traducatur: quæ quàm non fœda solùm, sed misera etiam sit, quis non uidet? Infimæ profectò omnium hæ uoluptates sunt, ut minimè sinceræ. neque enim unquam subeunt, nisi contrarijs coniunctæ doloribus: nempe cum edendi uoluptate copulatur esuries, idq; non satis æqua lege. Nam ut uehementior, ita longior quoque dolor est: quippe & ante uoluptatem nascitur, & nisi uoluptate unà commoriente non

extinguitur. Huiuſmodi ergo uoluptates, niſi quatenus expedit neceſsitas, haud magni habendas putant. Gaudent tamen etiã his, gratiq; agnoſcunt naturæ parentis indulgentiam, quę fœtus ſuos ad id, quod neceſsitatis cauſa tam aſsiduè faciũdum erat, etiam blandiſsima ſuauitate pelliceat. Quãto enim in tædio uiuendum erat, ſi ut cæteræ ægritudines quæ nos infeſtant rarius, ita hi quoque quotidiani famis ac ſitis morbi, uenenis ac pharmacis amaris eſſent abigendi? At formam, uires, agilitatem, hæc ut propria iucundaq; naturæ dona libenter fouent. Quin eas quoq; uoluptates, quæ per aures, oculos ac nares admittũtur, quas natura proprias ac peculiares eſſe homini uoluit (neq; enim aliud animãtium genus, aut mundi formam pulchritudinemq; ſuſpicit, aut odorum, niſi ad cibi diſcrimẽ, ulla commouetur gratia, neq; conſonas inter ſe, diſcordesq; ſonorum diſtantias internoſcit) & has inquã, ut iucunda quædam uitæ condimenta perſequuntur. In omnibus autem hunc habẽt modũ, ne maiorẽ minor impediat, neu dolorẽ aliquãdo uoluptas pariat: quod neceſſariò ſequi cenſent, ſi inhoneſta ſit. At certè formæ decus cõtẽnere, uires detererе, agilitatẽ in pigritiã uertere, corpus exhaurire ieiunijs, ſanitati iniuriã facere, & cæ

tera

tera naturę blandimenta reſpuere, niſi quis hæc ſua commoda negligat, dum aliorum publicamue ardẽtius procurat, cuius laboris uice maiorem à Deo uoluptatem expectet: alioquin ob inanem uirtutis umbram, nullius bono ſemet affligere, uel quo aduerſa ferre minus moleſtè poſsit, nũquam fortaſſe uentura: hoc uerò putant eſſe dementiſsimũ, animiq; & in ſe crudelis, & erga naturam ingratiſsimi, cui, tanquam debere quicquam dedignetur, omnibus eius beneficijs renunciat. Hæc eſt eorum de uirtute ac uoluptate ſententia, qua niſi ſanctius aliquid inſpiret homini cœlitùs immiſſa religio, nullam inueſtigari credunt humana ratione ueriorem: qua in re recte ne an ſecus ſentiant, excutere nos neq; tempus patitur, neq; neceſſe eſt: quippe qui narranda eorũ inſtituta, nõ etiã tuenda ſuſcepimus. Cæterùm hoc mihi certè perſuadeo, utut ſeſe habeant hæc decreta, nuſquam neq; præſtantiorem populum, neq; fœliciorẽ eſſe remp. Corpore ſunt agili uegetoq;, uiriũ amplius quàm ſtatura promittat, nec ea tamen improcera. Et quum neq; ſolo ſint uſquequaque fertili, nec admodum ſalubri cœlo, aduerſus aerem ita ſeſe temperãtia uictus muniunt, terræ ſic medentur induſtria, ut nuſquam gentium ſit frugis pecorisq; prouen-

Vtopienſiũ ac terræ ipſorum deſcriptio.

tus uberior, aut hominum uiuaciora corpora, pauciorib⁹q; morbis obnoxia. Itaq; non ea modò, quæ uulgò faciunt agricolæ, diligenter ibi administrata conspicias, ut terram naturà maligniorem, arte atque opera iuuent, sed populi manibus alibi radi citùs euulsam syluam, alibi cõsitam uideas: qua in re habita est non ubertatis, sed uectu ræ ratio, ut essent ligna aut mari, aut fluuijs, aut urbib⁹ ipsis uiciniora minore enim cũ labore terrestri itinere fruges, quàm ligna longius afferuntur. Gens facilis ac faceta, sollers, ocio gaudens, corporis laborum (quũ est usus) satis patiens, cæterùm aliàs haudquaquam sanè appetens, animi studijs infatigata. qui quum à nobis accepissent de literis & disciplina Græcorum (nam in Latinis præter historias ac Poetas, nihil erat quod uidebantur magnopere probaturi) mirum quanto studio contenderunt, ut eas liceret ipsis nostra interpretatione perdiscere. Cœpimus ergo legere, magis adeò primùm, ne recusare laborẽ uideremur, quàm quòd fructum eius aliquem speraremus. At ubi paulum processimus, ipsorum diligentia fecit, ut nostram haud frustra impendendam animo statim perciperemus. Siquidem literarum formas tam facilè imitari, uerba tam expeditè pronunciare, tam celeriter

Docilitas Vtopiensium mira.

riter mandare memoriæ, & tanta cum fide reddere cœperunt, ut nobis miraculi esset loco: nisi quòd pleraq; pars eorum, qui nõ sua solum sponte accensi, uerùm senatus quoq; decreto iussi, ista sibi discenda sumpserũt. E numero scholasticorum selectissimis ingenijs, & matura ætate fuerunt. Itaq; minus quàm triennio nihil erat in lingua, quod requirerẽt, bonos autores, nisi obstet libri menda, inoffensè perlegerent. Eas literas, ut equidem conijcio, ob id quoq; facilius arripuerunt, quòd nonnihil illis essent cognatæ. Suspicor enim eam gentem à Græcis originẽ duxisse, propterea quòd sermo illorum cæterà ferè Persicus, nonnulla Græci sermonis uestigia seruet in urbium ac magistratuum uocabulis. Habent ex me (nam librorum farcinam mediocrẽ loco merciũ quartò nauigaturus in nauẽ conieci, quòd mecum planè decreueram, nunquam potius redire, quàm citò) Platonis opera pleraq;, Aristotelis plura, Theophrastum item de plantis, sed pluribus, quod doleo, in locis mutilum. In librum enim, dum nauigabamus, negligentius habitum, cercopithecus inciderat, qui lasciuiens ac ludibundus, paginas aliquot hinc atq; inde euulsas lacerauit. Ex his qui scripsere grammaticam, Lascarem habẽt tantum. Theodorum enim

At nunc stipites & caudices dicantur literis, felicissima ingenia uoluptatibus corrumpuntur.

Quibus libris utantur.

enim non aduexi mecum, nec Dictionariū aliquem præter Heſychium, ac Dioſcoridē. Plutarchi libellos habēt chariſsimos, & Lu ciani quoq; facetijs ac lepore capiuntur. Ex Poetis habent Ariſtophanem, Homerum, atq; Euripidem, tum Sophoclem minuſculis Aldi formulis. Ex hiſtoricis Thucydidē atq; Herodotum, necnō Herodianū. Quin in re medica quoq; ſodalis meus Tricius Apinatus aduexerat ſecum parua quædam Hippocratis opuſcula, ac Microtechnē Galeni, quos libros magno in precio habent: ſiquidem etſi omnium ferè gentium re medica minimè egent, nuſquam tamē in maiore honore eſt, uel eo ipſo, quòd eius cognitionem numerant inter pulcherrimas atq; utiliſsimas partes philoſophiæ: cuius ope philoſophiæ dū Naturæ ſecreta ſcrutantur, uidentur ſibi non ſolūm admirabilem inde uoluptatem percipere, ſed apud autorē quoq; eius atq; opificem ſummā inire gratiam. Quæ cæterorum more artificum, arbitrantur, mundi huius uiſendam machinā homini (quem ſolum tantæ rei capacem fecit) expoſuiſſe ſpectādam, eoq; chariorem habere curioſum ac ſolicitum inſpectorem, operiſq; ſui admiratorē, quàm eum, qui uelut animal expers mentis, tantū ac tam mirabile ſpectaculū ſtupidus immotusq; neglexe-

Medicinæ ſtudium.

Contemplatio naturæ.

glexerit. Vtopiẽſium itaq; exercitata literis ingenia mirè ualẽt ad inuentiones artium, quæ faciant aliquid ad commodæ uitæ cõpendia: ſed duas tamen debẽt nobis, Chalcographorum, & faciendæ chartæ: nec ſolis tamen nobis, ſed ſibi quoq; bonã eius partem. Nam quum oſtenderemus eis libris chartaceis impreſſas ab Aldo literas, & de chartæ faciendæ materia, ac literas imprimendi facultate loqueremur, aliquid magis quàm explicaremus (neq; enim quiſquam erat noſtrûm qui alterutrã calleret) ipſi ſtatim acutiſsimè coniecerunt rem, & quum antè pellibus, corticibus, ac papyro tantum ſcriberent, iam chartam illicò facere, & literas imprimere tentarunt: quæ cùm primò non ſatis procederẽt, eadem ſæpius experiendo, breui ſunt utrunq; conſecuti, tantumq; effecerunt, ut ſi eſſent Græcorum exemplaria librorum, codices deeſſe non poſſent. At nũc nihil habẽt amplius, quâm â me commemoratum eſt: id uerò quod habent impreſsis iam libris, in multa exemplariorum millia propagauere. Quiſquis eò ſpectandi gratia uenerit, quem inſignis aliqua dos ingenij, aut longa peregrinatione uſum, multarum cognitio terrarum cõmendet (quo nomine gratus fuit noſter appulſus) pronis animis excipitur. quippe libenter

benter audiũnt, quid ubiq; terrarum gera= tur. Cæterùm mercandi gratia non admo= dum frequenter appellitur. Quid enim fer= rent, nisi aut ferrum, aut quod quisq; refer= re mallet, aurum argentumue? Tum quæ ex ipsis exportanda sint, ea consultius putant ab se efferri, quàm ab alijs illinc peti, quo & exteras undiq; gentes exploratiores habe= ant, neq; maritimarum rerum usum ac pe= ritiam oblitum eant.

DE SERVIS.

Vtopiensiũ serui, & eo= rum tracta= tio.

PRo seruis neq; bello captos habent ni si ab ipsis gesto, neq; seruorum filios, neq; deniq; quenquam, quem apud alias gentes seruientem possent compara= re: sed aut si cuius apud se flagitium in serui tium uertitur, aut quos apud exteras urbes (quod genus multo frequẽtius est) admis= sum facinus destinauit supplicio. Eorum e= nim multos, interdum æstimatos uili, sæ= pius etiam gratis impetratos auferũt. Hæc seruorum genera nõ in opere solùm perpe= tuo, uerumetiam in uinculis habẽt, sed suos durius: quos eo deploratiores, ac deteriora meritos exempla censent, quòd tam præcla ra educatione ad uirtutem egregiè instru= cti, contineri tamen ab scelere non potue= rint.

rint. Aliud seruorum genus est, quum alterius populi mediastinus quispiam laborio sus ac pauper elegerit apud eos sua sponte seruire. Hos honestè tractant, ac nisi quòd laboris, utpote consuetis, imponitur plusculum, non multo minus clementer ac ciues habent. uolentem discedere (quod non sæpe fit) nec retinẽt inuitum, nec inanem dimittunt. Aegrotantes, ut dixi, magno cũ affectu curãt, nihilq; prorsus omittũt, quo sanitati eos uel medicinæ, uel uictus obseruatione restituant. Quin insanabili morbo laborantes, assidendo, colloquendo, adhibendo demum quæ possunt leuamenta, solantur. Cæterùm si non immedicabilis modò morbus sit, uerumetiam perpetuò uexet atq; discruciet, tum sacerdotes ac magistratus hortantur hominem: quandoquidem omnibus uitæ munijs impar, alijs molestus ac sibi grauis morti iam suæ superuiuat: ne secum statuat pestem diutius ac luem alere, neue quum tormentum ei uita sit, mori dubitet, quin bona spe fretus, acerba illa uita uelut carcere atque eculeo, uel ipse semet eximat, uel ab alijs eripi se sua uoluntate patiatur: hoc illum quum non commoda, sed supplicium abruptu rus morte sit, prudẽter facturum: quoniam uerò sacerdotũ in ea re consilijs, id est, interpretum

Mors sponta nea.

pretum Dei, sit obsecuturus, etiam piè sanctéq; facturũ. Hæc quibus persuaserint, aut inedia sponte uitam finiunt, aut sopiti sine mortis sensu soluuntur. Inuitum uerò nemi nem tollũt, nec officij erga eum quicquam imminuunt, persuasos hoc pacto defungi honorificum. Alioqui qui mortem sibi con sciuerit, causa non probata sacerdotibus & senatui, hunc neq; terra neq; igne dignãtur, sed in paludem aliquam turpiter insepul=

De cõiugijs. tus abijcitur. Fœmina non ante annũ duo= deuicesimum nubit. Mas non nisi expletis quatuor etiam amplius. Ante cõiugiũ mas

Scortationis pœna. aut fœmina si conuincatur furtiuæ libidi= nis, grauiter in eum eamue animaduerti= tur, coniugioq; illis in totum interdicitur, nisi uenia principis noxam remiserit: sed & pater materq; familiâs, cuius in domo ad= missum flagitium est, tanquam suas partes parum diligenter tutati, magnæ obiacent infamiæ. Id facinus ideo tam sæuerè uindi= cant, quòd futurum prospiciunt, ut rari in coniugalem amorem coalescerent, in quo ætatem omnem cum uno uideant exigen= dam, & perferendas insuper, quas ea res af= fert, molestias, nisi à uago concubitu diligẽ= ter arceantur. Porrò in deligendis coniugi= bus ineptissimum ritum (uti nobis usum est) adprimeq; ridiculum, illi seriò ac sęuerè obser=

obſeruant. Mulierem enim, ſeu uirgo ſeu uidua ſit, grauis & honeſta matrona procō nudam exhibet, ac probus aliquis uir uicissim nudum puellæ procum ſiſtit. Hunc morem quum uelut ineptum ridentes improbaremus, illi contrà cæterarum omniū gentium inſignē demirari ſtultitiam, qui cum in equuleo comparando, ubi de paucis agitur nummis, tam cauti ſint, ut quamuis ferè nudum, niſi detracta ſella tamen, omnibusq; reuulſis ephippijs recuſent emere, ne ſub illis operculis hulcus aliquod deliteſceret: in deligenda coniuge, qua ex re aut uoluptas, aut nauſea ſit totam per uitam comitatura, tam negligenter agāt, ut reliquo corpore ueſtibus obuoluto, totam mulierē uix ab unius palmæ ſpacio (nihil enim præter uultum uiſitur) æſtiment, adiungantq; ſibi non abſq; magno (ſi quid offendat poſtea) malè cohærendi periculo. Nam necq; omnes tam ſapientes ſunt, ut ſolos mores reſpiciant, & in ipſorum quoq; ſapientum cōiugijs, ad animi uirtutes nonnihil additamenti, corporis etiā dotes adijciunt: certè tā fœda deformitas latēre ſub illis poteſt inuolucris, ut alienare prorſus animū ab uxore queat, cū corpore iam ſeiungi non liceat: qualis deformitas, ſi quo caſu cōtingat poſt contractas nuptias, ſuam quiſq; ſortem ne-

Et ſi parum uerecundè, haud tamen incautè.

cesse ferat. antè uerò ne quis capiatur insi-
diis, legibus caueri debet: idq; tanto maio-
re studio fuit curandum, quòd & soli illa-
rum orbis plagarum singulis sunt contenti
Diuortium. coniugibus, & matrimonium ibi haud sæ-
pe aliter quàm morte soluitur, nisi adulte-
rium in causa fuerit, aut morum non feren-
da molestia. Nempe alterutri sic offenso, fa-
cta ab senatu coniugis mutandi uenia, al-
ter infamem simul ac cœlibem perpetuò ui
tam ducit. Alioquin inuitam coniugem cu-
ius nulla sit noxa, repudiare, quòd corpo-
ris obtigerit calamitas, id uerò nullo pacto
ferunt: nam & crudele iudicant, tum quen-
quam deseri, cum maximè eget solatio: & se
nectuti, quum & morbos afferat, & morbus
ipsa sit, incertam atq; infirmam fidem fore.
Cæterùm accidit interdum, ut quum non
satis inter se coniugum conueniant mores,
repertis utriq; alijs, quibus cum sperent se
suauius esse uicturos, amborum sponte se-
parati, noua matrimonia contrahant, haud
absq; senatus autoritate tamen, qui nisi cau
sa per se atq; uxores suas diligenter cogni-
ta, diuortia nõ admittit. Imô ne sic quidem
facilè, quòd rem minimè utilẽ sciunt firmã-
dæ coniugũ charitati, facilẽ nouarũ nuptia
Adulterij rum spem esse propositã. Temeratores con
pœna. iugij grauissima seruitute plectuntur, & si
neuter

neuter erat cœlebs, iniuriam passi (uelint modò) repudiatis adulteris, coniugio inter se ipsi iunguntur alioquin quibus uidebit. At si læsorum alteruter erga tam malè merentem coniugem in amore persistat, tamẽ uti coniugij lege non prohibetur, si uelit in opera damnatum sequi: accidítq; interdũ, ut alterius pœnitentia alterius officiosa sedulitas miserationem commouens principi, libertatem rursus impetret. Cæterùm ad scelus iam relapso nex infligitur. Cæteris facinoribus nullam certam pœnam lex ulla præstituit, sed ut quodq; atrox, aut contrà uisum est, ita supplicium Senatus decernit. Vxores mariti castigant, & parẽtes liberos: nisi quid tam ingens admiserint, ut id publicè puniri morũ interfit. Sed ferè grauissima quæq; scelera seruitutis incõmodo puniuntur: id siquidẽ & sceleratis non minus triste, & reipublicæ magis cõmodũ arbitrãtur, quàm si mactare noxios & protinus amoliri festinẽt. Nã & labore quàm nece magis prosunt, & exemplo diutius alios ab simili flagitio deterrent. Quòd si sic habiti rebellent atq; recalcitrent, tum demum uelut indomitæ belluæ, quos coercere carcer & catena non potest, trucidantur. At patientibus nõ adimitur omnis omnino spes: quippe longis domiti malis, si eam pœnitẽtiam

Scelerũ supplicia.

præ ſe ferant, quæ peccatum teſtetur magis eis diſplicere, quàm pœnam, principis interdum prærogatiua, interdum ſuffragijs populi aut mitigatur ſeruitus, aut remittitur. Solicitaſſe ad ſtuprum, nihilo minus quàm ſtupraſſe periculi eſt. In omni ſiquidem flagitio certum deſtinatumq; conatũ æquant facto. neq; enim id quod defuit ei putant prodeſſe debere, per quem non ſtetit, quo minus nihil defuerit. Moriones in delitijs habentur, quos ut affeciſſe cõtumelia magno in probro eſt, ita uoluptatem ab ſtultitia capere non uetant. Siquidẽ id morionibus ipſis maximo eſſe bono cenſent, cuius qui tam ſæuerus ac triſtis eſt, ut nullum neq; factum neq; dictum rideat, ei tutandum non credunt, ueriti ne non ſatis indulgenter curetur ab eo, cui non modò nulli uſui, ſed ne oblectamento quidem (qua ſola dote ualent) futurus eſſet. Irridere deformem aut mutilum, turpe ac deforme nõ ei qui ridetur, habetur, ſed irriſori, qui cuiquam quod in eius poteſtate nõ erat, ut fugeret, id uitij loco ſtultè exprobret. Vt enim formam naturalem non tueri, ſegnis atque inertis ducunt, ſic adiumentũ ab fucis quærere, infamis apud illos inſolentia eſt. Vſu enim ipſo ſentiunt, quàm non ullum formæ decus uxores æquè ac morum probitas &

Stupri ſolicitati pœna.

Conatus pro facto.

Voluptas è morionibus.

Fucata forma.

reue-

reuerentia commendet maritis. Nam ut for
ma nonnulli sola capiuntur, ita nemo nisi
uirtute atq; obsequio retinetur. Nõ pœnis
tantum deterrent à flagitijs, sed propositis
quoq; honoribus ad uirtutes inuitant, i=
deoq; statuas uiris insignibus, & de republi *Statuæ uiro-*
ca præclarè meritis, in foro collocant, in re- *rũ insigniũ.*
rum bene gestarum memoriam, simul ut i-
psorum posteris, maiorum suorum gloria
calcar & incitamentum ad uirtutem sit. Qui
magistratũ ullum ambierit, expers omniũ *Damnatus*
redditur. Conuiuũt amabiliter, quippe nec *ambitus.*
magistratus ullus insolens aut terribilis est. *Honor magi*
patres appellantur, & exhibent. ijsdem de- *stratuum.*
fertur, ut debet, ab uolentibus honor, non
ab inuitis exigitur. Ne principem quidem *Dignitas*
ipsum, uestis aut diadema, sed gestatus fru- *principis.*
menti manipulus discernit: ut Pontificis in
signe est, prælatus cereus. Leges habẽt per- *Leges pau-*
quàm paucas. sufficiunt enim sic institutis *cæ.*
paucissimę. Quinhoc in primis apud alios
improbãt populos, quòd legum interpre=
tumq; uolumina infinita nõ sufficiunt. Ipsi
uerò cẽsent iniquissimũ, ullos homines his
obligari legib⁹, quæ aut numerosiores sint,
quàm ut perlegi queant: aut obscuriores,
quàm ut à quouis possint intelligi. Porrò *Aduocatorũ*
causidicos, qui causas tractent callidè, ac le= *inutilis tur-*
ges uafrè disputẽt, prorsus oẽs excludũt. *ba.*

censentenim ex usu esse, ut suã quisq; causam agat, eademq; referat iudici, quæ narraturus patrono fuerat. Sic & minus ambagũ fore, & facilius elici ueritatẽ, dum eo dicente, quẽ nullus patronus fucũ docuit, iudex solerter expendit singula, & contra uersutorum calumnias simplicioribus ingenijs opitulatur. hęc apud alias gẽtes in tanto perplexissimarũ aceruo legum difficile est obseruari: cæterũ apud eos unusquisq; est legis peritus. Nam & sunt (ut dixi) pauciss imæ, & interpretationum præterea ut quæq; est maximè crassa, ita maximè æquã cẽsent. Nempe quũ omnes leges (inquiunt) ea tantum causa promulgentur, ut ab his quisq; sui cõmonefiat officij, subtilior interpretatio pauciss imos admonet (pauci enim sunt qui assequantur) quũ interim simplicior ac magis obuius legum sensus omnibus in aperto sit: alioquin quod ad uulgus attinet, cuius & maximus est numerus, & maximè eget admonitu, quid referat utrum legem omnino nõ condas, an conditã in talem interpreteris sententiã, quã nisi magno ingenio & longa disputatione nemo possit eruere, ad quam inuestigandã neq; crassum uulgi iudiciũ queat attingere, neq; uita in comparando uictu occupata sufficere? His eorum uirtutibus incitati finitimi, qui quidem

dem liberi sunt,& suæ spõtis (multos enim ipsi iam olim tyrannide liberauerunt) magistratus sibi, ab illis alij quotannis, alij in lustrũ impetrant,quos defunctos imperio, cum honore ac laude reducunt,nouosq; secum rursus in patriã reuehunt. Atq; hi quidem populi optimè profectò ac saluberrimè Reipublicæ suæ consulũt, cuius & salus & pernicies, quum ab moribus magistratuum pendeat,quos nam potuissent elegisse prudentius, quàm qui neq; ullo precio queant ab honesto deduci (utpote quòd breui sit remigraturis inutile) ignoti ciuibus,aut prauo cuiusquã studio aut simultate flecti? Quæ duo mala,affectus atq; auaritiæ, sicubi incubuere iudicijs, illicò iusticiã omnẽ,fortissimũ Reipublicæ neruũ, dissoluunt. Hos Vtopiani populos, quibus qui imperent ab ipsis petuntur,appellãt socios: cæterùm quos beneficijs auxerunt, amicos uocant. Fœdera quæ reliquæ inter se gentes toties ineunt,frangũt ac renouant, ipsi nulla cũ gente feriũt. Quorsum enim fœdus inquiunt,quasi non hominẽ homini satis natura conciliet: quam qui contempserit, hũc uerba scilicet putes curaturum? In hanc sententiam eò uel maximè trahuntur, quòd in illis terrarum plagis, fœdera pactaq; principum solent parum bona fide seruari. Ete-

De *fœderibus.*

nim in Europa, idq; his potiſsimùm partibus, quas CHRISTI fides & religio poſsidet, ſancta eſt & inuiolabilis ubiq; maieſtas fœderũ, partim ipſa iuſticia et bonitate principũ, partim ſummorũ reuerentia, metuq; Pontificum: qui ut nihil in ſe recipiunt ipſi, quod non religioſiſsimè præſtãt, ita cæteros omnes principes iubent, ut pollicitis omnibus modis immorentur, tergiuerſantes uerò paſtorali cenſura & ſęueritate cõpellunt. Meritò ſanè cenſent turpiſsimã rem uideri, ſi illorum fœderibus abſit fides, qui peculiari nomine fideles appellantur. At in illo nouo orbe terrarum, quem circulus æquator uix tam longè ab hoc noſtro orbe ſemouet, quàm uita moresq; diſsident, fœderũ nulla fiducia eſt: quorum ut quodq; plurimis ac ſanctiſsimis ceremonijs innodatum fuerit, ita citiſsimè ſoluitur, inuenta facile in uerbis calũnia, quę ſic interim de induſtria dictant callidè, ut nunquam tam firmis adſtringi uinculis queant, quin elabantur aliqua, fœdúsque & fidem pariter eludant. Quam uafriciem, imò quam fraudem dolumq;, ſi priuatorum deprehenderent inter ueniſſe cõtractui, magno ſupercilio rem ſacrilegam & furca dignam clamitarent, hi nimirum ipſi, qui eius conſilij principibus dati, ſemet gloriantur autores. Quo fit ut

iuſticia

iuſticia tota uideatur, aut nõ niſi plebeia uir tus & humilis, quæq; longo interuallo ſubſidat infra regale faſtigium, aut uti ſaltẽ duæ ſint, quarum altera uulgus deceat, pedeſtris & humirepa, néue uſquam ſepta tranſilire queat, multis undiq; reſtricta uinculis: altera principum uirtus, quæ ſicuti ſit quàm illa popularis auguſtior, ſic eſt etiam lõgo interuallo liberior, ut cui nihil non liceat, niſi quod non libeat. Hos mores ut dixi principum, illic fœdera tam malè ſeruantium puto in cauſa eſſe, ne ulla feriant Vtopienſes, mutaturi fortaſſe ſententiam ſi hic uiuerent. Quanquam illis uidetur, ut optimè ſeruentur, malè tamen inoleuiſſe fœderis omnino ſanciẽdi cõſuetudinẽ, qua fit, ut (perinde ac ſi populũ populo, quos exiguo ſpacio collis tantũ aut riuus diſcriminat, nulla naturę ſocietas copularet) hoſtes atq; inimicos inuicem ſeſe natos putent, meritoq; in mutuã graſſari perniciem, niſi fœdera prohibeant: quin his ipſis quoq; initis, non amicitiam coaleſcere, ſed manere prædandi licentiam, quatenus per imprudentiam dictandi fœderis, nihil quod prohibeat ſatis cautè comprehenſum in pactis eſt. At illi contrà cenſent, neminem pro inimico habendũ, à quo nihil iniuriæ profectum eſt, Naturæ conſortium, fœderis uice eſſe, & ſatius ualentiusq;

homines inuicem beneuolentia quàm pactis, animo quàm uerbis connecti.

DE RE MILITARI.

BELLVM, utpote rem planè belluinã, nec ulli tamen belluarum formæ in tã assiduo atq; homini est usu, summopere abominantur, contraq; morem gentium fermè omnium nihil æquè ducunt inglorium, atq; petitam è bello gloriam: coq; licet assiduè militari sese disciplina exerceant, neq; id uiri modò, sed fœminæ quoque statis diebus, ne ad bellum sint, quum exigat usus, inhabiles: non temerè capessunt tamen, nisi quo aut suos fines tueantur, aut amicorum terris infusos hostes propulsent, aut populum quempiam tyrãnide pressum miserati (quod humanitatis gratia faciunt) suis uiribus tyrãni iugo & seruitute liberẽt. Quanquam auxilium gratificãtur amicis, non semper quidem quo se defendant, sed interdum quoq; illatas retalient atq; ulciscantur iniurias. uerùm id ita demum faciunt, si re adhuc integra consulantur ipsi, & probata causa, repetitis ac non redditis rebus, belli autores inferendi sint: quod non tunc solùm decernunt, quoties hostili incursu abacta est præda, uerùm tum quoq; multo

to infestius, quum eorũ negociatores usquã gentium uel iniquarum prætextu legũ, uel siniſtra deriuatione bonarum, iniustã subeunt, iustitiæ colore, calumniam. Nec alia fuit eius origo belli, quod pro Nephelogetis aduersus Alaopolitas, paulo ante nostram memoriam, Vtopiẽses gessere, quàm apud Alaopolitas Nephelogetarum mercatoribus illata prætextu iuris (ut uisum est ipsis) iniuria certè, siue illud ius, siue ea iniuria fuit, bello tã atroci est uindicata, quũ ad proprias utriusque partis uires, odiaq́, circumiectarum etiam gentium studia atque opes adiungerentur, ut florentissimis populorum alijs concussis, alijs uehementer afflictis, orientia ex malis mala, Alaopolitarum seruitus demum ac deditio finierit, qua in Nephelogetarum (neque enim sibi certabant Vtopienses) potestatem concesserit, gentis florentibus Alaopolitarum rebus, haudquaquam cum illis conferendæ. Tam acriter Vtopienses amicorum, etiam in pecunijs, iniuriam persequuntur, suas ipsorum non item: qui sicubi circumscripti bonis excidant, modò corporibus absit uis, hactenus iracuntur, uti quoad satisfactio fiat, eius commercio gentis abstineant. non quòd minoris sibi curæ ciues, quàm socij sint, sed horum tamen pecuniam

niam intercipi, ægrius quàm ſuam ferunt, propterea quòd amicorum negociatores, quoniam de ſuo perdũt, priuato graue uulnus ex iactura ſentiunt. at ipſorum ciuibus nihil niſi de publica perit: præterea quod abundabat domi, ac ueluti ſupererat, alioqui non emittẽdum foràs: quo fit, uti intertrimẽtum citra cuiuſquam ſenſum accidat. Quocirca nimis crudele cenſent, id damnũ multorũ ulciſci mortibus, cuius damni incommodum nemo ipſorum aut uita, aut uictu perſentiſcat. Cæterùm ſi quis ſuorum uſquam per iniuriam debilitetur aut occidat, ſiue id publico factum conſilio, ſiue priuato ſit, per legatos re comperta, niſi deditis noxijs placari non poſſunt, quin illicò bellum denuncient. Noxæ deditos, aut morte, aut ſeruitio puniũt. Cruentæ uictoriæ nõ piget modò eos, ſed pudet quoq; , reputantes, inſcitiam eſſe quamlibet precioſas merces nimio emiſſe: arte doloq; uictos, oppreſſos hoſtes impendiò gloriantur, triũphũq; ob eam rem publicitùs agũt, & uelut re ſtrenuè geſta trophæum erigunt. tunc enim demum uiriliter ſeſe iactant, & cum uirtute geſſiſſe, quoties ita uicerint, quomodo nullum animal præter hominem potuit, id eſt, ingenij uiribus. Nã corporis inquiunt, urſi, leones, apri, lupi, canes, cæteræq; belluæ dimicant,

Magno empta uictoria.

cant: quarum ut pleræq; nos robore ac ferocia uincunt, ita cunctæ ingenio & ratione superantur. Hoc unum illi in bello spectãt uti id obtineant: quod si fuissent antè cõsecuti, bellum non fuerant illaturi: aut si id res uetet, tam sæueram ab his uindictam expetũt, quibus factum imputant, ut idem ausuros in posterum terror absterreat. Hos propositi sui scopos destinãt, quos maturè petunt: at ita tamen, uti prior uitandi periculi cura, quàm laudis aut famæ cõsequendæ sit. Itaq; protinus indicto bello, schedulas ipsorum publico signo roboratas, locis maximè conspicuis hosticæ terræ, clàm uno tẽpore multas appendi procurant, quibus ingẽtia pollicentur præmia, si quis principem aduersarium sustulerit: deinde minora, quanquam illa quoq; egregia, decernunt, pro singulis eorum capitibus, quorum nomina in ijsdẽ literis proscribunt: hi sunt, quos secundum principem ipsum, autores initi aduersus se consilij ducunt. Quicquid percussori præfiniunt, hoc geminant ei, qui uiuum è proscriptis aliquem ad se perduxerit, quũ ipsos quoq; proscriptos, præmijs ijsdem, addita etiã impunitate, contra socios inuitant. Itaq; fit celeriter, ut & cæteros mortales suspectos habeant, & sibi inuicem ipsi neq; fidentes satis, neq; fidi sint, maximoq; in metu & non minore

Hostẽ quomodo mercentur.

minore periculo uerſentur. Nam ſæpenume ro conſtat eueniſſe, uti bona pars eorum, & princeps in primis ipſe, ab his proderentur, in quibus maximam ſpem repoſuerunt. Tã facilè quoduis in facinus impellunt mune ra, quibus illi nullum exhibent modum. Sed memores in quantum diſcrimen hor tantur, operam dant, uti periculi magnitu do beneficiorum mole compenſetur: eoq; non immenſam modò auri uim, ſed præ dia quoque magni reditus in locis apud a micos tutiſsimis, propria ac perpetua polli citantur, & ſumma cum fide præſtant. Hunc licitandi mercandiq; hoſtis morẽ, apud ali os improbatum, uelut animi degeneris cru dele facinus, illi magnæ ſibi laudi ducũt tan quã prudentes, qui maximis hoc pacto bel lis, ſine ullo prorſus prælio defungãtur, hu manique ac miſericordes etiam, qui paucorũ nece noxiorum, numeroſas innocentiũ ui tas redimant, qui pugnando fuerint occubi turi, partim è ſuis, partim ex hoſtibus, quo rũ turbã uulgusq; non minus fermè, quàm ſuos miſerantur, gnari non ſua ſponte eos bellum capeſſere, ſed principum ad id furijs agi. Si res hoc pacto non procedat, diſſidio rum ſemina iaciunt alũtq;, fratre principis, aut aliquo è nobilibus in ſpem potiundi re gni perducto. Si factiones internæ langue rint,

rint, finitimas hostibus gentes excitãt, committuntq́, eruto uetusto quopiam titulo, quales nunquam regibus desunt: suas ad bellum opes polliciti, pecuniam affluenter suggerunt. Ciues parcissimè, quos tam unicè habent charos, tanticq́ sese mutuò faciũt, ut neminem sint è suis cum aduerso principe libenter commutaturi. At aurum argentumq́, quoniam unum hunc in usum omne seruant, haud grauatim erogant, utpote non minus commodè uicturi, etiam si uniuersum impenderent. Quin præter domesticas diuitias est illis foris quoq́ infinitus thesaurus, quo plurimæ gentes, uti antè dixi, in ipsorum ære sunt, ita milites undiq́ conductos ad bellum mittunt, præsertim ex Zapoletis. Hic populus quingentis passuum millibus ab Vtopia distat, orientem solem uersus, horridus, agrestis, ferox, syluas mõtesq́ asperos, quibus sunt innutriti, præferũt: dura gens, æstus, frigoris, & laboris patiens, delitiarum expers omnium, neq́ agriculturæ student, & cùm ædificiorũ, tum uestitus indiligens, pecorum duntaxat curam habẽt: magna ex parte uenatu & raptu uiuunt: ad solum bellum nati, cuius gerendi facultatẽ studiosè quærunt, repertam cupidè amplectuntur, & magno numero egressi, cuiuis requirenti milites uili semet offerunt.

Thesaurus Vtop. apud exteros.

Hanc

Hanc unam uitæ artem nouerũt, qua mors quęritur, ſub quibus merent, acriter pro his & incorrupta fide dimicant. uerùm in nullũ certum diem ſeſe obſtringunt, ſed ea lege in partes ueniunt, ut poſteriore die uel ab hoſtibus oblato maiore ſtipendio ſint ſtaturi, ijdem perendie rurſus inuitati pluſculo, remigrant. Rarum oritur bellum, in quo non bona pars illorum in utroque ſint exercitu. Itaq; accidit quotidie, ut ſanguinis neceſſitudine coniuncti, qui & ijſdem in partibus conducti, familiariſsimè ſemet inuicem utebantur, paulo pòſt in cõtrarias diſtracti copias, hoſtiliter cõcurrant, & infeſtis animis, obliti generis, immemores amicitiæ, mutuò ſeſe confodiant, nulla alia cauſa in mutuam incitati perniciẽ, quàm quòd à diuerſis principibus exigua pecuniola conducti, cuius tam exactam habent rationem, ut ad diurnum ſtipendium unius acceſsione aſsis facile ad commutandas partes impellantur. Ita celeriter imbiberunt auaritiam, quæ tamẽ nulli eſt eis uſui. Nã quæ ſanguine quærunt, protinus per luxum, & eum tamen miſerum conſumunt. Hic populus Vtopienſis aduerſus quoſuis mortales militat, quòd tanti ab his eorum conducatur opera, quanti nuſquam alibi. Vtopienſes ſiquidem ut bonos quærũt, quibus utantur, ita hos quoq; homines

homines peſsimos, quibus abutãtur, quos, quum uſus poſtulat, magnis impulſos pollicitationibus, maximis obiiciunt periculis, unde plerunq; magna pars nũquam ad exigẽda promiſſa reuertitur: ſupertitibus, quæ ſunt polliciti, bona fide perſoluũt, quo ad ſimiles auſus incendant. Neq; enim pensi quicquam habent, quàm multos ex eis perdant, rati de genere humano maximam merituros gratiam ſe, ſi tota illa colluuie populi tam tetri ac nepharij, orbem terrarum purgare poſſent. Secundum hos eorum copijs utuntur, pro quibus arma capiunt: deinde auxiliaribus cæterorum amicorũ turmis: poſtremò ſuos ciues adiungunt, è quibus aliquem uirtutis probatæ uirum, totius exercitus ſummæ præficiunt. Huic duos ita ſubſtituunt, uti eo incolumi, ambo priuati ſint: capto aut interempto, alter è duobus uelut hæreditate ſuccedat, eiq; ex euentu tertius: ne (ut ſunt bellorum ſortes uariæ) periclitãte duce, totus perturbetur exercitus. E' quaq; ciuitate delectus exercetur ex his, qui ſponte nomen profitentur. neq; enim inuitus quiſquã foràs in militiã truditur, quòd perſuaſum habeant, ſi quis ſit natura timidior, non ipſum modò nihil facturum ſtrenue, ſed metum etiam comitibus incuſſurum. Cæterùm ſi quod bellum ingruat in

Acies quomodo inſtruatur.

Ignauorum usus in bello quis.

patriam, ignauos huiusmodi, modò uale-
ant corpore, in naues mixtos melioribus
collocant: aut in mœnibus sparsim dispo-
nunt, unde non sit refugiendi locus: ita
suorum pudor hostis in manibus, atque
adempta fugæ spes, timorem obruunt, &
sæpe extrema necessitas in uirtutem uerti-
tur. At sicuti ad extremum bellum ex ipsis
nemo protrahitur nolens, ita fœminas uo-

Mulieres militantes.

lentes in militiam comitari maritos, adeò
non prohibent, ut exhortentur etiam, & lau
dibus incitent: profectas cum suo quãq; ui-
ro, pariter in acie constituunt: tũ sui quenq;
liberi, affines, cognati circumsistunt, ut hi de
proximo sint mutuo sibi subsidio, quos ma
ximè ad ferendas inuicem suppetias natu-

Calcar ad uirtutem.

ra stimulat. In maximo probro est coniunx
absque coniuge redux, aut amisso parente
reuersus filius. quo fit, uti si ad ipsorum ma-
nus uentum sit, modò persistent hostes, lon-
go & lugubri prælio ad internecionem usq;
decernatur. nempe ut omnibus curant mo-
dis, ne ipsis dimicare necesse sit, modò bello
possint uicaria cõductitiorum manu defun
gi: ita quum uitari non potest, quin ipsi in-
eant pugnã, tam intrepidè capessunt, quàm
quoad licuit, prudenter detrectabant. nec
tam primo ferociunt impetu, quàm mora
sensim & durationè inualescunt, tam offir-

matis

matis animis, ut interimi citius, quàm auerti queant. Quippe uictus illa ſecuritas, quæ cuicq; domi eſt, ademptaq; de poſteris anxia cogitandi cura (nam hæc ſolicitudo generoſos ubique ſpiritus frangit) ſublimem & uinci dedignantem facit. Ad hæc militaris diſciplinæ peritia fiduciam præbet: poſtremò rectæ opiniones (quibus & doctrina, & bonis Reipublicæ inſtitutis imbuti à pueris ſunt) uirtutem addunt: qua neque tam uilem habent uitam, ut temerè prodigant, neque tam improbè charam, ut quum honeſtas ponendam ſuadeat, auarè turpiterq; retineant. Dum ubique pugna maxima fer uet, lectiſsimi iuuenes coniurati deuoticq; ducem ſibi depoſcunt aduerſum: hunc apertè inuadunt, hunc ex inſidijs adoriuntur, idem eminus, idem cominus petitur, longoq; ac perpetuo cuneo, ſummiſsis aſsiduè in fatigatorum locum recẽtibus, oppugnatur: raroq; accidit (ni ſibi fuga proſpiciat) ut non intereat, aut uiuus in hoſtium poteſtatem ueniat. Si ab ipſis uictoria ſit, haudquaquam cæde graſſantur: fugatos enim comprehendunt, quàm occidunt libentius: neque unquam ita perſequuntur fugientes, ut non unam interim ſub ſignis inſtructam aciem retineant, adeò niſi cæteris ſuperati partibus, poſtrema acie ſua

Dux potiſsimùm impetendus.

uictoriã adepti ſint, elabi potius hoſtes uniuerſos ſinant, quàm inſequi fugientes, perturbatis ſuorum ordinibus inſueſcant: memores ſibimet haud ſemel uſuueniſſe, ut mole totius exercitus uicta profligataq́, quum hoſtes uictoria geſtientes, hac atque illac abeuntes perſequerentur, pauci ipſorum in ſubſidijs collocati, ad occaſiones intenti, diſperſos ac palantes illos, & præſumpta ſecuritate negligentes derepentè adorti, totius euentum prælij mutauerunt: extortaq́ è manibus tam certa & indubitata uictoria, uicti uictores inuicem uicerũt. Haud facile dictu eſt, aſtutiores inſtruendis inſidijs, an cautiores ad uitandas ſient. fugam parare credas, quum nihil minus in animo habent: contrà quum id conſilij capiunt, nihil minus cogitare putes. Nam ſi nimium ſeſe ſentiunt aut numero, aut loco premi, tunc aut noctu, agmine ſilente caſtra mouent, aut aliquo ſtratagemate eludunt, aut interdiu ita ſenſim ſeſe referunt, tali ſeruato ordine, ut non minus periculi ſit cedentes quàm inſtantes adoriri. Caſtra diligentiſsimè communiunt foſſa præalta lataq́, terra quæ egeritur introrſum reiecta: nec in eã rem opera mediaſtinorum utuntur, ipſorũ manibus militum res agitur, totusq́ exercitus in opere eſt, exceptis qui pro uallo in armis

mis ad ſubitos caſus excubant. Itaque tam multis adnitentibus, magna multumq; amplexa loci munimẽta, omni fide citius perficiunt. Armis utuntur ad excipiẽdos ictus firmis, nec ad motum geſtúmue quemlíbet ineptis, adeò ut ne natando quidem moleſta ſentiant. Nam armati natare inter militaris diſciplinæ rudimenta conſueſcunt. tela ſunt eminus ſagittæ, quas acerrimè ſimul & certiſsimè iaculantur, nõ pedites modò, ſed ex equis etiam: cominus uerò non gladíj, ſed ſecures uel acie letales, uel pondere, ſeu cæſim ſeu punctím feriãt. Machinas excogitant ſolertiſsimè, factas accuratiſsimè cælant, ne antè proditæ quàm res poſtulet, ludíbrio magis quàm uſui ſint: in quíbus fabricandis hoc in primis reſpiciũt, uti uectu faciles, & habiles circumactu ſint. Initas cũ hoſtibus inducias tam ſanctè obſeruant, ut ne laceſsiti quidem uiolent. Hoſtilem terrã non depopulantur, neque ſegetes exurunt: imò ne hominum equorúmue pedibus cõterantur, quantum fieri poteſt, prouident, rati in ipſorum uſus creſcère. Inermem neminem lędunt, niſi idem ſpeculator ſit. Deditas urbes tuentur: at nec expugnatas diripiũt, ſed per quos deditio eſt impedita, eos enecant, cæteris defenſoribus in ſeruitutem addictis. Imbellẽ turbã omnem relinquunt

Formæ armorum.

Machinæ bellicæ.

De *inducijs.*

Victores quomodo ſe gerant.

intactam. Si quos deditionem suasisse comperierint, his è damnatorum bonis aliquam partem impertiunt, reliqua sectione auxilia res donãt. Nam ipsorum nemo quicquam de præda capit. Cæterùm confecto bello, nõ amicis impensas in quos insumpsere, sed uictis imputant, exiguntq; eo nomine partim pecuniam quam in similes bellorũ usus reseruant, partim prædia quæ sint ipsis apud eos perpetua non exigui census. Huiusmodi reditus nunc apud multas gentes habẽt, qui uarijs ex causis paulatim nati, supra septingenta ducatorum millia in singulos annos excreuêre, in quos è suis ciuibus aliquos emittunt, quæstorum nomine, qui magnificè uiuant, personamq; magnatum illic præ se ferant: at multũ tamen supercst quod inferatur ærario, nisi malint eidem genti credere: quod sępe tantisper faciunt, quoad uti necesse sit, uixq; accidit unquam ut totam reposcant. Ex his prædijs partem assignant illis, qui ipsorum hortatu tale discrimen adeunt, quale antè monstraui, si quis princeps armis aduersus eos sumptis, eorum ditionẽ paret inuadere, magnis illicò uiribus extra suos fines occurrunt. nam neq; temerè in suis terris bellum gerunt, neq; ulla necessitas tãta est, ut eos cogat aliena auxilia in insulam suam admittere.

DE RELIGIONIBVS *Vtopiensium.*

RELIGIONES sunt non per insulam modò, uerùm singulas etiam urbes uariæ: alijs Solem, Lunam alijs, alijs aliud errantiũ siderum. Dei uice uenerantibus. Sunt quibus homo quispiam, cuius olim aut uirtus aut gloria enituit, non pro Deo tãtùm, sed pro summo etiam Deo suspicitur. At multo maxima pars, eademq; longè prudentior, nihil horum, sed unum quoddam numen putant incognitum, æternum, immẽsum, inexplicabile, quod supra mentis humanæ captum sit, per mundum hũc uniuersum, uirtute, nõ mole diffusum: hunc parentem uocant. Origines, auctus, progressus, uices finesq; rerum omnium: huic acceptos uni referunt, nec diuinos honores alij præterea ulli applicant. Quin cæteris quoq; omnibus, quanquã diuersa credentibus, hoc tamẽ cum istis cõuenit, quòd esse quidem unum censent summum, cui & uniuersitatis opificiũ & prouidentia debeatur, eumq; cõmuniter omnes patria lingua Mythram appellant: sed eo dissentiũt, quòd idem alius apud alios habetur: autumantes quoq;, quicquid id sit, quod ipse summũ ducit, eandẽ illam prorsus esse naturam, cuius

unius numini ac maiestati, rerum omnium summa, omnium consensu gentium tribuitur. Cæterùm paulatim omnes ab ea superstitionum uarietate desciscunt, atque in unã illam coalescunt religionem, quæ reliquas ratione uidetur antecellere. Neque dubium est, quin cæteræ iam pridem euanuissent, nisi quicquid improsperum cuiquã inter mutandæ religionis consilia fors obiecisset, nõ id accidisse casu, sed cœlitùs immissum interpretaretur timor, tanquam numine cuius relinquebatur cultus, impium contra se propositum uindicante. At posteaquam acceperunt à nobis CHRISTI nomen, doctrinam, mores, miracula, nec minus miran dam tot martyrum constantiam, quorum sponte fusus sanguis tam numerosas gentes in suam sectam longè lateq; traduxit: nõ credas quàm pronis in eam affectibus etiã ipsi concesserint, siue hoc secretius inspirante Deo, siue quòd eadem ei uisa est hæresi proxima, quæ est apud ipsos potissima: quanquam hoc quoque fuisse non paulum momenti crediderim, quòd CHRISTO communem suorum uictum audierant placuisse, & apud germanissimos Christianorum cõuentus adhuc in usu esse. Certè quoquo id momento accidit, haud pauci nostram in religionẽ coierunt, lymphaq; sacra sunt

Cœnobia.

sunt abluti. Verùm quoniam in nobis quatuor (totidem enim dũtaxat supereramus: nam duo fatis concesserãt) nemo, id quod doleo, sacerdos erat, cæteris initiati, ea tamẽ adhuc sacramẽta desiderant, quę apud nos non nisi sacerdotes conferunt, intelligunt tamen, optantq; ita, ut nihil uehementius: quin hoc quoq; sedulò iam inter se disputant, an sine Christiani Põtificis missu quisquam è suo numero delectus sacerdotij cõsequatur characterem: & electuri sanè uidebantur. uerùm quum ego discederem, non dũ elegerant. Quin hi quoq; religioni Christianæ, qui non assentiunt, neminem tamẽ absterrent, nullum oppugnant imbutum: nisi quòd unus è nostro cœtu me præsente coercitus est. Is quum recens ablutus, nobis contrà suadentibus, de CHRISTI cultu publicè maiore studio quàm prudentia differeret, usq; adeò cœpit incalescere, ut iã nostra modò sacra cæteris anteferret, sed reliqua protinus uniuersa dãnaret, prophana ipsa, cultores impios ac sacrilegos æterno plectendos igni uociferaretur. Talia diu concionantem comprehendunt, ac reum non spretæ religionis, sed excitati in populo tumultus agũt, peraguntq;, damnatum exilio mulctant: siquidẽ hoc inter antiquissima instituta numerant, ne sua cuiquam

religio fraudi sit. Vtopus enim iam inde ab initio, cùm accepisset, incolas ante suum aduentum de religionibus inter se assiduè dimicasse, atq; animaduertisset eam rē, quòd in commune dissidentes, singulæ pro patria sectæ pugnabant, occasionem præstitisse sibi uincendarum omnium: adeptus uictoriam in primis sanxit, uti quam cuiq; religionem libeat, sequi liceat: ut uerò alios quoq; in suam traducat, hactenus niti possit, uti placidè ac modestè suam rationibus astruat, nō ut acerbè cæteras destruat, si suadendo non persuadeat, neq; uim ullam adhibeat, & conuicijs temperet: petulātius hac de re cōtendentem, exilio aut seruitute mulctant. Hæc Vtopus instituit non respectu pacis modò, quam assiduo certamine atq; inexpiabili odio funditùs uidit euerti: sed quòd arbitratus est, uti sic decerneretur, ipsius etiam religionis interesse: de qua nihil est ausus temerè definire, uelut incertū habens, an uarium ac multiplicem expetēs cultum Deus, aliud inspiret alij. Certè ui ac minis exigere, & quod tu uerum credis, idē omnibus uideatur, hoc uerò & insolens & ineptum censuit: tum si maximè una uera sit, cæteræ omnes uanæ, facile tamen præuidit (modò cum ratione ac modestia res agatur) futurum denicq;, ut ipsa per se ueri

uis

uis emergat aliquando atq; emineat: sin armis & tumultu certetur, ut sint pessimi quique maximè peruicaces, optimam ac sanctissimam religionem ob uanissimas inter se superstitiones, ut segetes inter spinas ac frutices obrutum iri. Itaq; hanc totam rem in medio posuit, & quid credendum putaret, liberum cuiq; reliquit. nisi quod sanctè & seuerè uetuit, ne quis usqueadeò ab humanæ naturæ dignitate degeneret, ut animas quoq; interire cum corpore, aut mundum temerè ferri, sublata prouidentia putet. atq; ideo post hanc uitam supplicia uitijs decreta, uirtuti præmia constituta credunt. contrà sentientem, ne in hominũ quidem ducunt numero, ut qui sublimem animæ suæ naturam ad pecuini corpusculi uilitatem deiecerit: tantum abest, ut inter ciues ponant, quorum instituta moresq; (si per metum liceat) omnes floccifacturus sit. Cui enim dubium esse potest, quin is publicas patriæ leges aut arte clàm eludere, aut ui nitatur infringere, dum suæ priuatim cupiditati seruiat, cui nullus ultra leges metus, nihil ultra corpus spei supersit amplius. Quamobrem sic animato nullus cõmunicatur honos, nullus magistratus cõmittitur, nulli publico muneri præficit, ita passim uelut inertis ac iacentis naturæ despicit: cæterùm

Animarum immortalitas.

cæterùm nullo afficiũt ſupplicio, quòd perſuaſum habeant, nulli hoc in manu eſſe, ut quicquid libet, ſentiat. ſed nec minis adigũt ullis animum ut diſsimulet ſuum. nec fucos admittunt & mendacia, quæ uelut proxima fraudi, mirum quàm habent inuiſa. uerùm ne pro ſua diſputet ſententia, prohibent, atq; id duntaxat apud uulgus. Nam alioquin apud ſacerdotes graueſq; uiros ſeorſum non ſinunt modò, ſed hortantur quoq;, confiſi fore, ut ea tandem ueſania rationi cedat. Sunt & alij, nec hi ſanè pauci, nempe improhibiti, ueluti neq; ratione penitùs pro ſe carẽtes, neq; mali, qui uitio longè diuerſo, brutorum quoq; æternas eſſe animas opinantur: at noſtris tamen neq; dignitate comparandas, neq; ad æquam natas fœlicitatem. hominum enim cuncti ferè tam immenſam fore beatitudinem, pro certo atq; explorato habent, ut morbum lamẽtentur omnium, mortem uerò nullius, niſi quem uident anxiè è uita inuitumq; diuelli. Nempe hoc pro peſsimo habẽt augurio, tanquam anima expes ac malè conſcia, occulto quopiam imminẽtis pœnæ præſagio reformidet exitum. Ad hoc haudquaquam gratum Deo eius putant aduentum fore, qui quum ſit accerſitus, non accurrit libẽs, ſed inuitus ac detrectans pertrahitur. Hoc

De animabus bratorũ.

igitur

igitur mortis genus, qui intuentur horrẽt: itaq; defunctos mœsti ac silentes efferunt, precatiq; propitium manibus Deum, uti eorum clementer infirmitatibus ignoscat, terra cadauer obruunt. Contrà quicunq; alacriter ac pleni bona spe decesserint, hos nemo luget, sed cãtu prosecuti funus, animas Deo, magno commẽdantes affectu, corpora tandem reuerenter magis quàm dolenter concremant, columnamq; loco insculptis defuncti titulis erigunt. domum reuersi mores actaq; eius recensent, nec ulla uitæ pars aut sæpius, aut libentius, quàm lætus tractatur interitus. Hanc probitatis memoriam & uiuis efficacissima rentur incitamẽta uirtutum, & gratissimum defunctis cultum putant, quos interesse quoq; de se sermonibus opinantur, quanquam (ut est hebes mortalium acies) inuisibiles. Nam neque fœlicium sorti cõueniat, libertate carere migrandi quò uelint, & ingratorum fuerit prorsus abiecisse desiderium amicos inuisendi suos, quibus eos dum uiuerent, mutuus amor charitasq; deuinxerat: quanquã bonis uiris, ut cætera bona, auctam post fata potius, quàm imminutam coniectant. Mortuos ergo uersari inter uiuẽtes credũt, dictorum factorumq; spectatores, eoq; res agendas fidentius aggrediuntur, talibus

De funeribus mortuorũ, et ipsis mortuis.

uelut

uelut freti præſidibus: & ab inhoneſto ſecre to deterret eos credita maiorum præſentia. Auguria, cæteraſq; ſuperſtitionis uanæ di- uinationes, quarum apud alias gentes ma- gna eſt obſeruatio, negligunt prorſus atq; irrident. Miracula uerò, quæ nullo naturæ proueniunt adminiculo, uelut præſentis o- pera teſtesq; numinis uenerantur: qualia et ibi frequenter extare ferunt, & magnis in- terdum ac dubijs in rebus publica ſuppli- catione, certa cum fiducia procurant, impe trantq;. Gratum Deo cultum putant natu- ræ contemplationem, laudemq; ab ea. ſunt tamen, hiq; haud ſanè pauci, qui religione ducti, literas negligunt, nulli rerum cogni- tioni ſtudẽt, neq; ocio prorſus ulli uacant, negocijs tantum, bonisq; in cæteris officijs ſtatuunt, futuram poſt fata fœlicitatem pro mereri. Itaq; alij ægrotis inſeruiunt, alij uias reficiunt, purgant foſſas, pontes reparant, ceſpites, arenam, lapides effodiunt, arbo- res demoliuntur ac diſſecant, bigisq; ligna, fruges, item alia in urbes important, nec in publicum modò, ſed priuatim quoq; mini ſtros ac plus quàm ſeruos agũt. Nam quic- quid uſquam operis eſt aſperum, difficile, ſordidum, à quo pleroſq; labor, faſtidium, deſperatio deterreat, hoc illi ſibi totum li- bentes hilaresq; deſumunt: cæteris ocium procu-

Vita actiua.

procurant, ipsi perpetuo in opere ac labore uersantur: nec imputant tamen, nec aliorū fugillant uitam, nec suam efferunt. hi quo magis sese seruos exhibēt, eo maiore apud omnes in honore sunt. Eorum tamen hæreses duæ sunt: Altera cœlibum, qui non Venere modò in totum abstinēt, sed carnium esu quoq; . quidam animalium etiam omnium, reiectisq; penitus tanquam noxijs uitæ præsentis uoluptatibus, futuræ duntaxat per uigilias ac sudores inhiant, eius propediem obtinendæ spe: alacres interim, uegetiq;. Altera laboris haud minus appetēs, coniugium prefert, ut cuius nec aspernantur solatium & opus, naturæ debere se & patriæ liberos putant. nullam uoluptatem refugiunt, quæ nihil eos ab labore demoretur. carnes quadrupedum uel eo nomine diligunt, quòd tali cibo se ualidiores ad opus quodque censeant. hos Vtopiani prudentiores, at illos sanctiores reputant. quos quòd cœlibatum anteferunt matrimonio, asperamq; uitam placidæ anteponunt, si rationibus niterentur, irriderent: nunc uerò quum se fateantur religione duci, suspiciunt ac reuerentur. Nihil enim solicitius obseruant, quàm ne temerè quicquam ulla de religione pronuncient. Huiusmodi ergo sunt, quos illi peculiari nomine,

sua

ſua lingua Buthreſcas uocant, quod uerbũ
Sacerdotes ipſorum. latinè religioſos licet interpretari. Sacerdotes habent eximia ſanctitate, eoq; admodũ paucos. neq; enim plus quàm tredecim in ſingulis habent urbibus pari templorũ numero, niſi quum itur ad bellum. tunc enim ſeptem ex illis cum exercitu profectis, totidem ſufficiuntur interim, ſed illi reuerſi, ſuũ quiſq; locum recuperat, qui ſuperſunt: hi quoad decedentibus illis ordine ſuccedãt,
Pontifex. comites interea ſunt Pontificis. Nam unus reliquis præficitur. Eligũtur à populo, idq; cæterorum ritu magiſtratuum, occultis ad ſtudia uitanda ſuffragijs. electi à ſuo collegio conſecrãtur. Hi rebus diuinis præſunt, religiones curant, ac morum ueluti cenſores ſunt: magnoq; pudori ducitur, ab his quenquam tanquam uitæ parum probatæ accerſi, compellariue. Cæterùm ut hortari atq; admonere illorum eſt, ita coercere atq; in facinoroſos animaduertere, principis atque aliorum eſt magiſtratuũ: niſi quòd ſa-
Sacris excludi. cris interdicunt, quos improbè malos comperiũt. nec ullum ferè ſupplicium eſt quod horreant magis. Nam & ſumma percelluntur infamia, & occulto religionis metu lacerantur, ne corporibus quidem diu futuris in tuto. quippe ni properam pœnitentiã ſacerdotibus approbent, comprehenſi impietatis

tatis pœnam Senatui persoluunt. pueritia iuuentusq; ab illis eruditur, nec prior litera rum cura, quàm morum ac uirtutis habe= tur: namq; summam adhibent industriam, ut bonas protenus opiniones, & conseruã= dæ ipsorũ reipublicæ utiles, teneris adhuc & sequacibus puerorum animis instillent: quæ ubi pueris penitùs insederint, uiros per totam uitam comitãtur, magnamq; ad tuendum publicæ rei statum (qui non nisi uitijs dilabitur, quæ ex peruersis nascuntur opinionibus) afferunt utilitatem. Sacerdo= tibus (ni fœminæ sint. nam neq; ille sexus excluditur: sed rarius, & non nisi uidua na= tuq; grandis eligitur) uxores sunt popula= rium selectissimæ. Neq; enim ulli apud V= topienses magistratui maior habetur ho= nos, usqueadeò, ut si quid etiam flagitij ad= miserint, nulli publico iudicio subsint, Deo tantum ac sibi relinquuntur. Neq; enim fas putant, illum, quantumuis scelestum, mor= tali manu contingere, qui Deo tam singula ri modo uelut anathema dedicatus est. Qui mos illis facilior est obseruatu, quòd sacer= dotes & tam pauci, & tanta cum cura deli= guntur. Nam neq; temerè accidit, ut qui ex bonis optimus ad tantam dignitatem, so= lius respectu uirtutis euehitur, in corrupte= lam & uitium degeneret, & si iam maximè

Fœminæ sa= cerdotes.

Excommu= nicatio.

contingeret, ut eſt mortalium natura muta bilis: tamen qua ſunt paucitate, nec ulla prę ter honorem poteſtate prædíti, ad publicā certè perniciem nihil magni ab his momen ti pertimeſcendum ſit. Quos ideo tam ra ros atq; infrequentes habent, ne dignitas ordinis, quem nunc tanta ueneratione pro ſequuntur, cōmunicato cum multis hono re uileſceret, præſertim quum difficile putēt frequentes inuenire tam bonos, ut ei ſint di gnitati pares, ad quam gerendam non ſuf ficit mediocribus eſſe uirtutibus. Nec eorū æſtimatio apud ſuos magis, quàm apud e xteras etiam gentes habetur: quod inde fa cilè patet, unde etiam natum puto. Nempe decernentibus prælio copijs, ſeorſum illi non admodum procul conſidunt in geni bus, ſacras induti ueſtes, tenſis ad cœlum palmis, primùm omnium pacē, proximè, ſuis uictoriam, ſed neutri cruentam parti comprecantur. Vincentibus ſuis decurrunt in aciem, ſæuientesq; in profligatos inhi bent: uidiſſe tantum atq; appellaſſe præſen tes ad uitam ſatis, diffluentiū contactus ue ſtiū, reliquas quoq; fortunas ab omni bel lorū iniuria defendit. Qua ex re apud om nes undiq; gentes tanta illis uenératio, tan tum ueræ maieſtatis acceſsit, ut ſæpe ab ho ſtibus non minus ſalutis ad ciues reporta rint,

O ſacerdotes noſtris longè ſanctiores.

rint, quàm ab ipsis ad hostes attulissent. Siquidem aliquando constat, inclinata suorum acie, desperatis rebus, quum ipsi in fugam uerterentur, hostes in cædem ac prædã ruerent, interuentu sacerdotum interpellatam stragem, ac diremptis inuicem copijs, pacem æquis conditionibus esse compositam atq; constitutam. Neq; enim unquam fuit ulla gens tam fera, crudelis, ac barbara, apud quos ipsorum corpus non sacrosanctum atq; inuiolabile sit habitũ. Festos celebrant initialem atq; ultimum cuiusque mensis diem, & anni item, quem in menses partiuntur, circuitu lunę finitos, ut solis ambitus annum circinat. Primos quosq; dies Cynemernos, postremos ipsorum lingua Trapemernos appellãt: quæ uocabula perinde sonant, ac si primifesti & finifesti uocẽtur. Delubra uisuntur egregia, utpote non operosa modò, sed quod erat in tanta ipsorum paucitate necessarium, immensi etiam populi capacia. Sunt tamen omnia subobscura: nec id ædificandi inscitia factum, sed consilio sacerdotum ferũt, quòd immodicam lucem cogitationes dispergere, parciore ac uelut dubia colligi animos, & intendi religionem putãt. quæ quoniam non est ibi apud omnes eadem, & uniuersæ tamen eius formæ, quanquam uariæ ac

Festorum dierum obseruatio.

Templa cuiusmodi.

multiplices,in diuinæ naturæ cultum uelut in unum finem diuersa uia commigrãt: idcirco nihil in tẽplis uisitur auditurue, quod non quadrare ad cunctas in commune uideatur. Si quod proprium sit cuiusquam sectæ sacrum, id intra domesticos quisq; parietes curat. Publica tali peragunt ordine, qui nulli prorsus ex priuatis deroget. Itaq; nulla deorum effigies in templo conspicitur, quo liberũ cuiq; sit, qua forma Deum uelit è summa religione concipere. nullum peculiare Dei nomen inuocant,sed Mythrę duntaxat,quo uocabulo cũcti in unam diuinæ Maiestatis naturam, quæcũq; sit illa, conspirant.nullæ cõcipiuntur preces, quas non pronunciare quiuis inoffensa sua secta possit. Ad templum ergo in finifestis diebus uespere conueniunt,adhuc ieiuni, acturi Deo de anno mensęue, cuius id festũ postremus dies est,prosperè acto, gratias. postero die (nam is primifestus est) mane ad templa confluitur,ut insequentis anni mensisue,quem ab illo auspicaturi festo sint,faustum fœlicemq; successum comprecentur.

Confessio Vtopiensiũ.

At in finifestis antea quàm templum petũt uxores, domi ad uirorum pedes, liberi ad parentum prouoluti, peccasse fatentur sese aut admisso aliquo,aut officio indiligenter obito,ueniamq; errati precãtur. ita si qua se nube-

nubecula domesticæ simultatis offuderat, tali satisfactione discutitur, uti animo puro ac sereno sacrificijs interſint. nam interesse turbido, religio est. eoq; odij iræue in quenquam sibi conscij, nisi reconciliati, ac defecatis affectibus ad sacrificia non ingerunt se se, uindictæ sceleris, magnæq; metu. Eò quũ ueniunt, uiri in dextram delubri partem, fœminæ seorsum in siniſtram commeant. tum ita se collocant, ut cuiusq; domus masculi ante patremfamiliâs consideant, fœminarũ materfamiliâs agmen claudat. Ita prospicitur, uti omnes omnium gestus foris ab his obseruentur, quorum autoritate domi ac disciplina reguntur. quin hoc quoq; sedulò cauent, uti iunior ibi passim cum seniore copuletur, ne pueri pueris crediti, id temporis puerilibus transigant ineptijs, in quo deberẽt maximè religiosum erga superos metum, maximum ac propè unicum uirtutibus incitamentum concipere. Nullum animal in sacrificijs mactant, nec sanguine rentur ac cædibus diuinam gaudere clementiam, qui uitam animantibus ideo est elargitus ut uiuerent. Thus incendunt, & alia item odoramenta, ad hæc cereos numerosos præferunt, non quòd hæc nesciant nihil ad diuinam conferre naturã, quippe ut nec ipsas hominum preces: sed & innoxium co

lendi genus placet,& his odoribus luminibusq́, ac cæteris etiam ceremonijs, neſcio quomodo ſeſe ſentiunt homines erigi, atq́ in Dei cultum animo alacriore conſurgere. Candidis in templo ueſtibus amicitur populus,ſacerdos uerſicolores induitur, & opere & forma mirabiles,materia non perinde precioſa.neq́ enim auro intextæ, aut ratis coagmentatæ lapidibus, ſed diuerſis auium plumis tam ſcitè,tantoq́ artificio laboratæ ſunt,ut operis precium nullius æſtimatio materiæ fuerit æquatura. Ad hoc in illis uolucrum pennis plumisq́, & certis earum ordinibus,quibus in ſacerdotis ueſte diſcriminantur,arcana quædam dicunt cõtineri myſteria,quorum interpretatione cognita (quæ per ſacrificos diligenter traditur) diuinorum in ſe beneficiorum, ſuæq́ uiciſsim pietatis in Deum, ac mutui quoq́ inter ſe officij admoneantur. Quum primũ ſacerdos ita ornatus ex adyto ſeſe offert,cũcti protinus in terram uenerabundi procumbunt, tam alto ab omni parte ſilentio, ut ipſa rei facies terrorem quendam uelut præſentis cuiuſpiam numinis incutiat.tellure paulum morati,dato ab ſacerdote ſigno, erigunt ſeſe. tum laudes Deo canunt, quas muſicis inſtrumentis interſtinguunt, alijs magna ex parte formis, quàm quæ noſtro uiſun-

Muſica Vtopienſium.

uiſuntur orbe. Ex illis pleraq; ſicuti quæ nobis in uſu ſunt, multum ſuauitate uincunt, ita quędam noſtris ne conferenda quidem ſint. Verùm una in re hauddubiè lõgo nos interuallo præcellunt, quòd omnis eorum muſica, ſiue quæ perſonatur organis, ſiue quam uoce modulantur humana, ita naturales affectus imitatur & exprimit, ita ſonus accommodatur ad rem, ſeu deprecantis oratio ſit, ſeu læta, placabilis, turbida, lugubris, irata, ita rei ſenſum quendam melodiæ forma repræſentat, ut animos auditorum mirum in modum afficiat, penetret, incendat. ſolennes ad ultimum conceptis uerbis preces, ſacerdos pariter populusq; percenſent, ita compoſitas, ut quæ ſimul cuncti recitant, priuatim quiſq; ad ſemet referat. *Preces eorũ.* In his Deum & creationis, & gubernationis, & cæterorum præterea bonorum omnium, quilibet recognoſcit autorem, tot ob recepta beneficia gratias agit: nominatim uerò quòd Deo propitio in eam rempublicam inciderit, quæ ſit fœliciſsima: eã religionem ſortitus ſit, quam ſperet eſſe ueriſsimã. Qua in re ſi quid erret, aut ſi quid alterutra melius, & quod Deus magis approbet, orare ſe eius bonitas efficiat, hoc ut ipſe cognoſcat. paratum enim ſequi ſe quaquà uerſus ab eo ducat: ſin & hæc Reip. forma ſit opti-

ma, & ſua religio rectiſsima, tum uti & ipſi conſtantiã tribuat, & cæteros mortales omneis ad eadem inſtituta uiuendi, in eandem de Deo opinionẽ perducat, niſi per inſcrutabilẽ eius uoluntatem etiã ſit, quod in hac religionum uarietate delectet. Denicꝙ precatur, ut facilè defunctum exitu ad ſe recipiat: quàm citò ſeroúe, prę finire quidem nõ audere ſe. Quãquam quod inoffenſa eius maieſtate fiat, multo magis ipſi futurum cordi ſit, difficillima morte obita ad Deum peruadere, quàm ab eo diutius proſperrimo uitæ curſu diſtineri. Hac prece dicta, rurſus in terram proni, paulocꝙ pòſt erecti, diſcedunt pranſum, & quod ſupereſt diei, ludis & exercitio militaris diſciplinæ percurrunt. Deſcripſi uobis quàm potui ueriſsimè eius formam Reip. quam ego certè non optimam tantùm, ſed ſolam etiam cenſeo, quæ ſibi ſuo iure poſsit Reip. uendicare uocabulum. Siquidem alibi de publico loquentes ubique commodo, priuatum curant: hi ubi nihil priuati eſt, ſeriò publicum negocium agunt, certè utrobique meritò. Nam alibi quotus quiſque eſt qui neſciat, niſi quid ſeorſum proſpiciat ſibi, quantumuis florente Rep. ſemet tamen fame perituꝝ, eocꝙ neceſsitas urget, ut ſui potius, quàm populi, id eſt, aliorum habendã ſibi

rationem

rationem censeat. Contrà hîc, ubi omnia omnium sunt, nemo dubitat (curetur modò ut plena sint horrea publica) nihil quicquam priuati cuiquam defuturum. Neq; enim maligna rerum distributio est, neq; inops, neque mendicus ibi quisquam: & quũ nemo quicquam habeat, omnes tamen diuites sunt. Nã quid ditius esse potest, quàm adempta prorsus omni solicitudine lęto ac tranquillo animo uiuere? non de suo uictu trepidum, non uxoris querula flagitatione uexatum, non paupertatem filio metuentẽ, non de filiæ dote anxium, sed de suo, suorumq; omnium, uxoris, filiorum, nepotũ, pronepotum, abnepotum, & quàm lõgam posterorum seriem suorum generosi præsumunt, uictu esse ac felicitate securum. Quid quòd nihilo minus his prospicitur, qui nũc impotes olim laborauerunt, quàm his qui nũc laborant. Hic aliquis uelim cum hac ęquitate audeat aliarum iusticiam gentium comparare, apud quas dispeream, si ullum prorsus comperio iusticię æquitatisq; uestigium. Nam quæ hæc iusticia est, ut nobilis quispiã, aut aurifex, aut fœnerator, aut denicq; alius quisquam eorum, qui aut omnino nihil agunt, aut id quod agunt, eius generis est, ut non sit reip. magnopere necessarium, lautam ac splendidam uitam, uel ex

ocio, uel ſuperuacuo negocio conſequatur: quum interim mediaſtinus, auriga, faber, agricola, tanto tamq; aſsiduo labore, quem uix iumenta ſuſtineant, tã neceſſario, ut ſine eo ne unum quidem annum poſsit ulla durare reſpublica: uictum tamen adeò maligNum parant, uitam adeò miſeram ducũt, ut longè potior uideri poſsit cõditio iumentorum, quibus nec tã perpetuus labor, nec uictus multo deterior eſt, & ipſis etiam ſuauior, nec ullus interim de futuro timor. At hos & labor ſterilis atq; infructuoſus in præſenti ſtimulat, & inopis recordatio ſenectutis occidit: quippe quibus parcior eſt diurna merces, quàm ut eidem poſsit diei ſufficere, tantum abeſt ut excreſcat, & ſuperſit aliquid, qd' quotidie queat in ſenectutis uſum reponi. An non hæc iniqua eſt & ingrata reſpublica, quæ generoſis, ut uocant, & aurificibus, & id genus reliquis, aut ocioſis, aut tantum adulatoribus, & inanium uoluptatum artificibus, tãta munera prodigit: agricolis contrà, carbonarijs, mediaſtinis, aurigis & fabris, ſine quib. nulla omnino Reſp. eſſet, nihil benignè proſpicit: ſed eorum florentis ætatis abuſa laboribus, annis tãdem ac morbo graues, omnium rerum indigos, tot uigiliarum immemor, tot ac tantorũ oblita beneficiorum, miſerrima morte repẽſat

sat ingratissima. Quid quod ex diurno pauperum demenso diuites quotidie aliquid, non modò priuata fraude, sed publicis etiã legibus abradunt: ita quod antè uidebatur iniustum, optimè de Rep. meritis pessimam referre gratiam, hoc isti deprauatum etiam fecerũt, tum prouulgata lege iusticiam. Itaque omnes has, quę hodie usquam florent, Respublicas animo intuenti ac uersanti mihi, nihil, sic me amet Deus, occurrit aliud, quàm quædam cõspiratio diuitum, de suis cõmodis Reipub. nomine titulocꝫ tractantium: comminiscunturcꝫ & excogitant omnes modos atcꝫ artes, quibus, quæ malis artibus ipsi congesserunt, ea primùm ut abscꝫ perdendi metu retineant, post hoc ut pauperum omnium opera ac laboribus quàm minimo sibi redimant, eiscꝫ abutãtur. Hæc machinamenta ubi semel diuites publico nomine, hoc est etiam pauperum, decreuerunt obseruari, iam leges fiunt. At homines deterrimi, cum inexplebili cupiditate, quæ fuerant omnibus suffectura, ea omnia inter se partiuerint, quàm longè tamen ab Vtopiensium Reip. felicitate absunt? è qua cũ ipso usu sublata penitùs omni auiditate pecuniæ, quanta moles molestiarũ recisa, quanta scelerum seges radicitùs euulsa est? Quis enim nescit, fraudes, furta, rapinas, rixas, tumul-

Hæc annota lector.

tumultus,iurgia,ſeditiones,cædes,proditiones,ueneficia, quotidianis uindicata potius, quàm refrenata ſupplicijs, interẽpta pecunia commori:ad hæc metum, ſolicitudinem,curas, labores,uigilias, eodẽ momento quo pecunia perituras. quin paupertas ipſa, quæ ſola pecunijs uiſa eſt indigere, pecunia prorſus undiq; ſublata,protinus etiã ipſa deſcreſceret. Id quo fiat illuſtrius, reuolue in animo tecum annum aliquem ſterilẽ atque infœcundum, in quo multa hominũ millia fames abſtulerit: contendo planè in fine illius penuriæ, excuſsis diuitum horreis,tantum frugum potuiſſe reperiri, quantum ſi fuiſſet inter eos diſtributũ, quos macies ac tabes abſumpſit, illam cœli ſoliq; parcitatem nemo omnino ſenſiſſet. tam facilè uictus parari poſſet,niſi beata illa pecunia,quæ præclarè ſcilicet inuenta eſt, ut aditus ad uictum per eam pateſceret, ſola nobis ad uictum uiam incercluderet. Sentiunt iſta,non dubito,etiam diuites, nec ignorãt, quanto potior eſſet illa cõditio, nulla re neceſſaria carere, quàm multis abundare ſuperfluis, tam numeroſis eripi malis, quàm magnis obſideri diuitijs. Neque mihi quidem dubitare ſubit, quin uel ſui cuiuſque commodi ratio,uel CHRISTI Seruatoris autoritas (qui neque pro tanta ſapiẽtia

Diuitum penus.

potuit

potuit ignorare quid optimum esset: neque qua erat bonitate, id cõsulere quod nõ optimum sciret) totũ orbẽ facile in huius Reip. leges iamdudum traxisset, nisi una tantum bellua, omnium princeps parensq; pestiũ, superbia, reluctaretur. hæc non suis commodis prosperitatem, sed ex alienis metitur incommodis. hæc ne dea quidem fieri uellet, nullis relictis miseris, quibus imperare atq; insultare possit: quorum miseriis præfulgeat ipsius comparata fœlicitas, quorum suis explicatis opibus, angat atque incendat inopiã. Hæc auerni serpens mortaliũ pererrãs pectora, ne meliorem uitæ capessant uiam, uelut remora retrahit ac remorat. quæ quoniam pressius hominibus infixa est, quàm ut facilè possit euelli: hanc Reipub. formã, quam omnibus libenter optarim, Vtopiensibus saltem contigisse gaudeo, qui ea uitæ sunt instituta secuti, quibus Reip. fundamẽta iecerunt, non modò fœlicissimè, uerùm etiam, quantum humana præsagiri coniectura contigit, æternùm duratura. Extirpatis enim domi cum cæteris uitijs, ambitionis, & factionum radicibus, nihil impendet periculi, ne domestico dissidio laboretur: quę una multarum urbium egregiè munitas opes pessundedit. At salua domi concordia, & salubribus institutis, nõ omnium finiti-

Mirè dictũ.

Superbia.

Factiones in ciuitatibus.

finitimorum inuidia principum (quæ ſæpius id iam olim, ſemper reuerberata tentauit) concutere illud imperium, aut commouere queat. Hæc ubi Raphael recẽſuit, quanquam haud pauca mihi ſuccurrebant, quæ in eius populi moribus legibuſq; perquàm abſurdè uidebantur inſtituta, nõ ſolùm de belli gerendi ratione, & rebus diuinis, ac religione, alijſq; inſuper eorum inſtitutis: ſed in eo quoq; ipſo maximè, quod maximum totius inſtitutionis fundamentum eſt, uita ſcilicet uictuq; communi, ſine ullo pecuniæ commercio, qua una re funditùs euertitur omnis nobilitas, magnificentia, ſplendor, maieſtas, uera, ut publica eſt opinio, decora atq; ornamenta Reipublicæ: tamen quoniã defeſſum narrando ſciebam, neq; mihi ſatis exploratum erat, poſſet ne ferre, ut cõtra ſuam ſentẽtiam ſentiretur, præſertim quòd recordabar, eo nomine quoſdam ab illo reprehenſos, quaſi uererentur, ne nõ ſatis putarentur ſapere, niſi aliquid inuenirent, in quo uellicare aliorum inuẽta poſſent: idcirco & illorum inſtitutione, & ipſius oratione laudata, manu apprehendens, intrò cœnatum duco, præfatus tamen aliud nobis tempus, ijſdem de rebus altius cogitandi, atq; uberius cum eo conferendi fore: quod utinam aliquando contingeret. Interea quemadmodum

admodum haud possum omnibus assentiri quæ dicta sunt, alioqui ab homine citra controuersiam eruditissimo, simul & rerum humanarum peritissimo: ita facilè confiteor, permulta esse in Vtopiensium republica, quæ in nostris ciuitatibus optarim ueritus, quàm sperarim.

SECVNDI LIBRI
Vtopiæ FINIS.

SERMONIS POMERIDIANI Raphaelis Hythlodæi, de legibus & institutis Vtopiensis insulæ, paucis adhuc cognitæ, per clariss. & eruditiss. uirum, D. Thomam Morum, ciuem & Vicecomitem Londinensem, finis.

HIERONYMVS BVSLIDIVS THOmæ Moro S. D.

NON SAT FVIT, ORnatiſsime More, olim omnẽ curam, operã, ſtudium, intuliſſe in rem & cõmodum ſingulorũ, niſi uel ea (quæ tua pietas & liberalitas eſt) conferres in uniuerſum, ratus hoc tuũ, qualecũcꝫ foret, beneficiũ, eo maiorem hinc mereri fauorẽ, uenari gratiã, aucupari gloriã, quanto illud & latius propagatũ, & in plures diſtributũ, pluribus eſſet profuturũ. Quod & ſi aliàs ſemper pręſtare cõtenderis, tamẽ id maximè es nuper mira fœlicitate adſecutus, ſcilicet pomeridiano illo ſermone abs te in literas relato, quẽ de rectè & bene conſtituta, ab omnibus expetenda, Vtopienſiũ Rep. ædidiſti. In cuius pulcherrimi inſtituti fœlici deſcriptione nihil eſt, in quo uel ſumma eruditio, uel abſoluta rerũ humanarũ peritia deſiderari poſsit. Quando ea quidẽ ambo in illo tãta paritate & æquabili cõgreſſu cõcurrunt, ut neutro alteri herbã porrigente, utruncꝫ æquo Marte de gloria cõtẽdat. Tam ſiquidẽ multifaria polles doctrina, rurſum tam multa, eaꝫ certa

rerum

rerum peritia, ut prorsus expertus affirmes quicquid scripseris, doctissimè scribas, quicquid affirmādū destinaueris. Mira profectò raraq; fœlicitas, ac planè eo rarior, quo magis ipsa sese inuidens plurimis non præbet nisi raris, maximè ijs, qui sicut candore uelint, ita eruditiõe sciant, fide queãt, autoritate possint, tã piè, rectè, prouidè in cõmune cõsulere, sicut tu iam facis probè: qui quòd non solũ tibi, uerumetiã toti te genitũ orbi existimas, operęprecių duxeris, hoc tuo pulcherrimo merito, uel totũ ipsum orbẽ demereri. quod præstare alia ratione neq; rectius neq; melius potuisses, quàm ipsis mortalibus ratione pollentibus, eã Reip. ideam, eã morum formulam, absolutissimũq; simulacrũ præscribere, quo nullo unquam in orbe uisum sit uel salubrius institutũ, uel magis absolutũ, uel quod magis expetendum uideatur, utpote multo quidem præstante, atq; longo post se interuallo relinquẽte, tot celebratissimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum, Athenienſium, Romanorũ respublicas: quę si ijsdem essent auspicijs auspicatæ, ijsdem, quibus hæc tua Resp. institutis, legibus, decretis, moribus moderatæ, profectò hę nondũ labefactatę & solo æquatæ, iam proh dolor citra spem omnem instaurationis extinctæ iacérent: sed contrà,

incolumes adhuc,beatæ,fœlices,fortunatiſſimè agerent:interim rerum dominæ, ſuum latè imperium terra mariq; fortitæ. Quarũ quidem rerumpublicarum, tu miſerandam miſeratus ſortem,ne aliæ itidem,quæ hodie rerum potitæ ſummum tenent,parem ſuſtinerẽt uicem,proſpicere uoluiſti, ſcilicet hac tua abſolutiſsima republica, quæ non tam in condendis legibus,quàm uel pro beatiſſimis magiſtratibus formandis maximè elaborauit. Nec id quidem ab re,quando alioqui ſine illis omnes, uel optimæ leges, ſi Platoni credimus,mortuæ cenſerentur: præſertim ad quorum magiſtratuum ſimulacrũ, probitatis ſpecimen, exemplar morum, iuſticię imaginem,totus ſtatus,& rectus tenor cuiuſuis abſolutæ Reip. ſit effingendus. In quo in primis concurrant,prudẽtia in optimatibus, fortitudo in militibus,temperantia in ſingulis, iuſticia in omnibus. Quibus, quum tua, quam tantopere celebras, reſpublica ſit tam pulcherrimè, ut liquet, compoſita, non mirum ſi hinc ueniat, non ſolùm multis timenda, ſed & cunctis gentibus ueneranda,ſimul omnibus ſeculis prędicanda. Idq; eo magis, quòd in ea omnis proprietatis cõtentiõe ſublata,nulli ſit quippiã propriũ. Cæterùm in rẽ ipſam cõmunẽ, communia ſunt omnibus omnia, adeò ut

omnis

omnis res, quæuis actio, seu publica, seu priuata, non ad multorum cupiditatem, nõ ad paucorũ libidinẽ spectet, sed ad unam iustitiam, æquabilitatem, cõmunionẽ sustinẽdã (quantulacunq; sit) tota referatur. Quò illa integrè relata, omnis materies, fax & fomes, ambitus, luxus, inuidentiæ, iniuriæ, facessant necesse est: in quæ nõnunquã aut priuata rerũ possessio, aut ardens habẽdi sitis, omniumq; miserrima rerum ambitio, mortales uel reluctãtes protrudit, maximo suo, idq; incomparabili malo: quando hinc sæpenumerò dissensiones animorum, motus armorum, & bella plus quàm ciuilia derepentè oriantur: quibus non solum florentissimus status beatissimarũ Rerumpub. funditùs pessũdatur, uerùm illarum olim parta gloria, acti triumphi, clara trophæa, totiesq; opima spolia deuictis hostibus relata, penitùs obliterantur. Quòd si in his hæc nostra pagina minorem fortẽ, ac uelim, fidẽ fecerit, certè in promptu aderunt testes, ad quos te relegem, locupletissimi, uidelicet tot & tantæ olim uastatæ urbes, dirutæ ciuitates, prostratæ Respublicæ, incẽsi & cõsumpti uici: quorum uti hodie uix ullæ tantæ calamitatis reliquiæ, aut uestigia uisuntur, ita nec nomina illorũ ulla, quantũuis uetus & lõgè deducta historia, sat probè tenet. Quas

quidem insigneis clades, uastationes, euersiones, cæterasq; belli calamitates, nostræ, si quæ sint, Respublicæ facilè euaserint, modò ad unam Vtopiẽsium reipublicæ normam sese ad amussim cõponẽtes, ab ea ne transuersum quidem, ut aiunt, unguem recedãt. Quod sic demum præstantes, tandẽ re ipsa cumulatissimè agnoscent, quãtum hoc tuũ in se collatum beneficium profuerit, maximè quo accedente didicerint, suam Rempublicam saluam, incolumem, triumphantem seruare. Proinde tãtum tibi suo præsentissimo seruatori debituræ, quantũ is haud iniuria promeretur, qui non tantum aliquẽ è republica ciuem, sed uel ipsam totam Rem publicam seruarit. Interea Vale, ac fœliciter perge nonnihil usq; meditari, agere, elaborare, quod in Rempublicam collatum illi perpetuitatem, tibi immortalitatem addat. Vale doctissime, & idem humanissime More, tuæ Britanniæ, ac nostri huius orbis decus. Ex ædibus nostris Mechliniæ, ANNO M. D. XVI.

EPIGRAMMATA CLARISSIMI DISERTISSIMIQVE uiri, THOMAE MORI Britanni.

QVIBVS PRAEMISSA SVNT *ipsius & G. Lilij Progymnasmata.*

BEATVS RHENANVS Bilibaldo Pircheimero, Maximiliani Cæsaris à Consilio, & Senatori Norenbergensi S. D.

BELLE prorsus conuenire mihi uisum fuit, clarissime Bilibalde, si THOMAE MORI illius Britanniæ decoris Epigrammata, quæ nuper ERASMVS noster Roterodamus ad me misit, tibi nominatim inscriberem: siquidem multis adeò rebus similes inter uos estis. Vterq; iuris peritus, uterq; cùm Romanè, tũ Græ-

cè doctus, uterq; non in publicis modò suę ciuitatis functionibus uersans, sed & ob singularē negociorū explicandorū dexteritatē, & in dandis consilijs prudētiā, suo quisq; principi charissimus: ille potentissimo Britannorū regi Henrico, tu sacratissimo Cæsari MAXIMILIANO. Nam quid de fortunis attinet cōmemorare, quas utriq; possidetis amplissimas, ut uel hoc quicquid est ornamenti, quod ex diuitijs accedere putat, neutri desit, quin potius ædendis uirtutum maximè liberalitatis exemplis abundè supersit materia. Sed & utriq; pater obtigit nō minus literis, q̄ senatoria familia clarus. Itaque cū amicitiæ similitudo sit autor & æqualitas, hāc MORI fœturā tibi nūcupare congruentissimum duxi, ut quē multis alioqui nominibus amore prosequeris, de his etiā Epigrāmatis impēsius cōplectaris, ames, magnifacias. Huc adde, q̄ nemini rectius mitti poterāt hi lepidissimi lusus, q̄ ei, qui in hāc, quod aiunt, harenā aliquādo sit descendere solitus. Nā is demum nouerit, quàm sit egregia res doctū epigrāma, quisquis ipse fuerit suū nonnunquā ingenium in hoc exercitatiōis genere periclitatus. Sedenim, id quod

Epigramma quid sit.

te nō latet, argutiam habeat epigramma cū breuitate cōiunctam, sit festiuū, & acclamatiunculis, quæ ἐπιφωνήμασι Greci uocāt, subinde

inde claudat. Quas sanè dotes omneis cumulatissimè licet in his Moricis Epigrãmatibus reperire, præsertim in his quæ ipse genuit: nã in cæteris, quæ è Græcis uersa sunt, inuẽtionis laus priscis tribuitur. Quanquã hic quoq; nõ minus magni fieri meret, commodè reddens ex aliena lingua, quàm scribens: labor certê uertẽtis sæpè maior. Siqui dẽ qui scribit, liber est, & inuentioni liberè uacat: at qui trãsfert, ad aliud subinde respicere cogit, nimirũ ad id quod uertendũ desumpsit: quod quoties fit, multo plus sudat ingeniũ, quàm cum suũ aliquid progignit. Vtrobiq; sanè mirus est THOMAS MORVS: nã elegãtissimè cõponit, & fœlicissimè uertit. Quàm fluũt suauiter huius carmina? Quàm est hic nihil coactũ? Quàm sunt omnia facilia? Nihil hic durũ, nihil scabrũ, nihil tenebricosum. Cãdidus est, argutus, Latinus. Porrò gratissima quadã festiuitate sic omnia tẽperat, ut nihil unquã uiderim lepidius. Crediderim ego Musas quicquid usq; est iocorũ, lepôris, salium, in hũc contulisse. Quàm lusit elegãter ad Sabinũ alienos pro suis tollẽtẽ liberos? Quàm salsè Lalũ ridet, q uideri Gallus tã ambitiosè cupiebat? Sunt aũt huius sales nequaquã mordaces, sed cãdidi, melliti, blãdi, & quiduis potius q; amarulenti. Iocat em̃, sed ubiq; citra dentẽ: ridet,

ſed citra contumeliã. Iam inter epigrãmatographos Pontanum & Marullum in primis hodie miratur Italia: at diſpeream, ſi nõ tantundẽ in hoc eſt naturæ, utilitatis uerò plus. niſi ſi quis inde magnopere ſe credit iuuari, dum ſuam Neæram celebrat Marullus, & in multis ἀνιστᾶσαι, Heraclitum quendam agẽs: aut dum Iouius Pontanus ueterum nobis epigrammatiſtarum nequitias refert, quibus nihil ſit frigidius, & boni uiri lectione magis indignum, ne dicam Chriſtiani. ſcilicet uſq; adeò uetuſtatem iſtis ęmulari, cordi fuit. quã ne cõtaminarent, ſic à ſacris abſtinuerũt, ut à Græcis olim Põponius Lætus, ne Romanæ linguæ caſtimoniam uiolaret, homo ſuperſtitioſè Romanus. Cæterùm quẽadmodũ hi luſus MORI ingeniũ oſtendũt & inſignẽ eruditionẽ, ſic iudicium nimirũ acre, quod de rebus habet, ex VTOPIA cumulatiſsimè eluxerit. De qua paucis obiter ineminero, quòd hãc accuratiſsimus in literis BVDAEVS, incomparabilis ille melioris eruditionis antiſtes, & ingens, atque adeò unicum Galliarum decus, ita ut decebat, luculenta præfatione laudauit. Habet ea hoc genus decreta, qualia nec apud Platonẽ, nec apud Ariſtotelẽ, aut etiã Iuſtiniani ueſtri Pandectas ſit reperire. Et docet minus forſan philoſophicè, q̃ illi, ſed magis Chriſtianè.

Põp. Lætus.

G. Budæus.

stianè. Quãquã (audi per Musas bellã historiam) cum hic nuper in quodam grauium aliquot uirorum consessu, Vtopiæ mentio orta fuisset, & illam ego laudibus ueherem, negabat quidam pinguis, plus habendum MORO gratiæ, quàm actuario cuipiã scribæ, qui in curia aliorum sententias duntaxat enotet, doriphorematis ritu (quod aiunt) interim assidendo, nihil ipse censens: quòd diceret ea omnia ex Hythlodæi ore excepta, & à MORO tantum in literas missa. Proinde MORVM nullo laudandum alioqui nomine, nisi quòd hæc commodè retulisset. Et non deerant, qui hominis iudicio uelut rectissimè sentientis album adijcerent calculũ. ἀῤῥα ὲ σὺ τστὸνὶ τὸ Μώρε χαφιγντισμὸν λέχη, τοιόντες ἄνδρας ὲ τὲς τυχόντας, ἀλλὰ τὲς δοκίμες παρὰ τοῖς πολλοῖς, καὶ ταῦτα θεολόγες, πλανήσαντ&. Postremò si hoc quoq; scire cupis: Guilielmus Lilius, MORI sodalis, cũ quo uertendis Græcis epigrãmatibus iam olim colluſit, quæ Progymnasmatum titulo sunt inscripta, Britannus est, uir omnifariam doctus, non modò Græcos autores, sed & eius nationis mores uernaculos domesticè notos habens, ut qui in insula Rhodo fuerit aliquot annos commoratus: is nunc ludum literariũ, quem Londini Coletus instituit, magna cum laude exercet. Quod superest,

cum tibi per occupationes licebit, quibus in obeundis legationibus administrãdaq; Republica, laborioſiſsimè diſtraheris, hoc libelli in manum cape, lege, & MORO, cuius os, ut puto, nondum uidiſti, ſed ex ſcriptis iam pridem cognitum habes, fauе. Bene Vale clariſsime uir. Baſileæ, VII. Cal. Martias.

M. D. XVIII.

PRO-

PROGYMNASMATA THOMAE MORI ET Guilielmi Lilij, Sodalium.

ΛΟΥΚΙΛΛΙΟΥ.

Μῦν ἀσκληπιάδης ὁ φιλάργυρος εἶδεν ἐν οἴκῳ,
Καὶ τί ποιεῖς, φησίν, φίλτατε μῦ παρ' ἐμοῖς
Ἠλὺ δὲ μῦς γελάσας, μηδὲν φίλε, φησί, φοβηθῇς,
Οὐχὶ τροφῆς πρὸς σοὶ χρήζομεν, ἀλλὰ μονῆς.

T. MORI IN AVARVM.

Murem Aſclepiades ut apud ſe uidit auarus,
Mus quid in æde facis, dixit, amice mea?
Mus blandè arridens, tolle, inquit, amice timorem:
Hic ego non uictum quæro, ſed hoſpitium.

G. LILII.

Murem Aſclepiades in tecto uidit auarus,
Et quid apud me ô mus, inquit, amice facis?
Mus ridens, inquit, nihil ô uerearis amice:
Non abs te uictum, ſed mihi quæro domum.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

Πλοῦτον μὲν πλουτῶντος ἔχεις, ψυχὴν δὲ πενήτος,
Ὦ τοῖς κληρονόμοις πλοῦσιε, σοὶ δὲ πένης.

G. LILII IN AVARVM.

Diuitias locupletis habes, animam ſed egeni:
Hæredi ô diues, ſed tibi ſolus egens.

T. MO-

T. MORI

Diuitias locupletis habes, inopis tibi mens est.
O miser hæredi diues, inopsq; tibi.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ.

Ἀγὸς ἀχαιμενίδης γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ μενίππου,
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο· καὶ πάλιν ἕτερος
Οἴεται. εἰμὶ δ' ὅλως ἀδέσποτος, ἀλλὰ τύχης.

G. LILII DE POSSESSIOnibus incertis.

Nuper Achæmenidæ, sed nunc sumus arua Menippi:
Et nunc hunc rursus, nunc alium petimus.
Ille etenim nuper, nunc & nos alter habere
Se putat: at nobis nil nisi casus inest.

T. MORI.

Nuper Achæmenidæ fueram, nunc ecce Menippi:
Adq; alium rursus deueniam ex alio.
Me proprium nunc iste putat, proprium ille putabat:
Ast ego nullius sum, nisi sortis ager.

ΑΔΗΛΟΝ.

Σώματα πολλὰ τρέφω, καὶ δώματα πολλ' ἀνεγείρω,
Ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐσθ' ἑτοιμοτάτη.

T. MORI DE LVXVimmodico.

Multas ædificare domos, & pascere multos,
Est ad pauperiem semita recta quidem.

G. LILII.

Corpora multa alere, & complures ponere sedes,
Ipsa est ad summam semita pauperiem.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ.

Ως τεθνηξόμενος, τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ως δὲ βιωσόμενος, φείδεο σῶν λιτεαίνων.
Εστὶ δ' ἀνὴρ σοφὸς ἔτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ, καὶ λαιτῇ μέτρον ἐφηρμόσατο.

G. LILII DE MODERATO sumptu.

Diuitijs utare tuis, tanquam moriturus:
Tanquam uicturus, parcito diuitijs.
Vir sapiens est ille quidem, qui hæc ambo uolutans
Parcit, quiq; modum sumptibus applicuit.

T. MORI.

Tanquam iam moriturus partis utere rebus:
Tanquam uicturus denuò parce tuis.
Ille sapit, qui perpensis his ritè duobus,
Parcus erit certo munificusq; modo.

ΑΔΗΛΟΝ.

Ελπὶς καὶ σὺ τύχη, μέγα χαίρετε, τὸν λιμέν' ἔυρον·
Οὐδὲν ἐμοὶ χ' ὑμῖν, παίζετε τὸς μετ' ἐμέ.

T. MORI DE CONTEMPTU fortunæ.

Iam portum inueni, Spes & Fortuna ualete.
Nil mihi uobiscum est, ludite nunc alios.

G. LILII.

Inueni portum, Spes & Fortuna ualete.
Nil mihi uobiscum, ludite nunc alios.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

Εἰς ἐπίβην γυμνὸς, γυμνός θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι,
Καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος:

G. LI-

G. LILII DE MORTE.

Ingredior nudus terram, egredior quoq; nudus.
Quid frustra studeo, funera nuda uidens?

T. MORI.

Nudus ut in terram ueni, sic nudus abibo.
Quid frustra sudo, funera nuda uidens?

ΑΔΗΛΟΝ.

Οἶνός, καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ πρὸς λύπειν ὁρωὴ,
Ὀξυτόην πέμπει τὼ ὁδὸν εἰς ἀΐδην.

T. MORI DE LVXV & Libidine.

Si quis ad infernos properet descendere manes,
Huc iter accelerant, balnea, uina, Venus.

G. LILII.

Nos caligantis rapiunt ad tecta tyranni,
Præcipiti cursu, balnea, uina, Venus.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

Οὐχ ὅτω βλάπτει μισεῖν ὁ λέγων ἀναφανδὸν,
Ὡσπερ ὁ τὼ καθαρὰν ψυδόμενος φιλίαν.
Τὸν μὲν γὰρ μισοῦντα προειδότες, ἐκτρεπόμεσθα,
Τόνδε λέγοντα φιλεῖν, ὡς προφυλασσόμεθα.
Ἐχθρὸν ἐγὼ λεῖνον πείνω βαρὺν, ὅς ποτε λάθρᾳ
Τὴν ἀπὸ τῆς φιλίης πίστιν ἔχων, λείπει.

T. MORI DE FIcto amico.

Non æquè nocet hic, qui sese odisse fatetur,
Atq; hic qui puram fingit amicitiam.
Osorem monitus fugio: fugisse sed illum
Quomodo qui se me fingit amare, queo?

Pessimus

Peßimus hic certè est inimicus, quisquis amicus
Creditus, occulta subdolus arte nocet.

G. LILII.

Non is tam lædit, liquidè qui dixerit, odi,
Quàm qui synceram fingit amicitiam.
Vitabis certè quem noueris esse nocentem:
Ast illum nunquam qui tibi dixit, amo.
Ille mihi grauis est hostis, qui clàm nocuisse
Gaudet, quiq; fidem fert in amicitia.

ΕΙΣ ΛΑΚΑΙΝΑΝ, ΑΔΗΛΟΝ.

Γυμνὸν ἰδοῦσα λάλαιναπαλίντροπον ἐν πολέμοιο
Παῖδ' ἑὸν εἰς πάτραν ὠκυὺ ἰόντα πόδα,
Αντῖα αἴξασα, δι' ἄπαντος ἤλασε λόγχην,
Ἀρρενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ λιταμένῳ·
Ἀλλότριον ἀστὸν εἶπεν γεύσω, ἔρρε πόθ' ἕδρας,
Ἐρρ' ἐπεὶ ἐψύσω πατρίδα, καὶ γονέας.

T. MORI DE MILI-
te Spartano.

In patriam amißis celeri pede dum redit armis,
Conspiciens gnatum sæua Lacæna suum,
Obuia sublata corpus transuerberat hasta,
Hæc super occisum masculà uerba loquens.
Degener ô Spartes genus, ito in Tartara tandem,
Ito, degeneras & patria, & genere.

G. LILII.

Quum nudum è bello gnatum remeare Lacæna
Vidit, & in patrios accelerare lares.
Insultans contrà, pectus traiecerat hasta,
Horrida in extinctum uoce uirago furens.

Sparta-

Spartanam quando es patriam mentitus, auosq́;,
Ad manes tandem degener, inquit, abi.

ΑΓΑΘΙΟΥ.

Χωλὸν ἔχεις τὸν νῶν ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
Εἰκόνα τῶν σῶν σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

T. MORI IN CLAVDVM
& ſtupidum.

Clauda tibi mens eſt, ut pes: natura notasq́;
Exterior certas interioris habet.

G. LILII.

Tardus es ingenio, ut pedibus: natura etenim dat
Exterius ſpecimen, quod latet interius.

ΑΔΗΛΟΝ.

Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν ἃ δεῖ παθεῖν,
Καὶ μὴ παθεῖν, ἁπλοῦν ἦν τὸ μαθεῖν.
Εἰ δ' δεῖ παθεῖν ἃ δεῖ μαθεῖν,
Τί δεῖ μαθεῖν; παθεῖν γὰρ χρή.

T. MORI THEOPHRASTI
apud Aulum Gellium
dilemma.

Si uitare queas, quæ ſunt patienda, ſciendo:
Scire quidem pulchrum, quæ paterere, foret.
Sin quæ præſcieris uitandi eſt nulla poteſtas,
Quid præſcire iuuat, quæ patiere tamen?

G. LILII.

Si poſſet caſus quiſquam præſcire futuros:
Et uitare ſimul, ſcire ſuaue foret.
Sin patienda tibi prorſus quæ ſcire requiris,
Quid præſciſſe iuuat? namq; neceſſe pati.

T. MO-

T. MORI, CARMINE IAMbico trimetro.

Præscire si queas quæ oporteat pati,
Queasq; non pati, bonum est ut præscias:
At si te oporteat, licet scias, pati,
Præscire quid iuuat? necesse enim est pati.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

Δὶς δύ' ἀδελφὸς ὁδ' ἐπέχει τάφος· ἓν γὰρ ἔπεφνεν
Ἦμαρ καὶ γενέης οἱ δύο, καὶ θανάτου.

T. MORI, IN DVOS FRAtres, uno & natos & mortuos die.

Quatuor hic tumulus fratres complectitur. ex his
Lux simul una duos & parit, & perimit.

G. LILII.

Quatuor hic tumulus fratres habet. una duobus
Lux & natalis, mortis & una fuit.

ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Ζεὺς, δύνυς, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ὄρωτα
Λήδης, εὐρώπης, ἀντιόπης, δανάης.

T. MORI, DE IOVE MVTATO.

Taurus, olor, satyrusq; ob amorẽ, et Iuppiter aurũ est
Europes, Ledes, Antiopes, Danaes.

G. LILII.

Taurus, olor, satyrus, per amorem Iuppiter aurum
Europæ, Ledes, Antiopæ, Danaes.

ΑΔΗΛΟΝ.

Ἐννέα τὰς μούσας φασίν τινες ὡς ὀλιγώρως
Ἠνὶ δὲ καὶ σαφῶς λεσβόθεν ἢ δεπάτη.

T. MORI, IN SAPPHO.

Muſas eſſe nouem referunt, ſed prorſus aberrant:
Leſbica iam Sappho Pieris eſt decima.

G. LILII.

Quàm temerè dixere nouem quidam eſſe ſorores
Muſarum: en Sappho Leſbis adeſt decima.

ΑΓΑΘΙΟΥ ΣΧΟΛΑΤΙΚΟΥ.

Ἡ σάτυρος τὸν χαλκὸν ὑπέδραμεν, ἢ διὰ τέχνης
Χαλκὸς ἀναγλαϊσθεὶς, ἀμφεχύθη σατύρῳ.

G. LILII, IN ÆREAM SAtyri ſtatuam.

Aut Satyrus fuſus circum æs, aut arte coactum
Illud idem circumfuſum erat æs Satyro.

T. MORI.

Prorſum admiranda dum circumflectitur arte,
Aut Satyrum hoc tegit æs, aut Satyro æs tegitur.

EIVSDEM.

Aut iſti Satyrus iam circumflectitur æri,
Aut iſto Satyrus iam circumflectitur ære.

ΕΙΣ ΑΓΑΛΜΑ ΝΙΟΒΗΣ.

Ἐκ ζωῆς μὲ θεοὶ τσύξαν λίθον, ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν πραξιτέλης ἔμπαλιν ἐργάσατο.

G. LILII, IN STAtuam Niobes.

Ex uita ſaxum Dij me fecere: ſed ipſe
Ex ſaxo uitam denuò Praxiteles.

T. MORI.

Dij ex uiua lapidem fecere: at quum lapis eſſem,
Me uiuam fecit denuò Praxiteles.

ΣΙΜΩ

ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ.

Δῆμ' ἀβλωκίωρ σὲ νεοπτόλεμ' εἰκόνι τῇδε
Τίμησ' εὐνοίης, εὐσεβίης θ' ἕνεκα.

T. MORI, IN STA-
tuam Neoptolemi.

Cecropis urbs te tota Neoptoleme hac statua ornat:
Vt faciat, faciunt hinc amor, hinc pietas.

G. LILII.

Hoc te donarat propter pietatem & amorem
Signo, Cecropidûm turba Neoptoleme.

PROGYMNASMATON THOMÆ
Mori, & Guilielmi Lilij Sodalium,
FINIS.

EPIGRAMMATA

CLARISSIMI DISERTISSIMIQ; uiri, Thomæ Mori Britanni, pleraq; è Græcis uersa.

HENRICO VIII. ANGLIÆ REgi *Tho. Morus* S.

EREOR, Illustrissime Princeps, dum more uirginum, quæ satis formæ suæ non fidunt, picturæ lenocinio gratiam illepidis uersiculis comparare studeo, ne eos qua maximè dote placere potuissent, id est, ipsius rei nouitate, fraudarim. Nam quum illicò in præsentem coronationem tuam conscriptos eos pictori exornandos dedissem, effecit certè podagra, qua protinus quàm opus inchoauit, in cõmodissimè tentatus est, ut eos nunc tandem, serius aliquanto quàm res postulare uidebatur, exhibeam. Itaq; si tecum pro insita humanitate tua liberius agi sinis, haud scio, maiorem´ne gratiam uersiculis nostris pictoris manus adiecerint, an pedes ademerint. Quippe quibus effectũ est, ut mihi uerendum sit, ne non minus sera, ac proinde intem-

intempestiua, uideri tibi possit hæc nostra gratulatio, quàm olim Tiberio principi uisa est, Ilienſium illa consolatio, qua eum de morte filij, iamdiu defuncti, consolabãtur, quam ille faceta dicacitate delusit, respondens, se eorum quoq; uicẽ dolere, quòd bonum militem amisissent Hectorem. Verùm eorum officium, ad luctum non senescentẽ modò, sed planè præmortuum, non potuit esse non ridiculum: meum uerò ab hoc uitio uendicat immensa illa de celebri coronatione tua lætitia: quæ quum pectoribus omnium tam efficacem sui uim ac præsentiã impresserit, ut senescere uel integra ætate non possit, effecit nimirum, ut hoc meũ officium non serò re peracta atq; euanida, sed præsens in rem præsentem peruenisse uideatur. Vale Princeps illustrissime, & (qui nouus ac rarus regum titulus est) amatissime.

IN SVSCEPTI DIADEMATIS DIEM HENRICI VIII. illustrissimi ac faustissimi Britanniarum regis, ac Catherinæ reginæ eius fœliciſsimæ, THOMÆ MORI Londonienſis carmen gratulatorium.

SI qua dies unq̃, ſi qd' fuit Anglia tẽpus,
Gratia quo ſuperis eſſet agenda tibi:
Hæc eſt illa dies niueo ſignanda lapillo,
Læta dies faſtis annumeranda tuis.
Meta hæc ſeruitij eſt, hæc libertatis origo,
Triſticiæ finis, læticiæq; caput.
Nam iuuenem ſecli decus ô memorabile noſtri
Vngit, & in regem præficit iſta tuum.
Regem qui populi non unius uſq;, ſed orbis
Imperio dignus totius unus erat.
Regem qui cunctis lachrymas detergat ocellis,
Gaudia pro longo ſubſtituat gemitu.
Omnia diſcuſſis arrident pectora curis,
Vt ſolet excuſſa nube nitere dies.
Iam populus uultu liber præcurrit amœno,
Iam uix læticiam concipit ipſe ſuam.
Gaudet, ouat, geſtit, tali ſibi rege triumphat,
Nec quicquam niſi rex quolibet ore ſonat.
Nobilitas, uulgi iamdudum obnoxia feci,
Nobilitas, nimium nomen inane diu,

Nunc

Nunc caput attollit, nunc tali rege triumphat,
Et meritò cauſas unde triumphet, habet.
Mercator uarijs deterritus antè tributis,
Nunc maris inſuetas puppe reſulcat aquas.
Leges inualidæ prius, imò nocere coactæ,
Nunc uires gaudent obtinuiſſe ſuas.
Congaudent omnes pariter, pariterq; rependunt
Omnes uenturo damna priora bono.
Iam quas abdiderat cæcis timor antè latebris,
Promere quiſq; ſuas gaudet & audet opes.
Iam iuuat ô, potuit tot furum ſi qua tot uncas
Tam circumſpectas fallere præda manus.
Non iam diuitias ullum eſt (magnum eſſe ſolebat)
Quæſitas nullo crimen habere dolo.
Non metus occultos inſibilat aure ſuſurros:
Nemo quod taceat, quodúe ſuſurret, habet.
Iam delatores uolupe eſt contemnere, nemo
Deferri, niſi qui detulit antè, timet.
Conueniunt igitur ſimul ætas, ſexus, & ordo,
Cauſaq; non ullum continet ulla domi,
Quo minus interſint, dum ſacris ritè peractis,
Rex init auſpicijs regna Britanna bonis.
Quacunq; ingreditur, ſtudio conferta uidendi
Vix ſinit angustam turba patére uiam.
Opplenturq; domus, & pondere tecta laborant,
Tollitur affectu clamor ubiq; nouo.
Nec ſemel eſt uidiſſe ſatis, loca plurima mutant,
Si qua rurſus eum parte uidere queant.
Ter ſpectare iuuat: quid ni hunc ſpectare iuuaret,

Quo natura nihil finxit amabilius?
Mille inter comites excelsior omnibus extat,
Et dignum augusto corpore robur habet.
Nec minus ille manu est agilis, quàm pectore fortis:
Seu res districto debeat ense geri,
Seu quum protentis auidè concurritur hastis,
Seu petat oppositum missa sagitta locum.
Ignea uis oculis, Venus insidet ore, genisq;
Est color, in geminis qui solet esse rosis.
Illa quidem facies alacri ueneranda uigore
Esse potest teneræ uirginis, esse uiri.
Talis erat, Nympham quum se simulauit Achilles:
Talis, ubi Aemonijs Hectora traxit equis.
O si animi præstans unà cum corpore uirtus
Cerni, natura non prohibente, queat.
Imò etiam uultu uirtus pellucet ab ipso:
Est facies animi nuncia aperta boni.
Quàm matura graui sedeat prudentia mente,
Quàm non solliciti pectoris alta quies,
Quoq; modo sortem ferat, & moderetur utranq;,
Quanta uerecundæ cura pudicitiæ,
Quàm tranquilla fouet placidum clementia pectus,
Quàm procul ex illo fastus abest animo:
Principis egregius nostri (quas fingere non est)
Præ se fert certas uultus & ipse notas.
At qua iusticia est, regnandi quas habet artes,
Prosequitur populum qua pietate suum:
Hæc facilè ex uultu fiunt illustria nostro,
Hæc sunt ex nostris conspicienda bonis,

Quòd

Quòd sic afficimur, quòd libertate potimur,
Quodq; abiere timor, damna, pericla, dolor:
Quòd rediere simul, pax, commoda, gaudia, risus,
Eximij uirtus principis inde patet.
Eneruare bonas immensa licentia mentes,
Idq; etiam in magnis assolet ingenijs.
At quamuis erat antè pius, mores tamen illi
Imperium dignos attulit imperio.
Nam bona quæ pauci sera fecere senecta,
Protinus in primo præstitit ille die.
Illicò correptos incluſit carcere, quisquis
Consilio regnum læserat antè malo.
Qui delator erat, uinclis constringitur arctis,
Vt mala quæ multis fecerat, ipse ferat.
Ad mercaturas aperit mare: si quod ab illis
Durius exactum est antè, remisit onus.
Despectusq; diu magnatum nobilis ordo,
Obtinuit primo pristina iura die.
Ille magistratus & munera publica, uendi
Quæ sueuere malis, donat habenda bonis.
Et uersis rerum uicibus fœliciter, antè
Quæ tulit indoctus præmia, doctus habet.
Regibus antiquam (nam uersæ euertere regnum
Debuerant) subitò uimq; decusq; dedit.
Omnis cumq; prius prorsus desciscere ordo,
Protinus est omnis redditus ordo sibi.
Quid quòd in his etiam uoluit rescindere quædam,
Vt populo possit commodus esse suo:
Quæ tamen antè suo nouit placuisse parenti.

Sic patriam,ut decuit,prætulit ille patri.
Nec miror:quid enim non principe fiat ab illo,
Cui cultum ingenuis artibus ingenium est?
Castalio quem fonte nouem lauere sorores,
Imbuit & monitis Philosophia suis.
Nominibus populus multis obnoxius omnis
Regi erat:hoc unum pertimuitq; malum.
At rex hinc metui quum posset,posset & inde
Congerere immensas,si uoluisset,opes:
Omnibus ignouit,securos reddidit omnes,
Sollicitiq; malum substulit omne meus.
Ergo alios populi reges timuere:sed istum,
Per quem nunc nihil est quod timeatur,amant.
Hostibus ô princeps multum metuende superbis:
O populo princeps non metuende tuo.
Illi te metuunt:nos te ueneramur,amamus:
Illis noster erit,cur metuaris,amor.
Sic te securum,demptoq; satellite tutum,
Vndiq; præstabunt,hinc amor,inde timor.
Extera bella quidem,coeat si Gallia Scotis:
Sit tantum concors Anglia,nemo timet.
At procul intestina aberunt certamina:nam quæ
Semina,quas causas unde oriantur,habent?
Primùm equidem de iure tuæ tituloq; coronæ
Quæstio iam non est ulla,nec esse potest.
Quæ certare solet iam tu pars utraq; solus,
Nobilis hanc litem soluit uterq; parens.
Ast magis abs te etiam est populi procul ira, tumultus
Impia ciuilis quæ solet esse caput.

Ciuibus

Ciuibus ipſe tuis tam charus es omnibus unus,
Vt nemo poſsit charior eſſe ſibi.
Quòd ſi fortè duces committeret ira potentes,
Soluetur nutu protinus illa tuo.
Tanta tibi eſt maieſtatis reuerentia ſacræ,
Virtutes meritò quam peperere tuæ.
Quæ tibi ſunt,fuerant patrum quæcunq; tuorum,
Sæcula priſca quibus nil habuere prius.
Eſt tibi nanq; tui princeps prudentia patris,
Eſtq; tibi matris dextra benigna tuæ.
Eſt tibi mens auiæ,mens religioſa paternæ,
Eſt tibi materni nobile pectus aui.
Quid mirum ergo,nouo ſi gaudeat Anglia more,
Cùm qualis nunquam rexerat antè,regat?
Quid quòd lætitia hæc quæ uiſa eſt non potuiſſe
Creſcere,coniugio creuit adaucta tuo?
Coniugio,ſuperi quod decreuere benigni,
Quo tibi, quoq; tuis conſuluere bene.
Illa tibi coniunx,lætus communia tecum
Quam uidit populus ſceptra tenere tuus:
Cuius habent tantam cœleſtia numina curam,
Vt thalamis ornent,nobilitentq; tuis.
Illa eſt,quæ priſcas uincat pietate Sabinas,
Maieſtate ſacras uicerit hemitheas.
Illa uel Aceſtes caſtos æquarit amores,
Vel prompto ſuperet conſilio Tanaquil.
Illo ore,hoc uultu,forma eſt ſpectabilis illa,
Quæ talem ac tantam ſola decere poteſt.
Eloquio fœcunda cui Cornelia cedat,

Inq;

Inq; maritali Penelopeia fide.
Illa tibi princeps multos deuota per annos,
Sola tui longa manſit amore mora.
Non illam germana ſoror, nec patria flexit,
Non potuit mater, non reuocare pater.
Vnum te matri, te prætulit illa ſorori:
Te patriæ, & charo prætulit illa patri.
Illa tibi felix populos hinc inde potentes
Non diſſoluenda iunxit amicitia.
Regibus orta quidem magnis, nihiloq; minorum eſt
Regum, quàm quibus eſt orta, futura parens.
Hactenus una tui nauem tenet ancora regni,
Vna: ſat illa quidem firma, ſed una tamen.
At regina tibi ſexu fœcunda uirili
Vndiq; firmatam perpetuamq; dabit.
Proueniunt illi magna ex te commoda, rurſus
Ex illa ueniunt commoda magna tibi.
Non alia ulla fuit certè te digna marito:
Illa non alius coniuge dignus erat.
Anglia thura feras, ſacrumq; potentius omni
Thure, bonas mentes innocuasq; manus.
Connubium ut ſuperi hoc, ſicuti fecere, ſecundent,
Vt data cœleſti ſceptra regantur ope.
Vtq; ipſis geſtata diu hæc diademata, tandem
Et natus nati geſtet, & inde nepos.

EIVSDEM, IN SVBITVM IMbrem: qui in pompa Regis ac Reginæ largè obortus, nec ſolem abſtulit, nec durauit.

Dum

Dum peterent ſacras rex & regina coronas,
Pompa qua nunquam pulchrior ulla fuit:
Aureus explicuit latè ſe Phœbus, eratq́;
Læta dies populi conſona pectoribus.
Aſt ubi iam mediam celebris peruenit in urbem,
Tota ſtatim æthereis pompa rigatur aquis.
Nulla tamen Phœbi ſubduxit lumina nubes,
Et minima nimbus perſtitit ille mora.
Res bene contra æſtus cecidit, rem ſiue quis ipſam
Spectet, ſiue omnem: non potuit melius.
Principibus noſtris uberrima tempora ſpondent,
Et Phœbus radijs, & Iouis uxor aquis.

EIVSDEM, AD REGEM.

Cuncta Plato cecinit tempus quæ proferat ullum,
Sæpe fuiſſe olim, ſæpe aliquando fore.
Ver fugit ut celeri, celeriq́; reuertitur anno,
Bruma pari ut ſpacio quæ fuit antè, redit:
Sic inquit rapidi, poſt longa uolumina cœli
Cuncta per innumeras ſunt reditura uices.
Aurea prima ſata eſt ætas, argentea poſt hanc:
Aerea poſt illam, ferrea nuper erat.
Aurea te princeps redierunt principe ſecla.
O poſſit uates hactenus eſſe Plato

EIVSDEM AD REGEM, DE SPEctaculis equeſtribus per eum ędi-
tis, epodon iambi-
cum.

Quæcunq́; reges ædiderunt hactenus
Equeſtrium ſpectacula,

Lugubris

Lugubris illa ſemper aliqua reddidit
Vel calamitas inſignia:
Vel caſus aliquis proſpero parum Ioue,
Admixtus inter ludicra:
Aut rabido tranſuerberati militis
Madens harena ſanguine:
Aut lanceis icta, ungulisue ſonipedum
Obtrita plebs ferocium:
Turbam ue comprimens ſimul miſerrimam
Lapſæ ruina machinæ.
Verùm tua hæc ſpectacula ô rex omnium
Quæ uidimus pulcherrima,
Nonnulla clades, ſed tua digna indole
Inſignit innocentia.

EIVSDEM, DE VTRAque roſa in unum coalita.

Purpureæ uicina fuit roſa candida, utranq;
Vtraq; dum certant, ſit prior utra, premit.
Vtraq; ſed florem roſa iam coaleſcit in unum,
Quoq; poteſt uno lis cadit illa modo.
Nunc roſa conſurgit, nunc pullulat una, ſed omneis
Vna habet hæc dotes, quas habuere duæ.
Scilicet huic uni ſpecies, decor, atq; uenuſtas,
Et color, & uirtus, eſt utriuſq; roſæ.
Alterutram ergo roſam uel ſolam quiſquis amauit,
Hanc in qua nunc eſt, quicquid amauit amet.
At qui tam ferus eſt, ut non amet, ille timebit.
Nempe etiam ſpinas flos habet iſte ſuas.

IN

IN RHETOREM INDOCTVM. è Græco.

Quinq; ſolœciſmis donaui rhetora Flaccum,
Quinq; ſtatim decies reddidit ille mihi.
Nunc numero hos, inquit, paucos contentus habeto,
Menſura accipies quando redibo Cypro.

IN SVSPICIONEM. è Græco.

Magnam habet in rebus uim ac pondus, opinio. nõ uis
Lædere, uelle tamen ſi uideare, peris.
Sic & Philoleon quondam occidêre Crotonæ,
Quem falſò credunt uelle tyrannum agere.

IN RHETOREM INFANTEM ſcitè pictum. è Græco.

Ipſe tacet Sextus, Sexti meditatur imago.
Ipſa eſt rhetor imago, ab imagine rhetor imago eſt.

IN CAECVM ET CLAVdum, mendicos.

Claudipedem geſtat cæcis uicinus ocellis,
Conducitq; oculos arte, locatq; pedes.

ALITER.

Cæcus claudipedem geſtat, prudenter uterq;
Rem gerit: atq; oculos hic locat, ille pedes.

ALITER.

Cæcus fert claudum, atq; opera conducit eadem:
Iſtius ille oculos, illius iſte pedes.

ALITER.

Claudum cæcus onus graue, ſed tamen utile nectat:
Proſpicit atq; oculis, huic regit ille pedes.

IDEM,

IDEM, FVSIVS.

Triſtis erat nimium miſeris fortuna duobus,
Huic oculos, illi dempſit iniqua pedes.
Sors illos coplat ſimilis, claudum uehit alter:
Sic ſua communi damna leuant opera.
Hic pedibus quôuis alienis ambulat, itur
Huic recta alterius ſemita luminibus.

IDEM, ALITER.

Vtilius nihil eſſe poteſt, quàm fidus amicus,
Qui tua damna ſuo leniat officio.
Fœdera contraxere ſimul mendicus uterq;
Cum claudo ſolidæ cæcus amicitiæ.
Claudo cæcus ait, collo geſtabere noſtro:
Retulit hic, oculis cæce regêre meis.
Alta ſuperborum fugitat penetralia regum,
Inq; caſa concors paupere regnat amor.

ALITER.

Cum claudo cæcus ſic lege paciſcitur æqua, ut
Hic ferat illum humeris, hunc regat ille oculis.

PINVS NAVTICA LOquitur, uento ſubuerſa.

è Græco.

Pinus ego uentis facile ſuperabilis arbor,
Stulte quid undiuagam me facis ergo ratem?
An non augurium metuis? quum perſequitur me
In terra, Boream quî fugiam in pelago?

IDEM, ALITER.

Ventis pinus humo ſternor, quid mittor in undas?
Iam nunc paſſa prius quàm nato naufragium.

IN NAVIM EXVSTAM.

Iam ratis æquoreas oneraria fugerat undas,
Matris at in terræ deperijt ſinibus.
Corripitur flammis, atq; ardens auxiliares
Quas maris hoſtiles fugerat, optat aquas.

CVNICVLA LOQVITVR, QVAE elapſa muſtelæ incidit in diſpoſita uenatorum retia.

Muſtelam obliquo dilapſa foramine fugi,
Sed feror humanos heu miſera in laqueos.
Hic ego non uitam celerem, non impetro mortem,
Seruor ut heu rapidis obijciar canibus.
Qui mea dum laniant ſcelerato uiſcera morſu,
Spectat, & effuſo ſanguine ridet homo.
O durum genus, atq; fera truculentius omni,
Nex cui crudelem præbet acerba iocum.

INNOCENTIAM OB= noxiam eſſe iniuriæ.

è Greco.

Auſus erit mordere malum uel mus, uetus hoc eſt
Verbum, ſed longè res habet ipſa ſecus.
Innocuos audet uel mus mordere, nocentem
Tangere non audet territus ipſe draco.

IN EFFLATVM VENTRIS.

è Græco.

Te crepitus perdit, nimium ſi uentre retentes:
Te properè emiſſus ſeruat item crepitus.
Si crepitus ſeruare poteſt & perdere, nunquid
Terrificis crepitus regibus æqua poteſt?

DE MORTIS ÆQVALITATE. è Græco.

Victor ad Herculeas penetres licet usq; columnas,
Te terræ cum alijs pars manet æqua tamen.
Iro par moriere, obolo non ditior uno:
Et tua te (sed non iam tua) soluet humus.

IN SORDIDVM. è Græco.

Te ditem appellant omnes, ego planè inopem te.
Nam facit usus opes, testis Apollophanes,
Si tu utare tuis, tua fiunt: sin tua serues
Hæredi, tua iam nunc aliena facis.

VENATVS ARANEÆ.

Insidiata uagam comprendit aranea muscam,
Et lentis trepidam cassibus implicuit:
Iamq; hiat in morsum. sed sæpe os inter & offam,
Vt uerbum uetus est, multa uenire solent.
Sors muscæ miseretur, & aduersatur Arachnæ,
Inq; malam è misera transtulit exitium.
En stimulante fame properans inuadis utranq;
Sturne, ruunt casses: hæc fugit, illa perit.
Sic misero spes est plerunq; secure sub ipsa,
Inter & armatos mille malo metus est.

IN CYNICVM STVLTE ABstinentem. è Græco.

Barbati Cynici, baculoq; uagantis egeni,
In cœna magnam conspicimus sophiam.
Scilicet hic raphanis Cynicus primùm atq; lupino,
Ne uirtus uentri seruiat, abstinuit.

At

At niueum postquam bulbum conspexit ocellis,
Iam rigidum & sapiens excutit ingenium:
Flagitat, atq; auidè spem præter deuorat omnem,
Virtuti bulbus nil, ait, officiet.

EPITAPHIVM MEDICI. è Græco.

Thessalus Hippocrates, Cous genere, hac iacet urna,
Phœbi immortalis semine progenitus.
Crebra trophæa tulit morborum armis medicinæ,
Laus cui magna: nec id sorte, sed arte fuit.

IN SERVVM MORTVVM. è Græco.

Hic seruus dum uixit, erat, nunc mortuus idem,
Non quàm tu Dari magne minora potest.

IN ANCILLAM MORTVAM.

Antè fuit solo Sosime corpore serua,
Nunc fato pars est hæc quoq; missa manu.

IN PISCATOREM ADAMAtum. è Græco.

Pisces dum captat piscator, diuitis illum
Nata uidet, uisi flagrat amore uiri:
Deinde uiro nubit, sic illi ex paupere uita,
Magna superbarum copia uenit opum.
Muneris hoc nostri est, Venus inquit: uerba retorquẽs
Fortuna, hæc nostri est muneris, inquit hera.

IN REPENTE FELICEM è misero è Græco.

Non tibi quòd faueat, sic te fortuna leuauit:
Vel de te liqueat, uult, sibi quid liceat.

IN MEDIOCRITATEM.
è Græco.

Inuidia est peior miseratio, Pindarus inquit.
Felici inuidiam splendida uita facit.
At nimium miseros miseramur: dent superi ut sim
Nec nimium fœlix, nec miserandus ego.
Scilicet extremis longè mediocria præstant.
Infima calcantur, summa repentè ruunt.

NIHIL PRODESSE TORqueri metu mali uenturi.
è Græco.

Cur patimur stulti? nanq; hæc uecordia nostra,
Vrat ut indomitus pectora nostra metus.
Seu mala non uenient, iam nos metus urit inanis:
Sin uenient, aliud fit metus ipse malum.

MONOSTICHVM IN LAVdē poematis homerici. è Greco.

Ipse quidem cecini, scripsit diuinus Homerus.

IN RIDICVLVM IVDICIVM.
è Græco.

Lis agitur, surdusq; reus, surdus fuit actor:
Ipse tamen iudex surdus utroq; magis.
Pro ædibus hic petit æs, quinto iam mense peracto.
Ille refert, tota nocte mihi acta mola est.
Aspicit hos iudex: Et quid contenditis, inquit,
An non utriq; est mater? utriq; alite.

AD LVCERNAM NOCTVRNAM.

Lychne reuersuram ter te iurauit amica,
Nec redit, ô pœnas det tibi, si deus es.

Ludenti

Ludenti cum nocte places, extinguere, & aufer
Tam ſacra tam ſacris lumina luminibus.

LAIS ANVS AD SPECVLVM.
è Græco.

Nequiter arriſi tibi, quæ modò gratia? amantum
Turbam in ueſtibulis Lais habens iuuenum,
Hoc Veneri ſpeculum dico. nam me cernere talem
Qualis ſum nolo, qualis eram nequeo.

IN MORTIS DIEM OMnibus incertum.

Non ego quos rapuit mors, defleo, defleo uiuos,
Quos urunt longo fata futura metu.

ALIVD.

Fleres, ſi ſcires unum tua tempora menſem.
Rides, quum non ſit forſitan una dies.

IN APVM INDVSTRIAM.
è Græco.

Mellis apes fluuios ipſæ ſibi in æthere fingunt,
Ipſæ quos habitant ædificant thalamos.
Grata apis humanæ frugesq; facillima uitæ eſt,
Non bouis, aut curuæ falcis egebit ope.
Tantum opus hic ſitula eſt, ubi dulcia pocula mellis
Vbertim paruo fundat ab alueolo.
Congaudete ſacræ, uarios & paſcite flores,
Aetherei uolucres nectaris artifices.

IN ANVM FVCIS FRVſtra utentem.

Sæpe caput tinguis, nunquam tinctura ſenectam,
Aut tenſura genis quæ tibi ruga tuis.

Desine iam faciem stibio perfundere totam,
Ne persona tibi hæc sit modò, non facies.
Quin nihil assequeris fuco stibioq;, quid amens
Vis tibi? nunquã Hecuben hæc facient, Helenen.

IN HOMINIS NATIVI-
tatem. è Græco.

Heus homo si memor es, quid te dum gigneret, egit
Tum pater, ex animo iam tumor ille cadet.
At Plato te fastu, dum somniat, inflat inani,
Aeternumq; uocat semen & æthereum.
Factus es ecce luto, quid suspicis alta? sed istud
Plasmate, qui te ornat, nobiliore feret.
Quin si uera uoles audire, libidine fœda
Natus es è coitu, guttula & è misera.

DE ASTROLOGO
ridiculo.

Non Cumæa sacro uates correpta furore,
Certius afflata mente futura uidet:
Quàm meus astrologus diuina clarus in arte
Præuidet inspecto sydere præterita.

ALIVD IN ASTROLOGVM,
uxoris impudicę maritum.

Astra tibi æthereo pandunt sese omnia uati,
Omnibus & quæ sint fata futura, monent.
mnibus ast uxor quòd se tua publicat, id te
Astra, licet uideant omnia, nulla monent.

IN EVNDEM, IAMBICVM.

O chare nobis syderum cœlestium
Inspector astris, ipse nunc Phœbus tibi

Optem

Optem libenter indicare clanculum
Quiddam, quod ad te pertinens quàm maximè,
Dum cuncta lustro, deprehendi pridie,
Quàm tu redires nuper ex aula domum.
Sed territat Venus, minatur & mihi
Secundum amorem, qui nihilo secundior
Mihi sit futurus, quàm fuit Daphnes prior:
Quicquam cuiuis garrulus si deferam
De se marito, quale detuli prius.
Nescibis ergo hoc, cæteras rerum uices
Docebo te. nuptæ sed in rebus tuæ
Si quid tua non cedat ex sententia,
Hoc omnibus prius patebit, quàm tibi.

ALIVD, IN EVNDEM.

Quid inter alta stultè quæris sydera
In humo manentis coniugis mores tuæ?
Quid alta spectas infrà, id est cui tu times?
Dum iam tu, agat quid illa, quæris in polo,
Hæc quæ libebat, interim egit in solo.

ALIVD, IN ASTROLOgum eundem.

Sydera uestigas inter cœlestia demens,
Cur dubia semper mente quid uxor agat?
Si nescis qualis tibi sit, crede esse pudicam:
Quod tibi persuades si bene, iam bene habes.
Quid cognoscere uis, quæ non nisi cognita lædunt?
Quid fieri studio uis miser ipse tuo?
Hic furor haud dubiè est, quum iam desistere possis:
Quærere sollicitè, quod reperire times.

ALIVD IN ASTRO= logum.

Saturnus procul est, iamq; olim cæcus, ut aiunt,
Nec propè discernens à puero lapidem.
Luna uerecundis formosa incedit ocellis,
Nec nisi uirgineum uirgo uidere potest.
Iuppiter Europen, Martem Venus, & Venerem Mars,
Daphnen Sol, Hyrcen Mercurius recolit.
Hinc factum astrologe est, tua quũ capit uxor amãtes,
Sydera significent ut nihil inde tibi.

DE FORMA, DILEMMA iambis trimetris scazon= tibus.

Quid forma confert, Hercules nihil cerno.
Si seruas, deformis ecce formosa est:
Sin frigeas, formosa iam sit informis.
Quid forma confert, Hercules nihil cerno.

DE ASTROLOGO DE quo suprà.

Sæpe suam inspectis uxorem Candidus astris,
Prædicat en uates omnibus, esse bonam.
Inspectis iterum, postquam uxor adultera fugit,
Prædicit uates omnibus, esse malam.

PARÆNESIS AD VIR= tutem ueram.

Heu miseris quicquid misero blanditur in orbe,
Illicò marcescens, ut rosa uerna cadit.
Nec quenquã usq; adeò placidis complectitur ulnis
Sors, ut non aliqua parte molesta premat.

Imbibe

Imbibe uirtutes, & inania gaudia ſperne.
Sunt animi comites gaudia uera boni.

AD CONTEMPTVM huius uitæ.

Nos uelut inſtabiles uentus quatit omnis ariſtas:
Quolibet impellunt ſpes, dolor, ira, metus.
Nil habet in rebus pondus mortalibus ullum.
Momento pudor eſt ſi moueare leui.

MORTEM NON ESSE METUendam cum ſit finis malorum. è Græco.

Non ſtultum eſt mortem matrem timuiſſe quietis?
Quam fugiunt morbi, mœſtaq́; pauperies?
Sola ſemel miſeris ſeſe mortalibus offert,
Nec quiſquam eſt ad quem mors iterum redijt.
At reliqui morbi uarij, multiq́; uiciſſim
Nunc hunc nunc illum, terq́; quaterq́; premunt.

IN EPISCOPVM QVENdam ſordidum ac perparcum.

Vita Sibyllinos mea ſi duraret in annos,
Non bonitas unquam præſulis excideret.
Iugera multa ſoli locat, amplas poßidet urbes,
Centum ſtipatus progreditur famulis.
Me tamen exigui cenſus, quum nuper adirem,
Excipit, & uerè comiter alloquitur.
Quin abiens nigri guſtarem ut pocula uini,
E loculo clauem liberat ipſe ſuo.

DE VICISSITVDINE FORtunæ.è Græco.

Lubrica non ſeruat certum fortuna tenorem,
Sed rotat inſtabilem cæca ſubinde rotam.
Sternere ſumma libet,libet infima tollere,rerum
Inq; uicem nulla uertere lege uices.
Maxima quũ bona ſunt,iã ſunt mala proxima: rurſus
Maxima quum mala ſunt,proxima iam bona ſunt,
Forti animo mala fer,nec bis miſer eſto dolore:
Nec citò uenturis præmoriare bonis.

VITA BREVIS.

Non tibi uiuacem furor eſt ſpondere ſenectam,
Quum non ſit uitæ certa uel hora tuæ.
Finge age Neſtoreum ſis peruenturus in æuum,
Longa tument multis tempora fœta malis.
Omnia ut effugias uiridis quibus angitur ætas,
Tædia longa tibi curua ſenecta feret.
Tu tamen ad ſeros (nulli quod contigit) annos
Vt uenias nullo percitus antè malo.
Hoc tamen exiguum eſt,ubi nunc tot Neſtoris annis
Ex tanto ſupereſt tempore nulla dies,

PATIENTIA.

Triſtia qui pateris,perfer:Sors triſtia ſoluet.
Quòd ſi non faciat Sors,tibi mors faciet.

VITA IPSA CVRSVS AD mortem eſt.

Nugamur,mortemq; procul,procul eſſe putamus:
At mediis latet hæc abdita uiſceribus.
Scilicet ex illa,qua primùm naſcimur hora,

Pro=

Prorepunt iuncto uitaq; morsq; pede.
Partem aliquam furtim qua se metitur, & ipsam
Surripit è uita quælibet hora tua.
Paulatim morimur, momento extinguimur uno,
Sic oleo lampas deficiente perit.
Vt nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est:
Quin nunc, interea dum loquimur, morimur.

DIVES AVARVS PAVPER est sibi. è Græco.

Diuitias animi solas ego iudico ueras,
Qui rebus pluris se facit ipse suis.
Hunc adeò ditem, hunc opulentum ritè uocamus,
Magnarum quis sit qui uidet usus opum.
Calculus at si quem miserè numerandus adurit,
Qui miserè semper diuitias cumulet:
Hic ut apes paruo crebroq; foramine fosso,
Sudat in alueolo, mella alij comedunt.

DILEMMA EPICVRI.

Deijciat miseram tibi nulla molestia mentem.
Si longa est, leuis est: si grauis est, breuis est.

CONTRA.

Deijcit heu miseram, prosternit & utraq; mentem.
Longa, nec ulla leuis: nec grauis, ulla breuis.

DE MORTE.

Somniat, hic ditem qui se putat esse, uidetq;
Morte experrectus illicò quàm sit inops.

SOLA MORS TYRANnicida est.

Duriter es quicunq; uiris oppressus iniquis,

Spem

Spem cape: spes luctus leniat alma tuos.
Versilis in melius uel te Fortuna reponet,
Vt solet excussa nube nitere dies.
Aut libertatis uindex frendente tyranno,
Eruet iniecta mors miserata manu.
Auferet hæc (quo plus tibi gratificetur) & illum,
Afferet atq; tuos protinus ante pedes.
Ille opibus tantis, fastuq; elatus inani,
Ille ferox crebris antè satellitibus.
Hic neq; toruus erit, uultu nec ut antè superbo,
Sed miser, abiectus, solus, inermis, inops.
O quid uita tibi dedit unquam tale? uicissim
Iam ridendus erit, qui metuendus erat.

CARMEN VERSVM
è cantione Anglica.

O Cor triste malis miserè immersumq; profundis
Rumpere: sit pœnæ terminus iste tuæ.
Sanguinolenta tuæ dominæ tua uulnera pande,
Illa breui est, quæ nos diuidet una duos.
Quàm miser ergo diu sic heu lachrymabo, querarq;:
Mors ades, & tantis horrida solue malis.

IN AMICAM FOEDIFRAGAM
iocosum, uersum è can=
tione Anglica.

Dij melius, uenêre mihi hac quæ somnia nocte?
Tota semel mundi machina uersa ruit.
Nec sua lux Phœbo constabat, nec sua Phœbe,
Iamq; tumens omnem strauerat æquor humum.

Maius

Maius adhuc mirum, uox en mihi dicere uisa est,
Heus tua iam pactam fregit amica fidem.

DE CVNICVLO BIS
capto.

E rete extrahor, è digitis in rete relabor.
Heu semel heu fugi, bis miser ut caperer.

IN VIRGINEM MORIBVS
haud uirgineis.

Blanda, salax, petulans, audax, uaga, garrula uirgo:
Si uirgo est, uirgo est, bis quoq; quæ peperit.

IN VXORES.

Hoc quisq; dicit, rebus in mortalibus
Quod tristius sit, ac magis uiros grauet,
Natura nil produxit his uxoribus.
Hoc quisq; dicit, dicit: at ducit tamen.
Quin sex sepultis, septimam ducit tamen.

IN EASDEM.

Res uxor grauis est, poterit tamen utilis esse,
Si properè moriens det sua cuncta tibi.

IN IMAGINEM DISSIMI-
lem. è Græco.

Hæc tua quam nuper pinxit Diodorus imago,
Cuiusuis magis est, quàm tua Menodote.

IN EANDEM.

Sic se totum isthac expressit imagine pictor,
Vt nulli tam sit, quàm tibi dissimilis.

CHORIAMBICVM DE VI-
ta suaui. è Græco.

Non est cura mihi Gygis,

Qui rex Sardibus imperat.
Aurum non ego perſequor,
Reges non miſer æmulor.
Curæ eſt, barba ſuauibus
Vnguentis mihi perfluat.
Curæ eſt, ut redolentibus
Cingam tempora floribus.
Curæ ſunt hodierna mî,
Nam quis craſtina nouerit?
Tornato bene Mulciber
Argento mihi poculum
Iam nunc effice concauum,
Et quantum potes imbibum.
Et fac illud ut ambiant
Non currus, neq; ſydera,
Orion neq; flebilis.
Vites fac uirides mihi,
Botri fac mihi rideant
Pulchro cum Dionyſio.

IN MEDICVM IMPOSTOREM, qui guttulam ficti balſami magno uendidit.

Febre laboranti medicus, ferét ô tibi certè
Aut nihil, aut tantùm balſamus, inquit, opem.
Sed nemo me præter habet, perpaulum & ipſe,
Gutta emitur libris non minus una decem.
Nunc mihi quinq; dabis, reliquas mihi quinq; daturus
Sanus, ut has nunquam te moriente petam.
Nunquam rem facies, tanto in diſcrimine qui uis

Tam charæ guttæ ponere dimidium.
Pacta placent, minimoq; è uitro & ſindone tecto,
Iacta petit gladij cuſpide gutta merum,
Abluat ut uino mucronem, æger rogat: abſit,
Inquit, adhuc libras bis gerit ille decem.
Gutta, ait, una ſat eſt, & erat ſatis: unica tantum
Gutta poteſt: unam uix bibit, & moritur.
O nimis aduerſo contractum ſydere pactum.
Hinc guttæ, hinc uitæ dimidium perijt.

IN FVCATVM. è Græco.

Tinguis capillos fœmina. at quî ſcis, rogas?
Nigri fuere quum referres è foro.

IN IMAGINEM MAlè redditam.

Effigie ſtuduit tua in hac oſtendere pictor,
Expreßiſſe queat quàm tibi diſſimilem.

IN IMAGINEM BEne redditam.

Hac tua tam uerè facies expreſſa tabella,
Vt iam non tabula hæc ſit tibi, ſed ſpeculum.

IN EANDEM.

Quam mihi monſtraſti demiror Poſthume pictor,
Effigiem quanta finxerat arte tuam.
Inſpicit hanc quiſquis, ſi te conſpexerit unquam,
Si non artificis tangitur inuidia:
Tam ſimile hic ouo non eſſe fatebitur ouum,
Effigies hæc eſt quàm tibi diſſimilis.

IN ANGLVM, GALLICÆ linguæ affectatorem.

Amicus & ſodalis eſt Lalus mihi,
Britanniáq; natus, altusq; inſula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores dirimant:
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur, expetitq; cuncta Gallica.
Toga ſuperbit ambulans in Gallica,
Amatq; multum Gallicas lacernulas.
Zona, locello, atq; enſe gaudet Gallico,
Filtro, bireto, pileoq; Gallico,
Et calceis, & ſubligare Gallico,
Totoq; deniq; apparatu Gallico.
Nam & unum habet miniſtrum, eumq; Gallicum.
Sed quem (licet uelit) nec ipſa Gallia
Tractare quiret plus (opinor) Gallicè,
Stipendij nihil dat, atq; id Gallicè.
Veſtitq; tritis pannulis, & Gallicè hoc.
Alit cibo paruo, & malo, idq; Gallicè.
Labore multo exercet, atq; hoc Gallicè.
Pugnisq; crebrò pulſat, idq; Gallicè.
In cœtu & in uia, & fòro, & frequentia
Rixatur, obiurgatq; ſemper Gallicè.
Quid? Gallicè illud? imò ſemigallicè.
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem, quàm Latinum Pſyttacus.
Creſcit tamen, ſibiq; nimirum placet,
Verbis tribus ſi quid loquatur Gallicis.

Aut

Aut Gallicis ſi quid nequit uocabulis,
Conatur id, uerbis licet non Gallicis,
Canore ſaltem perſonare Gallico,
Palato hiante acutulo quodam ſono,
Et fœminæ inſtar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ,
Balbutiens uidelicet ſuauiter
Preßis quibuſdam literis, Galli quibus
Ineptientes abſtinent, nihil ſecus,
Quàm uulpe gallus, rupibuſq; nauita.
Sic ergo linguam ille & Latinam Gallicè,
Et Gallicè linguam ſonat Britannicam.
Et Gallicè linguam refert Lombardicam.
Et Gallicè linguam refert Hiſpanicam.
Et Gallicè linguam ſonat Germanicam.
Et Gallicè omnem, præter unam Gallicam.
Nam Gallicam ſolam ſonat Britannicè.
At quiſquis inſula ſatus Britannica,
Sic patriam inſolens faſtidiet ſuam,
Vt more ſimiæ laboret fingere,
Et æmulari Gallicas ineptias:
Ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium.
Ergo ex Britanno ut Gallus eſſe nititur,
Sic dij iubete, fiat ex gallo capus.

IN NICOLAVM, MAlum medicum.

Nunc uideo haud rerum tantum, ſed & ipſa uirorum
Nomina non temerè, ſed ratione dari.
Nicoleus nomen medici eſt: quî conuenit? inquis,

Hoc potius nomen debuit esse ducis.
Dux populos armis uincit: sed & iste uenenis
Et populum, & forteis sternit ubiq; duces.
Sæpe ducem bello repetunt, bis nemo rebellat
Huic medico: uero est nomine Nicoleus.

IN IMAGINEM ELEGANtem, sed deformissimi.

Ipsam iudice me Venerem superabat Apellis,
Hæc tua quæ uisa est nuper imago mihi.
Pictor in hanc omnes unam consumpserat artes,
Spectari hac una quid ualuit, uoluit.
Qualis in ore decor, qui nasus, qualia labra,
Oquales oculi, qualis ubiq; color.
Tam fuit ex omni longè pulcherrima parte,
Quàm fuit à nulla parte tibi similis.

IN IMAGINEM DISsimilem.

Nuper ut ingredior pictoris fortè tabernam,
Effigies oculis est tua uisa meis.
Ex te dum pictor sic exprimat omnia, uultum
Immotum credo te tenuisse diu.
Sic te totum inspecta refert: intelligo cuia est,
Protinus ut pictor rettulit esse tuam.

IN PARCVM MOrientem.

Chrysalus heu moritur diues, dolet, ingemit: unquam
Nemo magis tristi pectore fata tulit.
Non quoniam ipse perit, cui nil se uilius ipso est,
Sed numini pereunt quattuor in tumulum.

IN

IN GRAMMATICVM PVTIDVM.

Quum mihi grammaticus mentem ſubit Heliodorus,
Noſtra ſoloecíſmos illicò lingua timet.

IN PROGNOSTICVM, RIDICVLVM.

Hoc anno in regno rex nobilis ille quieſcet
Gallorum, celeber ſcripſerat aſtrologus.
Rex uix incœpto uita defungitur anno,
Iam nil ſe uates quo tueatur, habet.
Rem quidam riſu cœpit defendere, uerum eſt
Augurium, rex iam nónne quieuit? ait.
Latius hoc uerbum prorepit, & undiq; ridens
Id populus, rex iam nónne quieuit? ait.
Audit ut in populo hoc uates, iam ſeriò uerum eſt
Augurium, rex iam nónne quieuit? ait.

IN VEHEMENTER NASVtum. è Græco.

Nunquam Procle manu nares emungere poſſis.
Nam tua nare manus, magna licet, minor eſt.
Quando Iouem inclamas ſternutãs, quippe nec audis.
Tam procul ab naſus prominet aure tuus.

IN POETAM FVRIOSVM. è Græco.

Sunt etiam in Muſis furiæ, quibus ipſe poeta
Fis, per quas temerè carmina multa facis.
Ergo age plurima ſcribe precor: tibi nempe furorem,
Non ego maiorem quem precer inuenio.

IN PERPVSILLVM. E' GRÆCO.

Grus ne te rapiat Pygmæo ſanguine gaudens,
Si ſapias, media tutus in urbe mane.

NEGLIGENDI VVLGI RV-
mores. è Græco.

Tu teipſum oblectes, & uulgi uerba loquacis
Sperne: bene hic de te dicet, & ille malè.

IN FATVVM. E GRÆCO.

Quem mordent pulices, extinguit morio lychnon.
Non me, inquit, cernent amplius hi pulices.

DE SOMNO. E GRÆCO.
ſententia Ariſtotelis.

Fermè dimidium uitæ dormitur, in illo
Aequales ſpacio diues inopsq; iacent.
Ergo Crœſe tibi regum ditiſſime, uitæ
Fermè dimidio par erat Irus egens.

ALIVD.

Non es, dum in ſomno es, dum nec te uiuere ſentis,
Fœlix, at ſomnus ni ueniat, miſer es.
Qui fœlix igitur ſorte indulgente ſuperbit,
Inflatusq; leui proſperitate tumet:
Nox quoties uenit, aut toties iam deſinit eſſe
Fœlix, aut toties incipit eſſe miſer.

QVID INTER TYRAN-
num & principem.

Legitimus immaniſſimis
Rex hoc tyrannis intereſt:
Seruos tyrannus quos regit,
Rex liberos putat ſuos.

SOLLICITAM ESSE TY-
ranni uitam.

Magna diem magnis exhaurit cura tyrannis,

Nocte

Nocte uenit requies, si tamen ulla uenit.
Nec tamen hi pluma requiescunt mollius ulla,
In dura pauper quàm requiescit humo.
Ergo tyranne tibi hæc pars fœliciſsima uitæ eſt,
In qua mendico par tamen eſſe uelis.

BONVM PRINCIPEM ESSE patrem non dominum. iambicum.

Princeps pius nunquam carebit liberis,
Totius eſt regni pater.
Princeps abundat ergo fœliciſsimus,
Tot liberis, quot ciuibus.

DE BONO REGE & populo.

Totum eſt unus homo regnum, idq; cohæret amore:
Rex caput eſt, populus cætera membra facit.
Rex quot habet ciues (dolet ergo perdere quenquam)
Tot numerat parteis corporis ipſe ſui.
Exponit populus ſeſe pro rege, putatq;
Quilibet hunc proprij corporis eſſe caput.

BONA NON COGNOSCI NIſi dum amittuntur.

Perdendo bona noſtra ferè cognoſcimus omnes,
Dum poſsidemus, ſpernimus.
Sic populo quoq; ſæpe malus, ſed ſerò benignum
Commendat hæres principem.

TYRANNVM IN SOMNO NIhil differre à plebeio.

Erigit ergo tuas inſane ſuperbia criſtas,

Quòd flexo curuat se tibi turba genu,
Quòd populus nudo surgat tibi uertice, quòd sit
Multorum in manibus uitaq́; mors q́; tuis.
At somnus quoties artus adstringit inertes,
Hæc tua iam toties gloria dic ubi sit?
Tunc ignaue iaces trunco non impar inani,
Aut paulo functis antè cadaueribus.
Quòd nisi conclusus timidè intra tecta lateres,
In cuiusq; foret iam tua uita manu.

DE PRINCIPE BONO & malo.

Quid bonus est princeps? canis est custos gregis, inde
Qui fugat ore lupos. quid malus? ipse lupus.

IN RAPTOREM ET patronum.

Raptam se queritur uirgo, crimenq́; negari
Non potuit. raptor iam periturus erat.
Callidus at subitò patronus protrahit ipse
Membrum deducta ueste uirile rei.
Hoccine uirgo tua membrum fuit, inquit, in aluo?
Illa uerecundo mota pudore negat.
Vicimus ô iudex, clamat patronus, ea ipsa est:
Id negat en sine quo se negat ipsa rapi.

IN FVREM ET patronum.

Dum furti metuit damnari Clepticus, amplo
Non sine consuluit munere causidicum.
Hic ubi sæpe diuq́; immensa uolumina uoluit,
Spero, ait, effugies Cleptice, si fugias.

IN ASTROLOGVM QVI FA-
ctum prædixit. è Græco.

Sæpe patri frater quòd debuit esse superstes,
Hoc uelut uno omnes astrologi ore canunt.
Ast Hermoclides obiturum præ patre solus
Dixit: sed dixit postquam obijsse uidet.

IN HVIVS VITÆ VANITATEM.

Damnati ac morituri in terræ claudimur omnes
Carcere, in hoc mortem carcere nemo fugit.
Carceris in multas describitur area partes,
Inq; alijs alij partibus ædificant.
Non aliter quàm de regno de carcere certant.
In cæco cupidus carcere condit opes.
Carcere obambulat hic uagus, hic uincitur in antro.
Hic seruit, regit hic: hic canit, ille gemit.
Iam quoq; dum carcer non tanquam carcer amatur:
Hinc alijs alij mortibus extrahimur.

REGEM NON SATELLITIVM,
sed uirtus reddit tutum.

Non timor inuisus, non alta palatia regem,
Non compilata plebe tuentur opes.
Non rigidus uili mercabilis ære satelles
Qui sic alterius fiet, ut huius erat.
Tutus erit populum qui sic regit, utiliorem
Vt populus nullum censeat esse sibi

POPVLVS CONSENTIENS RE-
gnum dat & aufert.

Quicunq; multis uir uiris unus præest,
Hoc debet his quibus præest.

Præesse debet neutiquam diutius,
Hi quàm uolent quibus præest.
Quid impotentes principes superbiunt?
Quòd imperant precariò?

IN PERPVSILLVM.
è Græco.

Ex atomis Epicurus totum fabricat orbem,
Alchime, dum nihil his credidit esse minus.
Ex te fecisset, si tum Diophante fuisses,
Nempe atomis multo es tu Diophante minor.
Aut fortè ex atomis iam cætera scriberet esse,
Ast ipsas ex te scriberet esse atomos.

IN AMOREM CASTVM ET incestum. è Græco.

Hi duo destruxere duos, incestus & almus:
Dum contrà occurrunt, hinc amor, inde pudor.
Phædram amor Hippolyti cõsumpserat igneus, ipsum
Interimitq; sacer proh pudor Hippolytum.

IN VRBEM ROMAM.
è Græco.

Gradiui genus Hector aue, si quid sub humo audis,
Respira, & patriæ nomine cresce tuæ.
Ilios urbs colitur, nunc inclyta gens colit illam,
Quam tu Marte minor, Martis amica tamen.
Myrmidones periere, ades & dic Hector Achilli,
Esse sub Aeneadis undiq; Thessaliam.

DE MEDIOCRITATE. E GRÆCO.

Ingratum est quicquid nimiũ est. sic semper amarũ est,
Vt uerbum uetus est, mel quoq; si nimium est.

IN

IN VEHEMENTER INFELIcem. è Græco.

Nunquam uixisti ô pauper, nunquam morieris.
Nempe miser uisus uiuere mortuus es.
At quibus immensa est fortuna, pecunia multa,
His uitæ finem mors aliquando facit.

IN PYTHAGORÆ ECHEMYthiam. è Græco.

Rebus in humanis magna est doctrina tacere,
Testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.
Nempe loqui doctus, reliquos docet ille tacere,
Magnum hoc ad requiem pharmacon inueniens.

RIDICVLVM, IN GELLIAM.

Quid modò sæclorum miremur monstra priorum,
Quòd loquitur taurus, quòd cadit imbre lapis?
Monstra antiqua nouum superat, surrexerat ecce
Ante tenebrosum Gellia uesper heri.
Plus dicturus eram, nisi me ridere putares:
Surrexit mediam, sed tamen ante diem.
Mira licet sæpe, illa tamen uidere priores,
Sæpe potest forsan cernere posteritas.
Istud at hesternam nemo unquam uiderat ante,
Et post hanc poterit nemo uidere diem.

IN PALLADEM VENEREM QVE. è Græco.

Cur ita me lædis Venerem Tritonia uirgo,
Corripis in digitos cur mea dona tuos?
Scilicet Idæis memor esto in rupibus olim,
Me, non te, pulchram censuit esse Paris.

Haſta tua eſt, enſisq; tuus: mihi uendico malum,
Mars modò ſit malo priſtinus ille ſatis.

VITAM HOMINIS eſſe nihil.

Nos tenuem ſtrictis ſpirantes aera fibris
Viuimus, & Phœbi lampada conſpicimus.
Quotquot uiuimus hic, ſumus omnes organa, ſed quæ
Viuificis animat flatibus aura leuis.
Quòd tua ſi tenuem reſtringat palma uaporem,
Eripiens animam miſeris uſq; ſtygem.
Sic ſumus ergo nihil, Plutoni paſcimur omnes,
E flatu minimo nos leuis aura fouet.

IN PVGIONEM EBETEM EBETIS. è Græco.

Plumbeus hic mucro tuus eſt obtuſus, ebesq;,
Mucro aciem ingenij fert tuus iſte tui.

DE GLORIA, ET POPVLI iudicio.

Maxima pars hominum fama ſibi plaudit inani,
Atq; leuis uento fertur in aſtra leui.
Quid populi tibi uoce places? ſæpe optima cæcus
Dat uitio, & temerè deteriora probat.
Sollicitus pendes alieno ſemper ab ore,
Ne laudem cerdo quam dedit, eripiat.
Sors tamen irridet, quo tu laudante ſuperbis:
Ex animo laudet, laus tamen illa fugit.
Quid tibi fama facit? toto lauderis ab orbe,
Articulus doleat, quid tibi fama facit?

RIDICVLVM, IN MINISTRUM.

Muſcas è cratere tulit conuiua prius quàm
Ipſe bibit, reddit rurſus, ut ipſe bibit.
Addidit & cauſam: muſcas ego non amo, dixit,
Sed tamen è uobis neſcio num quis amet.

DE CANE VENANTE.

Os canis implet anas, alium capturus hiabat,
Non capit: at quam iam ceperat ore, fugit.
Sic miſer interea dum rem captas alienam,
Sæpius & meritò perdis auare tuam.

CANIS IN PRÆSEPI, auarus homo.

In præſepe canis fœno nec ueſcitur ipſe,
Nec ſinit ut fœnum qui cupit edat equus.
Seruat auarus opes, opibus non utitur ipſe,
Atq; alios uti qui cupiunt, prohibet.

IN ORESTEM PARANTEM OCcidere matrem. è Græco.

Qua gladium intrudes, per uĕtrem ne, án ne papillas?
Te peperit uenter, te lactauere papillæ.

QVOD PAVCIS ORANdus Deus.

Da bona ſiue rogere Deus, ſeu nulla rogere:
Et mala ſiue rogere nega, ſeu nulla rogere.

IN DIGAMOS. è Græco.

Qui capit uxorem defuncta uxore ſecundam,
Naufragus in tumido bis natat ille freto.

DE SOMNO ÆQVANTE pauperem cum diuite.

Somne quies uitæ, ſpes & ſolamen egenis,
Diuitibus noctu quos facis eſſe pares.
Triſtia demulces lethæo pectora rore,
Excutis & ſenſum totius inde mali.
Læta benignus opes inopi per ſomnia mittis.
Quid falſas rides diues opes inopis?
Diuitibus uerè curas, tormenta, dolores,
Pauperibus falſè gaudia uera ferunt.

IN DEFORMEM ET IMPROBVM. è Græco.

Pingere difficile eſt animum, depingere corpus,
Hoc facile eſt: in te ſunt tamen ambo ſecus.
Nam prauos animi mores natura reuelans,
Fecit ut emineant undiq; perſpicui.
Sed formæ portenta tuæ deformia membra
Quis pingat? quando hæc cernere nemo uelit?

IN CAPPADOCEM VIRVLENtum. è Græco.

Vipera Cappadocem mordens mala, protinus hauſto
Tabifico perijt ſanguine Cappadocis.

IN STATVAM FERREAM, è Græco.

Effigiem ſtatuêre tibi rex perditor orbis
Ex ferro, ut longè uilius ære foret.
Hoc fecere fames, cædes, furor æris, egeſtas,
Hæc tua, quis omnes perdit auaritia.

VERSVS

VERSVS IAMBICI DIMETRI BRAchycatalectici ad Candidum, qualis uxor deligenda.

Iam tempus id petit
Monetq; Candide,
Vagis amoribus
Tandem renuncies,
Tandemq; desinas
Incerta Cypridis
Sequi cubilia:
Quærasq; uirginem,
Quam ritè iam tibi
Concorde uincias
Amore coniugem,
Quæ iam genus tuum,
Quo nil beatius,
Fœcunda dulcibus
Natis adaugeat.
Pater tibi tuus
Hoc antè præstitit.
Quod à prioribus
Prius receperis,
Non absq; fœnore
Repende posteris.
Non sit tibi tamen
Hæc cura maxima,
Spectare Candide
Quid dotis afferat,
Quàm situe candida.
Infirmus est amor,
Quem stultus impetus
Decore concitus
Parit, uel improbus
Ardor pecuniæ.
Quicunq; amauerit
Propter pecuniam,
Amatur huic nihil
Præter pecuniam:
Capta pecunia
Vanescit ilicò,
Item fugax amor,
Fereq; iam prius
Perit quàm nascitur.
At nec pecunia,
Quam auarus antea
Miser cupiuerat,
Iuuare postea
Quicquam potest, ubi
Quam non amauerit
Inuitus: attamen
Omnino cogitur
Tenere coniugem.
Quid forma? nũquid hæc
Vel febre decidit?
Annisue deperit?

Vt ſole floſculus,
Tum defluentibus
Genæ coloribus
Amor, ligauerant
Quem hæc ſola uincula,
Solutus aufugit.
At uerus eſt amor,
Quem mente perſpicax,
Ratione conſule
Prudens iniuerit:
Et quem bono omine
Virtutis inclytæ,
(Quæ certa permanens
Non febre decidit,
Annisue deperit)
Reſpectus efficit.
Primũ ergo quam uoles
Amice ducere,
Quibus parentibus
Sit orta perſpice:
Vt mater optimis
Sit culta moribus,
Cuius tenellula
Mores puellula
Inſugat, exprimat.
Tum qua ſit indole,
Quàm dulcis, hoc uide,
Vt ore uirginis
Inſit ſerenitas,
Ab ore uirginis
Abſitq; toruitas.
At rurſus ut tamen
Sit in genis pudor,
Nec ore uirginis
Inſit procacitas:
Et ſit quieta, nec
Cingat ſalacibus
Viros lacertulis.
Vultu modeſta ſit,
Nec ſpectet undiq;
Vagis ocellulis.
Proculq; ſtulta ſit
Paruis labellulis
Semper loquacitas:
Proculq; ruſticum
Semper ſilentium.
Sit illa uel modò
Inſtructa literis,
Vel talis ut modò
Sit apta literis.
Fœlix, quibus bene
Priſcis ab optimis
Poſſit libellulis
Vitam beantia
Haurire dogmata.
Armata, cum quibus
Nec illa proſperis
Superba turgeat,

Nec

Nec illa turbidis
Miſella lugeat
Proſtrata caſibus.
Iucunda ſic erit
Semper, nec unquã erit
Grauis, moleſtáue
Vitæ comes tuæ.
Quæ docta paruulos
Docebit & tuos
Cum lacte literas
Olim nepotulos.
Iam te iuuauerit
Viros relinquere,
Doctæq; coniugis
Sinu quieſcere,
Dum grata te fouet,
Manuq; mobili:
Dum plectra perſonant,
Et uoce (qua nec eſt
Progne ſororculæ
Tuæ ſuauior)
Amœna cantilat,
Apollo quæ uelit
Audire carmina.
Iam te iuuauerit
Sermone blandulo,
Docto tamen, dies
Noctesq; ducere.
Notare uerbula
Mellita maximis
Non abſq; gratijs
Ab ore melleo
Semper fluentia:
Quibus coherceat,
Si quando te leuet
Inane gaudium:
Quibus leuauerit,
Si quando deprimat
Te mœror anxius:
Certabit in quibus
Summa eloquentia
Iam cum omnium graui
Rerum ſcientia.
Talem olim ego putem,
Et uatis Orphei
Fuiſſe coniugem,
Nec unquam ab inferis
Curaſſet improbo
Labore fœminam
Referre ruſticam.
Talemq; credimus
Naſonis inclytam,
Quæ uel patrem queat
Aequare carmine,
Fuiſſe filiam.
Talemq; ſuſpicor
(Qua nulla charior
Vnquam fuit patri,

Quo

Quo nemo doctior)
Fuisse Tulliam.
Talisq;,quæ tulit
Gracchos duos,fuit,
Quæ quos tulit,bonis
Instruxit artibus:
Nec profuit minus
Magistra quàm parens.
Quid prisca sæcula,
Tandem reuoluimus?
Vtcunq; rusticum,
Vnam tamen tenet
Nostrumq; uirginem
Tenet,sed unicam,
At sic ut unicam
Pleriſq; præferat:
Cuiq; conferat
Ex his fuisse,quæ
Narrantur omnibus
Tot retrò sæculis,
Quæ nunc & ultimam
Monet Britanniam
Perlata pennulis
Fame uolucribus.
Laus atq; gloria
Orbis puellula
Totius unica,
Ac non modò suæ
Cassandra patriæ.

Dic ergo Candide,
Si talis & tibi
Puella nuberet,
Quales ego tibi
Suprà recensui:
Desit licet queas
Formam requirere,
Dotisue quod parum
Lucrere conqueri.
Hic sermo uerus est,
Quæcunq; sit,satis
Est bella quæ placet.
Nec quisq̃ habet magis,
Quàm qui sibi satis
Quodcunq; habet,putat.
Sic nunc me amet mea,
Vt nil ego tibi
Amice mentiar.
Cuicunq; gratiam
Formæ negauerit
Natura uirgini:
Certè licet siet
Carbone nigrior,
Foret tamen mihi hac
Virtutis indole
Olore pulchrior.
Cuicunq; lubrica
Dotem negauerit
Fortuna uirgini:

Certè

Certè ſiet licet
Vel Iro egentior,
Foret tamen mihi hac
Virtutis indole
Te Cræſe ditior.

RIDICVLVM, IN MINACEM.

Thraſonis uxorem bubulcus ruſticus
Abſente eo uitiauerat.
Domum reuerſus miles ut rem comperit,
Armatus & ferus inſilit.
Tandem aſſecutus ſolum in agris ruſticum,
Heus clamat heus heus furciſer.
Reſtat bubulcus, ſaxaq; in ſinum legit.
Ille enſe ſtricto clamitat,
Tu coniugem meam attigiſti carniſex?
Reſpondit imperterritus,
Feci. fateris, inquit? At ego omnes Deos
Deasq; teſtor ô ſcelus,
In pectus hunc enſem tibi capulo tenus,
Ni faſſus eſſes, abderem.

DE MEDIOCRITATE.

è Græco.

Agros ego haud porrectiores appeto,
Non auream aut Gygis beatudinem.
Quæ ſit ſatis ſibi, uita ſat eadem eſt mihi.
Illud Nihil nimis, nimis mihi placet.

HECTOR MORIENS.

è Græco.

Proijcitote meum Danai poſt fata cadauer
Nam metuunt lepores occiſi membra leonis.

IN STVLTVM POETAM.

Scripſerat Aeneam nulli pietate ſecundum,
Vates ſecundus nemini.
Quidam igitur regem dum uult laudare, Maronem
Pulchrè æmulatus ſcilicet,
Hic hic eſt, inquit, princeps cui nemo ſecundus.
Hac laude rex indignus eſt,
Ipſe ſed eſt uates digniſsimus: ergo age demus
Vtriq; laudem debitam.
Hic hic eſt igitur uates, cui nemo ſecundus,
Rex qui ſecundus nemini.

IN QVENDAM QVI SCRIpſerat hymnos de diuis, parum doctè, teſtatus in prefatione, ſe extempore ſcripſiſſe, nec ſeruaſſe leges carminum, & argumentum non recipere eloquentiam.

Hic ſacer Andreæ cunctos ex ordine faſtos
Perſtringit mira cum breuitate liber.
Ipſos quos cecinit ſuperos, dum ſcriberet omneis,
Credibile eſt uati conſuluiſſe ſuo.
Nam ſubitò ſcripſit, ſed ſic, ut ſcribere poſſet
Quantumuis longo tempore non melius.
Et pia materia eſt, priſciſq; intactus ab ipſis,
Seruatus fato eſt huic operi iſte ſtilus:
Seq; quòd ad numeros non anxius obligat omnes,
Hoc quoq; non uitio, ſed ratione facit.
Maieſtas operis metro eſſe obnoxia non uult,
Nempe ibi libertas eſt, ubi ſpiritus eſt,

Ipſa

Ipſa operis pietas indocto ſufficit: at tu
Caſtalio quiſquis fonte bibiſſe ſoles,
Singula ſi trutines, erit hinc tibi tanta uoluptas,
Quanta tibi ex alio non fuit antè libro.

IN STRATOPHONTA PVGILEM IGNAVVM. è Græco.

Dux Ithacus patria bis denos abfuit annos,
Quum redijt, celeri cognitus uſq; cani eſt.
Te pugil ô Stratophôn, certantem quattuor horas,
Et canis & populus dedidicêre ſimul.
Quin etiam ſpeculum de te ſi conſulis ipſe,
Iuratus Stratophôn te Stratophonta neges

IN PVGILEM IGNAVVM. è Græco.

Neſimus ecce pugil uatem conſultat Olympum,
An uentura ſibi ſera ſenecta foret.
Fors rude donatus uiues, ait ille: minatur
Certanti gelidus ſed tibi falce Deus.

IN PARASITVM. È GRÆCO.

Stare putes ſtadio Eutichydes quum curreret, at quum
Curreret ad cœnam, nempe uolare putes.

IN BIBONEM. È GRÆCO.

Serta, unguenta, meo ne gratificare ſepulchro,
Vina, focus, lapidi ſumptus inanis erit.
Hæc mihi da uiuo, cineres miſcere falerno,
Nempe lutum facere eſt, non dare uina mihi.

IN BIBONEM. È GRÆCO.

È terra genitus, ſub terram morte recondar:
Ergo lagena mihi terrea plena ueni.

IN MVLIEREM FOEDAM.
è Græco.

Te ſpeculum fallit, ſpeculum nam Gellia uerum
Si ſemel inſpiceres, nunquam iterum inſpiceres.

IN FOEDAM. E' GRÆCO.

Fugerit ad Parthos, uel ad Herculis uſq; columnas,
Viſa ſemel, poſitis ueſtibus, Antipatra.

IN FOEDAM. E' GRÆCO.

Qui miſer uxorem deformem duxit, habebit
Veſpere, iam accenſo lumine, adhuc tenebras.

IN BARBA TANTVM PHI=
loſophum. è Greco.

Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat
Barbatus poſſit quin caper, eſſe Plato?

DE LICENTIA.

Vltra conceſſos indulta licentia fines
Prouehitur celeri, non reuocanda gradu.
Si patiare pedem calcet tibi ueſpere coniunx,
Calcabit ſurgens hæc tibi mane caput.

EPITAPHIVM ABYNGDO=
nij cantoris.

Attrahat huc oculos, aures attraxerat olim
Nobilis Henricus cantor Abyngdonius.
Vnus erat, nuper mira qui uoce ſonaret,
Organa qui ſcitè tangeret, unus erat.
Vellenſis primò templi decus, inde ſacellum
Rex illo uoluit nobilitare ſuum.
Nunc illum Regi rapuit Deus, intulit aſtris,
Ipſis ut noua ſit gloria cœlitibus.

ALTE=

ALTERVM DE EO=
dem.

Hic iacet Henricus, ſemper pietatis amicus,
Nomen Abyngdon erat, ſi quis ſua nomina quærat.
Vuellis hic eccleſia fuerat ſuccentor in alma,
Regis & in bella cantor fuit ipſe capella.
Millibus in mille cantor fuit optimus ille.
Præter & hæc iſta, fuit optimus orgaq; niſta.
Nunc igitur Chriſte quoniam tibi ſeruijt iſte,
Semper in orbe ſoli, da ſibi regna poli.

IN IANVM HÆREDEM
Abyngdonij.

Scripſi elegum carmen, Iano me hærede rogante,
Quod tumulum Henrici ſignet Abyngdonij.
Diſplicet, & doctis bene diſplicuiſſet. at illi
Diſplicet hoc tantum, ſi quid ineſt melius.
Non reſonant iſti uerſus, ait. illicò ſenſi,
Qualeis lactucas talia labra petant.
Ridendos ergo ridens effutio uerſus.
Hos uorat applaudens Ianus utraq; manu.
Hos tumulo inſculpſit, ſub eundem protinus obdi,
Atq; ijſdem dignus uerſibus, ipſe legi.
Antè retroq; bifrons Ianus Deus omnia uidit.
Talpa, effrons uidet hic Ianus utrinq; nihil.

AD AVLICVM.

Sæpe mihi iactas faciles te ad principis aures
Liberè & arbitrio ludere ſæpe tuo.
Sic inter domitos ſine noxa ſæpe leones
Luditur, ac noxæ non ſine ſæpe metu.

Infremit incerta crebra indignatio cauſſa,
Et ſubitò mors eſt, qui modò ludus erat.
Tuta tibi non eſt, ut ſit ſecura uoluptas:
Magna tibi eſt, mihi ſit, dummodo certa, minor.

IN TYNDALVM DE= bitorem.

Ante meos quàm crediderat tibi Tyndale nummos,
Quum libuit, licuit te mihi ſæpe frui.
At nunc ſi tibi me ſors angulus afferat ullus,
Haud ſecus ac uiſo, qui pauet angue, fugis.
Non fuit unquã animus, mihi crede, repoſcere nũmos:
Non fuit. at ne te perdere cogar, erit.
Perdere te ſaluo nummos uolo, perdere utrunq;
Nolo, ſat alterutrum ſit perijſſe mihi.
Ergo tibi nummis, aut te mihi redde, retentis:
Aut tu cum nummis te mihi redde meis.
Quod tibi ſi neutrum placeat, nummi mihi ſaltem
Fac redeant: at tu non rediture, Vale.

IN MENDICVM GERENTEM ſe pro medico.

Tu te fers medicum, nos te plus eſſe fatemur,
Vna tibi plus eſt litera, quàm medico.

IN VXOREM IMPVDICAM.

Eſt fœcunda mei, fœcunda eſt uxor Arati,
Nempe ſuo genuit ter ſine fœta uiro.

IN PERPVSILLVM. ẽ Græco.

Vt fugeret miſeræ Diophantus tædia uitæ,
Vſus Arachneo eſt ſtamine pro laqueo.

DE

DE PVELLA QVÆ raptum finxit.

Conſpiceret ſolam iuuenis cum fortè puellam,
Et ſibi oportunum crederet eſſe locum.
Improbus inuitam cupidis amplectitur ulnis,
Baſiaq; & plus quàm baſia ferre parat.
Illa reluctata eſt, legemq; irata minatur,
Qua miſer, effuſo ſanguine, raptor obit.
Inſtitit ille tamen iuuenili ardore proteruus,
Nunc precibus ſatagit, nunc ſuperare metu.
Non precibus, non illa metu ſuperata reclamat,
Calce petit, mordet dente, manuq; ferit.
Ira ſubit iuuenem iam penè libidine maior,
Et ferus, ô demens ſiccine pergis? ait.
Per tibi ego hunc enſem iuro, ſimul extulit enſem,
Commoda ni iaceas, ac taceas, abeo.
Illicò ſuccubuit tam triſti territa uerbo:
Atq; age, ſed quod agis, ui tamen, inquit, agis.

IN CHRYSALVM.

Chryſalus in ſyluis loculos quum conderet, hæſit,
Certa loci poſſent quæ ſibi ſigna capi.
At ſuper ut ſumma raucum uidet arbore coruum,
Hic mihi conſpicua eſt, inquit, abitq;, nota.
Capti ſola ſcopi redeuntem copia luſit:
Nam ſua iam in quauis arbore ſigna uidet.

IN ASTROLOGUM.

Dum tua quos noſter celebrat pro uatibus error,
Fata cient poſitu ſyderis aſtrologi:

Hæc dum ſtella fauet, dumq́; hæc tibi ſtella minatur,
Pendula mens inter ſpemq́; metumq́; tua eſt.
Proſpera ſeu uenient, uenient reticentibus illis,
Aſſolet & ſubitum lætius eſſe bonum.
Seu uenient aduerſa, diu neſcire iuuabit,
Vſura & medij temporis uſq; frui.
Quin iubeo fatis etiam prohibentibus ipſis,
Fac tibi mens hilares tranſigat æqua dies.

IN CRVCE DIGNVM.
è Græco.

Maſtaurωn elementa tibi duo ſubtrahe prima,
Nemo te reliquis dignior eſſe poteſt.

E GRÆCO.

Fortis erat bello Timocritus, hic iacet ergo.
Fortibus haud parcis Mars fere, ſed timidis.

E GRÆCO.

Iſta Neoclidæ gnatos habet urna gemellos:
Seruitio hic patriam liberat, hic uitio.

AD QVENDAM CVI VXOR mala domi.

Vxor amice tibi eſt ſemper mala: quum malè tractas,
Fit peior: ſed fit peßima, quando bene.
Sed bona ſi moriatur erit, melior tamen id ſi
Te faciat uiuo: aſt optima, ſi properè.

DE NAVTIS EIICIENTIBVS monachum in tempeſtate, cui fuerant confeſsi.

Cum tumida horriſonis inſurgeret unda procellis,
Et maris in laſſam ferueret ira ratem:

Relligio timidis illabitur anxia nautis,
Heu parat, exclamant hoc mala uita malum.
Vectores inter monachus fuit, huius in aurem
Se properant uitijs exonerare suis.
Aſt ubi ſenſerunt nihilo ſibi mitius æquor,
Sed rapido puppim uix ſupereſſe freto.
Quid miri eſt, ait unus, aqua ſi uix ratis extat,
Noſtrorum ſcelerum pondere adhuc premitur.
Quin monachũ hũc, in quẽ culpas exhauſim⁹ omneis,
Eijcite, & ſecum hinc crimina noſtra ferat.
Dicta probant, rapiuntq; uirũ, ſimul in mare torquẽt,
Et lintrem leuius quàm prius iſſe ferunt.
Hinc hinc quàm grauis eſt peccati ſarcina, diſce,
Cuius non potuit pondera ferre ratis.

AD CANDIDVM, PAROCHVM uitæ improbæ.

Factus es ô populi paſtor mi Candide magni:
Ter tibi, terq; tuo gratulor ergo gregi.
Aut mihi iudicium minuit fauor, aut tuus uſquam
Non potuit talem grex habuiſſe patrem.
Non tibi uanarum eſt faſtoſa ſcientia rerum,
Quippe nec in populum eſt utilis illa tuum.
At raræ tibi ſunt uirtutes, ſic tibi raros
Patribus ex priſcis credo fuiſſe pares.
Quid faciant fugiantúe tui, quo cernere poſſint,
Vita poteſt claro pro ſpeculo eſſe tua.
Tantum opus admonitu eſt, ut te intueantur, & ut tu
Quæ facis, hæc fugiant: quæ fugis, hæc faciant.

E' GRÆCO.

Naufragus hac ſitus eſt, iacet illa ruſticus urna.
Ad ſtyga ſiue ſolo par uia, ſiue ſalo.

IN POSTHVMVM Epiſcopum.

Præſul es, & meritò præfectus Poſthume ſacris,
Quo magis in toto non erat orbe ſacer.
Gaudeo tam magnum, tam ſanctum gaudeo munus,
Tandem non temerè nunc, uelut antè dari.
Nempe errare ſolet temerarius impetus: at te
Delectum magna ſedulitate patet.
Namq; ubi de multis tantummodo ſumitur unus,
Sæpe malus caſu, peßimus arte uenit.
At te, de multis legitur ſi millibus unus,
Stultior haud poßit, deteriorúe legi.

DE BOLLANO.

Vrticis lectum Bollano urentibus omnem
Inſternunt ſocij, quum cubiturus erat.
Se tamen urticis uſtum negat, haud negat illas
In tenebris nudum ſe reperiſſe tamen.
Vnguibus aut igitur uitata carne neceſſe eſt,
Aut nudis tantùm dentibus inciderint.
Cum tamen in tenebris illæſus repperit herbas,
Vrticas qua'nam repperit eſſe notas?

DE VVLPE ÆGROTA ET leone, Apologus.

Dum iacet angußa uulpes ægrota cauerna,
Ante fores blando conſtitit ore leo:
Ecquid amica uales? citò me lambente ualebis,

Neſcis

Nescis in lingua uis mihi quanta mea.
Lingua tibi medica est, uulpes ait: at nocet illud
Vicinos quòd habet tam bona lingua malos.

DE LEONE ET LYsimacho.

Dum domitus placido leo lamberet ore magistrum,
Prouocat exemplo quemlibet ipse suo.
Cumq; diu ex tanta prodiret nemo corona,
Prosilijt forti pectore Lysimachus.
Ipse, ait, audebo linguam tetigisse leonis,
Sed tam uicinis dentibus haud faciam.

IN FABIANVM Astrologum.

Vno multa die de rebus fata futuris,
Credula quum de te turba frequenter emat.
Inter multa unum si fors mendacia uerum est,
Illicò uis uatem te Fabiane putem.
At tu de rebus semper mentire futuris.
Si potes hoc, uatem te Fabiane putem.

IN REGEM SCOTIÆ, QVI ARcem Norhamam proditam sibi tamen oppugnauit, dissimulans proditam esse.

Scote quid oppugnas Norhamam uiribus arcem?
Antè tibi falsa proditione datam.
Artibus ergo malis capta fuit arce, uoluptas
Magna tibi forsan, sed breuis illa fuit.
Teq;, tuisq; mala (merita sed) morte peremptis,
Arx intra est paucos capta, recepta dies.

Proditos

Proditor inq; tuo peteret cum præmia regno,
Mors sceleri est merces reddita digna suo.
Proditor ut pereat, pereat cui proditur hostis.
Inuicta in fatis arx habet ista suis.

EPITAPHIVM IACOBI REgis Scotorum.

Scotorum Iacobus princeps, regno hostis amico,
Fortis & infœlix hac ego condor humo.
Quanta animi fuerat, fidei uis tanta fuisset:
Cætera contigerant non inhonesta mihi.
Sed pudet heu iactare, queri piget: ergo tacebo,
Garrulaq; ô utinam fama tacere uelis.
Vos tamen ô reges moneo, rex nuper & ipse,
Ne sit (ut esse solet) nomen inane fides.

IN MALVM PICTOREM.

Exprimit egregia pictor mirabilis arte,
Dira canis pauitans ut fugit ora lepus.
Intima naturæ scrutatus uiscera fingit,
In cursu leporem retrò metu aspicere.
Tam bene qui leporem fugientem expresserit, opto
Sit lepus, & fugiens ipse retrò aspiciat.

IN EVNDEM.

Cum cane sic pictus lepus est, ut dicere nemo
Esset uterúe canis, posset, uterúe lepus.
Pictor ubi hoc didicit, quod inerti defuit arti,
Suppleuit miro callidus ingenio.
Res ut aperta fŏret, longeq; faceſſeret error,
Subscripsit tantum, est hic canis, iste lepus.

DE TYNDARO.

Non minimo insignem naso dum fortè puellam
Basiat, en uoluit Tyndarus esse dicax.
Frustra ait ergo tuis mea profero labra labellis,
Nostra procul nasus distinet ora tuus.
Protinus erubuit, tacitaq; incanduit ira,
Nempe parum salso tacta puella sale.
Nasus ab ore meus tua si tenet oscula, dixit,
Qua nasus non est, hac dare parte potes.

IN GERMANVM BRIXIVM FALSA scribentem de Chordigera naue Gallorum, & Herueo eius duce.

Heruea dum celebras Brixi, tua carmina damnas.
Nam tibi scripta mala est res bene gesta fide.
Historiam spondes illa Germane poesi,
Quæ modò quum non sit uera, nec historia est.
Aut odio incipiant, aut indulgere fauori,
Et quis nam historijs qui modò credat, erit?
Iamq; nec ipse tuus per te laudem Herueus ullam
Sublata rerum possit habere fide.

IN EVNDEM, DE EODEM HERueo & eadem naue, quæ in pugna nauali conflagrauit.

Brixius immerita quòd sustulit Heruea laude,
Quòd merito aduersum fraudat honore ducem.
Quòd de Chordigera mendacia mille carina
Contrà quàm sese res habuere, canat:
Non equidem miror, neq; prauo falsa fauore,

Quod

Quod uoluit prudens ſcribere, credo tamen.
Sed de Chordigera, uatem qui uera doceret,
Quiuit adhuc reducem nemo referre pedem.
Ipſe tamen (ſciret quo certius omnia) dignus,
Qui media præſens naue fuiſſet, erat.

VERSVS EXCERPTI E' CHORdigera Brixij, ad quos alludunt quædam epigrammata ſequentia.

Circumeunt unum dextra, læuáq; Britanni
Heruea, tela uolant brumali grandine plura
In caput unius Heruei: quæ fortiter heros
Excutiens clypeo, contraria in agmina uertit.

POSTEA DE EADEM Chordigera.

Ipſe ſuos Herueus comites hortatur, & inſtat,
Atq; inter primos audax magno impete in hoſtes
Inuehitur, ferit hos miſſo per tempora telo,
Tranſigit huic gladio coſtas, huic ilia nudat,
Decutit his caput impacta per colla bipenni,
His latus, his humeros haſta præſtringit acuta.

EPIGRAMMA MORI, ALLVdens ad uerſus ſuperiores.

Quòd ferit hos Herueus miſſo per tempora telo,
Iliáq; & coſtas tranſigit huic gladio.
Decutit his caput impacta per colla bipenni.
His humeros haſta perforat atq; latus:
Tum clypeo aduerſa quòd tela uolantia parte
Fortiter excutiens unde uolant, regerit.
Effugit hoc ſenſum, tot telis pugnet ut unus,

Isq;

Isq; cui clypeo est altera onusta manus.
Fortis huic pugnæ rerum natura repugnat,
Præteritum quiddam est hac puto parte tibi.
Namq; ubi magnanimum produxeris Heruea, telis
Pugnantem pariter quattuor, & clypeo,
Fortè tibi exciderat: sed debuit antè moneri
Lector, tunc Herueo quinq; fuisse manus.

ALIVD, DE EODEM.

Miraris clypeum, gladium, hastam, tela, bipennem,
Herueus quoq; gerat belligeretq; modo.
Dextera crudeli manus est armata bipenni,
Instructa est gladio sæua sinistra suo.
Iam telum, teliq; uicem quæ præbeat, hastam
Fortiter (impressis dentibus) ore tenet.
At quia tela caput brumali grandine plura
Inuolitant, clypeum collocat in capite.
Duritia capitis draco cesserit, ungue Celæno,
Sic elephas illi dentibus impar erat.
Ergo nouum aduersos monstrum procurrit in hostes,
Terribilis rictu, terribilisq; manu.

HIC PRIMVS VERSVS BRIXII est, quo Heruea iam moriturum de se facit uaticinantem.

Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,
Heruei magna canit Brixius acta ducis.
Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,
Herueum, hostes, socios, concremat atq; rates.
Inter Phœbeos non aspernandus alumnos:
Vnde igitur uates, quæ cecinit, didicit?

Inter

Inter Phœbeos non aſpernandus alumnos,
Phœbeo reliquum eſt audiat ex tripode.

IN EVNDEM, VERSVS POE-tarum ſuffurantem.

Priſcos poetas nemo te colit magis,
Legitúe diligentius.
Nam nemo priſcis è poetis omnibus
Eſt, cuius ipſe ex uerſibus,
Non hinc & inde floſculos & gemmulas
Manu capaci legeris,
Vatem redonans tanto honore protinus,
Scriptis tuis ut inſeras.
Beaſq́; uatem: nempe quæ tu congeris,
Suos parentes indicant,
Magisq́; reſplendent tua inter carmina,
Quàm nocte lucent ſydera.
Tantum decus uati inuidere nemini
Soles, amicus omnium,
Ne quis, decus prioris olim ſeculi,
Neglectus abs te defleat.
Ergo ſacrati ne poetarum modi
Longo ſitu obſoleſcerent,
Iniuria tu uindicatos temporis
Nouo nitore percolis.
Hoc eſt uetuſtis arte nouitatem dare,
Qua re nihil felicius.
Ars ô beata, quiſquis arte iſthac tamen
Vetuſta nouitati dabit,

Is arte

Is arte nulla (quamlibet ſudet diu)
Nouis uetuſtatem dabit.

ALLVSIO AD CENOTA-
phium Heruei.

Heruea cum Decijs unum conferre duobus,
Aetas te Brixi iudice noſtra poteſt.
Sed tamen hoc diſtant, illi quòd ſponte peribant,
Hic perijt, quoniam non potuit fugere.

PHOEBVS BRIXIVM AL-
loquitur.

Vis de grandiſono quid ſentio ſcire libello,
Qui arma, necemq; Heruei bellipotentis habet?
Ergo ſacer Phœbo ſacra hæc oracula uates
Accipe, Phœbæo reddita de tripode.
Vna opere in toto deeſt ſyllaba, mille ſuperſunt.
Plenum opus eſt: nam quid poſſet abeſſe minus?
Vna uno hæc legitur, ſed non legitur tibi menſe,
Et plus quàm medium ſyllaba menſis habet. Mens.

IN BRIXIVM POETAM.

Brixi tale tuo natum eſt ænigma libello,
A Sphinge opponi poßit ut Oedipodi.
Chordigera eſt tibi tota frequẽs, tibi nõ tamẽ uſquã eſt
Cordigeræ in toto ſyllaba prima libro. Cor.

AD SABINVM, CVI VXOR
abſenti concepit.

Subſidium uitæ, ſeræ ſpes una ſenectæ,
Nata tibi eſt ſoboles, curre Sabine domum.
Curre, ſalutanda eſt uxor fœcunda, uidenda eſt
Chara tibi ſoboles, curre Sabine domum.

Curre,inquam,ac propera,nimiumq; uidebere lentus,
Quantumuis properes,curre Sabine domum.
Iam queritur coniunx de te tua,iam tua de te
Conqueritur ſoboles,curre Sabine domum.
Nunquā ingratus ades,neq; cum ſoboles tibi nata eſt,
Sed neq; cum genita eſt,curre Sabine domum.
Curre ut adeſſe,puer ſacro dum fonte lauatur,
Nunc ſaltem poſsis,curre Sabine domum.

AD CANDIDVM LAVDANTEM ſanctos uiros,cum ipſe eſſet malus.

Sæpe bonos laudas,imitaris Candide nunquam:
Laudo,inquis,poſita Candidus inuidia.
Nam quicunq; bonos imitatur,& æmulus idem eſt.
O lacte,ô niuibus Candide candidior.

QVIS OPTIMVS REIPVB. ſtatus.

Quæris uter melius,Rex'ne imperet,an'ne Senatus?
Neuter (quod ſæpe eſt) ſi ſit uterq; malus.
Sin ſit uterq; bonus,numero præſtare Senatum,
Inq; bonis multis plus reor eſſe boni.
Difficile eſt numerum forſan reperire bonorum,
Sic facile eſt unum ſæpius eſſe malum.
Et fuerit medius ſæpe inter utrunq; Senatus:
Sed tibi uix unquam Rex mediocris erit.
Conſilioq; malus regitur meliore Senator,
Rex conſultores ſed regit ipſe ſuos.
Alter ut eligitur populo,ſic naſcitur alter:
Sors hic cæca regit,certum ibi conſilium.

Illeq;

Illeq; se factum populo, populum sibi factum,
Scilicet hic ut sint quos regat ipse putat.
Rex est in primo semper blandissimus anno,
Omni anno consul rex erit ergo nouus.
Rex cupidus longo populum corroserit æuo,
Si consul malus est, spes melioris adest.
Nec me nota mouet quæ pastam fabula muscam
Ferre iubet, subeat ne malè pransa locum.
Fallitur, expleri regem qui credit auarum,
Nunquam hæc non uacuam mittet hirudo cutem.
At patrum consulta grauis dissensio turbat,
Regi dissentit nemo: malum hoc grauius.
Nam quum de magnis uaria est sententia rebus,
Quæstio sed tamen hæc nascitur unde tibi?
Est ne usquam populus, cui regem siue senatum
Præficere arbitrio tu potes ipse tuo?
Si potes hoc, regnas: nec iam cui, consule, tradas
Imperium: prior est quæstio, an expediat.

DE FVSCO POtore.

Potando medicus perituros dixit ocellos
Fusco, qui cùm se consuluisset, ait:
Perdere dulcius est potando, quàm ut mea seruem
Erodenda pigris lumina uermiculis.

AD AMICVM.

Litera nostra, tuis quantum mihi colligo scriptis,
Sera tibi ueniet, nec tibi sera tamen.
Nec bello ueniunt intempestiua peracto,
Quæ bello poterant tela iuuare nihil.

DE REGE ET RVSTICO.

Ruſticus in ſyluis nutritus uenit in urbem,
Ruſticior Fauno, ruſticior Satyro.
En populus plena ſtetit hinc, ſtetit inde platea,
Vnáq; uox tota, Rex uenit, urbe fuit.
Ruſticus inſolita uocis nouitate mouetur,
Quid́ nam ita reſpectet turba, uidere cupit.
Rex ſubitò inuehitur, celebri præeunte caterua,
Aureus excelſo conſpiciendus equo.
Tum uerò ingeminant, uiuat rex: undiq; regem
Attonito populus ſuſpicit ore ſuum.
Ruſticus, ô ubi rex? ubi rex eſt? clamat: at unus,
Ille, ait, eſt illo qui ſedet altus equo.
Hiccine rex? puto me derides, ruſticus inquit.
Ille mihi picta ueſte uidetur homo.

IN EPISCOPVM ILLITERA-tum, de quo antè epigramma eſt ſub nomine poſthumi.

Magne pater clamas, occidit littera, in ore
Hoc unum, occidit littera, ſemper habes.
Cauiſti bene tu, ne te ulla occidere poßit
Littera, non ulla eſt littera nota tibi.
Nec fruſtra metuis ne occidat littera, ſcis non
Viuificet qui te ſpiritus eſſe tibi.

DE SACERDOTE RIDICVLE ADmonente populum de ieiunio, cum dies iam præteriſſet.

Admonuit populum noſter cum fortè ſacerdos,
Proxima quos faſtos afferat hebdomada:

Martyris

Martyris Andreæ magnum & memorabile festũ est,
Scitis, ait, charus quàm fuit ille Deo.
Squalida lasciuam tenuent ieiunia carnem,
Hoc suetum est, sancti hoc instituêre patres.
Præmoneo ergo omneis, in martyris huius honorem,
Quòd ieiunari debuit, inquit, heri.

DE QVODAM MALÈ CANTANte, & bene legente.

Tam malè cantasti, possis ut episcopus esse,
Tam bene legisti, ut non tamen esse queas.
Non satis esse putet, si quis uitabit utrumuis.
Sed fieri si uis præsul, utrunq; caue.

AD SABINVM.

Quos antè coniunx quattuor
Natos Sabine protulit,
Multum ecce dissimiles tibi,
Tuos nec ipse deputas.
Sed quem tibi puellulum
Enixa iam nuperrimè est,
Solum tibi simillimum
Pro quattuor complecteris.
Adulterinos quattuor
Vocas, repellis, abdicas.
Hunc unicum ceu γνήσιον,
Qui sit tibi hæres, destinas.
Hunc ergo in ulnis gestiens,
Exosculandum ab omnibus,
Vt filium fert simia,
Totam per urbem baiulas.

Atqui graues tradunt Sophi,
Quibus laborq́; ſtudiumq́; id eſt,
Secreta quicquid efficit
Natura perſcrutarier.
Ergo graues tradunt Sophi,
Quodcunq; matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis datur opera,
Eius latenter & notas,
Certas & indelebileis,
Modoq́; inexplicabili
In ſemen ipſum congeri:
Quibus receptis intimè,
Simulq́; concreſcentibus,
A' mente matris inſitam
Natus refert imaginem.
Quum tot abeſſes millibus,
Dum gignit uxor quattuor,
Quòd eſſet admodum tui
Secura, diſſimiles parit.
Sed unus omnium hic puer
Tui refert imaginem,
Quòd mater, hunc dum concipit,
Sollicita de te plurimum,
Te tota cogitauerat,
Dum pertimeſcit anxia,
Ne tu Sabine incommodus
Velutq́; lupus in fabulam
Superuenires interim.

DE PRINCIPE ET RVSTICO Selando, ridiculum

Quum ſpectaret aquas princeps, in ponte reſedit,
Primoresq; ſuos ante ſtetêre pedes,
Ruſticus adſedit, modico tamen interuallo,
Ciuilemq; dato ſe putat eſſe loco.
Suſcitat hunc quidam, & cum principe, dixit, eodem
Ponte ſedere audes ruſtice? nónne pudet?
Ille refert, ſcelus eſt in eodem ponte ſedere?
Quid ſi pons longus millia dena foret?

DE AVLICO, RIDICULUM.

Quum deſcendit equo, de circumſtantibus uni
Aulicus hunc teneas quiſquis es, inquit, equum.
Ille, ut erat pauidus, dixit: Domine ergo ferocem
Hunc rogo qui teneat, ſufficit unus, equum?
Vnus ait potis eſt retinere, ſubintulit ille:
Si potis eſt unus, tu potes ipſe tuum.

IN MILITEM FVGACEM, & annulatum.

Aureus iſte manus miles cur annulus ornat,
Iure tuos ornet qui meliore pedes?
Vtilior nuper, meliorq; in Marte feroci
Planta tibi palmis una duabus erat.

IN TVSCVM POTOREM.

Perdis ait Tuſco medicus tua lumina uino.
Conſultat ſecum quid uelit ergo ſequi.
Sydera, terra, fretumq; ſolent quæcunq; uideri,
Omnia ſunt, inquit, uiſa reuiſa mihi.

Multa mihi, ſed uina tamen guſtanda ſuperſunt,
Multa refert annus, quum noua muſta nouus.
Iam certus firmusq;, ualebitis, inquit, ocelli,
Nempe ſatis uidi, non ſatis uſq; bibi.

IN ARNVM PER-
iurum.

Iuraſti ſatis Arne diu, tandem obtinuiſti,
Iurare ut poſthac iam tibi non ſit opus.
Cœpit ubiq; tuo uir iuratiſſime uerbo,
Quàm iuramento non minor eſſe fides.

IN EVNDEM.

Et ſemper iuras, & cunctis Arne minaris,
Vis ſcire utilitas quæ uenit inde tibi?
Sic iuras, ut nemo tibi iam deniq; credat:
Sic minitaris, ut has nemo minas metuat.

IN EVNDEM.

Arno nemo magis pedibus ualet uſq;, ſed olim
Frigore contractas perdidit ille manus.
Optat bella tamen, cui pes citus, utraq; manca eſt
Cui manus in bello, ſcis puto, quid faciet.
At cui lingua procax, manus eſt ignaua, procax eſt
Huic non ignaua lingua ſecanda manu.

DE MARVLLO.

Admonuit medicus lippum Theodore Marullum,
Ne uinum, cæcus ni uelit eſſe, bibat.
Pareat ut medico (quanquam ægrè) abſtemius eſſe
Ecce duos totos ſuſtinet uſq; dies.
Pòſt ſitit aſſueti reuocatus imagine uini,
Iamq; fòràs medico uera minante ruit.

Ventum

Ventum erat ad uinum, quum sic sua lumina mœstus
Affatur, posito iam peritura mero.
Huc iter est, huc me fidi duxistis ocelli,
Nunc bibite, & dulces ambo ualete duces.
Gustus odorq́; manent, miratur abire colorem,
In nigras abeunt lumina dum tenebras.
Hoc tamen aduersum lenit solamine casum,
Dote meri minima quòd cariturus erat.

IN RISCVM EQVITEM imbellem.

Riscus eques prudens, longoq́; peritus ab usu,
Dissimiles, causa non sine, pascit equos.
Nanq; alit ille duos, uolucrem præuerterit alter,
Alter sed pigro pigrior est asino.
Hic ergo non festinantem ad prælia defert,
Ille prius tuba quàm clanxerit, inde refert.

IN GELLIAM.

Mentitur qui te dicit mea Gellia fuscam:
Iudice me non es Gellia fusca, nigra es.

IN EANDEM.

Candida sum dicis, fateor. sed candida quum sis,
Cur tibi candorem hunc obtegit atra cutis?

IN EVPARIPHVM VESTE, oppignerato fundo, empta.

Non miror sudare tuæ te pondere uestis,
Quattuor hæc terræ iugera uestis habet.
Quantum uiuenti tibi terræ ingesseris usquam,
Tam magnum tumulum, nec tumulatus habet.

IN GAREMANVM, VENDITIS agris pauperem.

En patrios nuper Garemanus uendidit agros,
Nunc ſubitò fama uiuere fertur inops.
Non illi ingenium, non illi induſtria deſit:
Verùm inimica uiro fata nocere puto.
Nam putres ſuluo glebas mutauerat auro
Callidus, & nunquam rem tamen ille facit.

AD SABINVM.

Interîre duæ, coniunx tibi tertia nupſit,
Nec tibi fida tamen de tribus ulla fuit.
Non tantum ergo tuas, ſed damnas improbe totum
Fœmineum irata mente Sabine genus.
Si tamen hanc æqua rem uis expendere lance,
Fies erga ipſas mitior ipſe tuas.
Nam tres quum fuerint ijſdem tibi moribus omnes,
Aſtra hæc naſcenti fata dedêre tibi.
Si geneſis tua te ſemper iubet eſſe cucullum,
Scilicet expectas uxor ut aſtra regat?
Caſta futura alij fuerat: quòd adultera tecum eſt,
Hoc meritò fatis imputat illa tuis.

IN NAVFRAGVM MORSVM à uipera in littore. è Greco.

Aequoris inſanas euaſit naufragus undas,
Triſtius Afra ſalo præbet harena ſolum.
Dum iacet ecce graui preſſus prope littora ſomno
Nudus, & infeſto feſſus abuſq; freto:
Vipera trux perimit: fruſtra fugis æquora fruſtra,
Heu miſer, in terris debita fata tibi.

DE

DE CHIRVRGO ET ANV.

Vnxit anus ægros uelans chirurgus ocellos,
Vtile persuadens hoc fore quinq; dies.
Interea mappas, pelues, mortaria, discos,
Quicquid onus tutum non facit, inde rapit.
Quùm sanata oculos circumtulit illa reuinctos,
Instrumenta suæ sentit abesse domus.
Mercedem ergo exacta, tua contingeret, inquit,
Vberior pactum est ut mihi uisus ope.
At uideo nunc q̃ antè minus, quorum usus in æde est:
Vidi multa prius, nunc uideo inde nihil.

AD QVENDAM LEVEM.

Quàm tibi mens leuis est, tibi si pes tam leuis esset,
In medio leporem posses præuertere campo.

DE HERODE ET HERODIADE.

Coram Herode Herodiadis dum filia saltat,
Dum quo debuerat displicuisse placet,
Ebrius affectu rex coniugis, ebrius illo
Fortunæ luxu, prætereaq; mero:
Opta ait ô uirgo, dabitur, iurauimus, huius
Dimidium regni poscere si libeat.
Impia suggestu sceleratæ filia matris,
Inquit: Baptistæ da precor ergo caput.
Dona petis uirgo (si saltatricula uirgo est)
Quæ uix sustineas cernere dona petis.
Oˆ funesta parens, ô natæ dira nouerca,
Saltare, atq; homines quam iugulare doces.
Rex dolet, & tristis concedit, nempe coactus
Iurisiurandi religione sui.

Oˋ regem

O regem fidum, sed tunc tantummodo fidum,
Maius perfidia est quum scelus, ipsa fides.

AD QVENDAM
ebriosum.

Tecum in colloquium quòd non properantius iui,
Segniciem incusas, conquereriscq; meam.
Confiteor uerè, tibi non in tempore ueni,
Serior aut citior debuit hora legi.
Aut utinam eiusdem uenissem mane diei,
Aut tibi uenissem mane sequente die.
Nunc res luce nimis tractari cœpit adulta,
Quando tua factum est ebrietate nihil.

IN PICTVRAM HERODIAE
næ mensæ.

Sanguine funesta est Herodis mensa uirili,
Sanguine funesta est mensaq; Flaminij.
Tam similes cædes similes fecere puellæ,
Illam saltatrix obtinet, hanc meretrix.
Id tamen intererat, meretrici uita nocentis,
At saltatrici penditur innocui.

IN EANDEM PICTVRAM.

Ora uiri fœdo sancti fluitantia tabo,
Decussumq; gerit regia mensa caput.
Corpora sic regi rex Atreus ambo Thyesti
Natorum apposuit frater edenda patri.
Sic regi Odrysio natum regina peremptum
Fida soror. genitrix perfida ponit Itym.
Talia regales ornant bellaria mensas:
Crede mihi, non est pauperis iste cibus.

IN

IN VEHEMENTER NASVTVM.
è Græco.

Si tuus ad ſolem ſtatuatur naſus, hiante
Ore, bene oſtendas dentibus hora quota eſt.

IN FVCATVM. È GRÆCO.

Quur emitur fucus, coma, dens, mel, ceraq́; : poſſet
Quum perſona tibi tota minoris emi?

IN HISTRIONEM. È GRÆCO.

Cætera ad hiſtoriam, quiddã tamen, id quoq; magnũ,
Iam tibi ſaltatum contra erat hiſtoriam.
Dum Nioben ageres, ſtabas tanquam lapis eſſes:
Quum fieres Canapeus, ecce repentè cadis.
At Canacem gladio referens, quum uiuus abiſti,
Hoc tibi ſaltatum contra erat hiſtoriam.

IN HISTRIONEM.
è Græco.

Saltauit Nioben, ſaltauit Daphnida Memphis:
Ligneus ut Daphnen, ſaxeus ut Nioben.

SOBRIOS ESSE DIFFICILIO-
res. è Græco.

Veſpere quum bibimus, homines ſumus atq; benigni:
Mane homini ſiccus trux fera ſurgit homo.

IN ANDREAM IN MARE
uomentem.

Gratus es Andrea, dignuſq́; cui bene fiat.
Nam piſces toties qui te pauêre, repaſcis.

DE EODEM.

Aequoris edidiſti piſces, iraſcitur æquor:
Eq́; tuo fœtus exigit ore ſuos.

IN

IN PVELLAM DIVARICATIS tibijs equitantem.

Ergo puella uiri quis te negat esse capacem,
Quum tua tam magnũ circũdant crura caballum?

AD GALLVM SVBLEGENtem ueterum carmina.

Vatibus idem animusq;, & uerè spiritus idem,
Qui fuit antiquis, est modò Galle tibi.
Carmina nanq; eadem, uersusq; frequenter eosdem,
Quos fecêre illi, tu quoq; Galle facis.

IN SCVRRAM PAVperem.

Scurra ubi iam fures totam sibi nocte uideret
Scrutanteis magna sedulitate domum:
Risit, & ô media quid uos hic nocte uidetis
Miror, ait, media nil ego cerno die.

DE SOLLICITA POtentum uita.

Semper habet miseras immensa potentia curas,
Anxia perpetuis sollicitudinibus.
Non prodit multis nisi circumseptus ab armis,
Non nisi gustato uescitur antè cibo.
Tutamenta quidem sunt hæc: tamen hæc malè tutum,
Illum, aliter tutus qui nequit esse, docent.
Nempe satellitium metuendos admonet enses:
Toxica prægustans esse timenda docet.
Ergo timore locus quis nam uacat hic? ubi gignunt,
Hæc eadem pellunt quæ metuenda, metum.

IN

IN PRIVIGNVM, COLLAPSA nouercę ſtatua oppreſſum. è Græco.

Flore nouercalem cingis priuigne columnam,
Morte ratus mores interijſſe malos.
Te tamen illa premit ſubitò inclinata: nouercæ,
Si priuigne ſapis, ipſa ſepulchra fuge.

AD QVENDAM POETAM extemporalem.

Hos quid te ſcripſiſſe mones ex tempore uerſus?
Nam liber hoc loquitur, te reticente, tuus.

IN NOVERCAS. E GRÆCO.

Priuigno uel amans infortunata nouerca eſt:
Hippolyto grauis hoc Phædra docere poteſt.

IN QVENDAM QVI DICEBAT, carminibus ſuis non defutu= rum genium.

Hoc habet Hiſpani feſtiuum epigramma poetæ,
Victurus genium debet habere liber.
Dum legis hunc uerſum, iam tu quoq; ſcribere uerſus
Tota mente paras, ſed ſine mente tamen.
Quæúe canas, qualiúe modo, contemnis: ea eſt ſpes,
Victura hæc genio qualiacunq; ſuo.
Nanq; tuis genium uir tam genioſe Camœnis
Non dubitas aliquem mox alicunde fore.
Tu tamen (& caritурus erit) tuus hic liber, opta
Vt careat genio, qui caret ingenio.
Cui genius uitam producat ſi quis, erit quis
Ex genijs, adſunt qui tibi mille, malis.

Sed

Sed neq; sic uiuet, uati si credis eidem,
Nam non uiuere, sed uita, ualere bene, est.
Quòd si uita libri est iugi langueſcere probro,
Detur & æterna uiuere morte tibi.

DE CVPIDITATE REGNANDI.

Regibus è multis regnum cui ſufficit unum,
Vix rex unus erit, ſi tamen unus erit.
Regibus è multis regnum bene qui regat unum,
Vix tamen unus erit, ſi tamen unus erit.

DE DEDITIONE NERVIÆ Henrico VIII. Angliæ Regi.

Belliger inuictam domuit te Neruia Cæſar,
Non tamen extremis abſq; utriuſq; malis.
Te capit Henricus, capit & ſine ſanguine, princeps
Magno tam maior Cæſare quàm melior.
Senſit honorificum ſibi rex cepiſſe, tibiq;
Vtile ſenſiſti non minus ipſa capi.

DE FABVLLA ET ATTALO.

Fabulla nuper neſcio quid Attalo
Irata, & illum commouere geſtiens,
Oſtendereq; quàm prorſus hunc nihili putet,
Iurauit illi, ſi ſibi centum forent
Membra, mulier quibus ſit, è centum tamen
Præſtare dignaretur haud unum Attalo.
Non inquit ille? quæ, malùm, eſt iſthæc noua
Frugalitas tibi? quæue parſimonia?
Certè ſolebas eſſe liberalior.
Vnum ne de centum grauareris modò
Auara commodare? at aliquando unicum

Tantum

Tantum quum haberes, unicum tamen uiris
Centum ſolebas dare benigna centies.
Hei metuo ne quid iſta portendat tibi
Monſtroſa tandem parcitas, magni mali.

DE FEBRICITANTE ET MEDICO BIBACI.

Febre laboraret mihi quum puer hemitritæo,
Fortè ibi Sauromatæ poſco medentis opem.
Senſit ut admoto ſalientem pollice uenam,
Fortis, ait, calor eſt, ſed calor ille cadet.
Flagitat ergo cyphum, fundumq; exhaurit ad imum,
Quantum nec Bitias ebibiturus erat.
Haurit, ad æqualeis ægrotum prouocat hauſtus,
Et facere hoc temerè ne uideatur, ait:
Aeſtuat hic ualde, ualde bibat ergo neceſſe eſt,
Non paruo obruitur magna liquore pyra.

DE HESPERO CONFITENTE.

Ex more ſacro dum ſacerdoti Heſperus
Commiſſa faſſus expiaret crimina,
Explorat huius ille conſcientiam,
Et cautus omne examinat ſcelerum genus:
Interq; multa quærit, an unquam malos
Ritu prophano crediderat in dæmonas.
Vah egó ne credam in dæmones, inquit, pater?
Multo labore uix adhuc credo in Deum.

DE OCCASIONE DEO. è Græco.

Vnde erat hic plaſtes? Sicyonius. at quis erat? dic.
Lyſippus. tu quis? tempus ego omne domans.

Cur ſummis inſtas digitis? roto ſemper. at alas
Cur pedibus geſtas? ut leuis aura feror.
At dextram cur armat acuta nouacula? ſignum eſt,
Quòd conferri acies non potis ulla mihi eſt.
Cur coma fronte iacet? quòd qui me prendere captat,
Præueniat. caluum eſt cur tibi retrò caput?
Quòd poſtquam leuibus præceps effugero pennis,
Nil aget à tergo qui reuocare uolet.
Vnde igitur poſſes documentum ſumere, talem
Artificis poſuit me tibi docta manus.

DE PHYLLIDE ET PRISCO, impariter amantibus.

Tam Phyllis cupido bene nubet candida Priſco,
Quàm bene ſpumanti uitrea lympha mero.
Phyllida Priſcus amat calido feruentius igne,
Frigidius gelida Priſcus amatur aqua.
Iungetur tutò, nam ſi ſimul ardeat illa,
Suſtineat flammas quæ domus una duas?

DE NVMMIS ANTIQVIS APVD Hieronymum Buslidianum ſeruatis.

Roma ſuis olim ducibus quàm debuit, illi
Tam debent omnes Buslidiane tibi.
Roma ſuis ducibus ſeruata eſt: ipſe reſeruas
Romanos Roma præmoriente duces.
Nam quæ cæſareos antiqua nomiſmata uultus,
Aut referunt claros tumúe priusúe uiros:
Hæc tu ſæclorum ſtudio quæſita priorum
Congeris, & ſolas has tibi ducis opes.

Cumq; triumphaleis denſus cinis occulat arcus,
Ipſe triumphantum nomen & ora tenes.
Nec iam Pyramides procerum monumenta ſuorum
Tam ſunt, quàm pyxis Buslidiane tua.

AD EVNDEM.

Ecquid adhuc placidam ni Buslidiane Camœnam
Tua coerces capſula?
In tenebras abdis cur dignam luce, quid illis
Quid inuides mortalibus?
Muſæ fama tuæ toto debetur ab orbe,
Quid huic repellis gloriam?
Gratus ab hac fructus toti debetur & orbi,
Quid unus obſtas omnibus?
An tibi caſta procul cœtu cohibenda uirili
Cohors uidetur uirginum?
Sunt hæc uirginibus fateor metuenda, ſed illis
Deuirginari quæ queunt.
Aede tuam intrepidus, pudor eſt inflexilis illi,
Nec ille rudis, aut ruſticus.
Vt tua non ipſi ceſſura eſt uirgo Dianæ,
Pudore grata lacteo:
Sic tua non ipſi ceſſura eſt uirgo Mineruæ,
Senſu, lepore, gratia.

AD BVSLIDIANVM DE ÆDIBVS magnificis Mechliniæ.

Culta modò fixis dum contemplabar ocellis
Ornamenta tuæ Buslidiane domus,
Obſtupui, quonam exoratis carmine fatis
Tot rurſus ueteres nactus es artifices?

Nam reor illustres uafris ambagibus ædes,
Non nisi Dædaleas ædificasse manus.
Quod pictum est illic, pinxisse uidetur Apelles:
Quod scalptum, credas esse Myronis opus.
Plastica quum uideo, Lysippi suspicor artem:
Quum statuas, doctum cogito Praxitelem.
Disticha, quodq; notant opus, at quæ disticha uellet,
Si non composuit, composuisse Maro.
Organa tam uarias modulis imitantia uoces,
Sola tamen ueteres, uel potuisse negem.
Ergo domus tota est uel sæcli nobile prisci,
Aut quod prisca nouum sæcula uincat, opus.
At domus hæc noua nunc, tardè seroq; senescat,
Tunc uideat dominũ, nec tamen usq; senem.

DE PHILOMENO ET Agna, coniugatis malafide.

En redeunt nostro Veneris miracula sæclo
Qualia nec prisco tempore facta reor:
Flos iuuenes inter Philomenus, & Agna puellas,
Iunguntur Paphiæ ritè fauore Deæ.
Ille sed heu nimium laudata uoce superbit,
Illa tumet placidi laudibus ingenij.
Ergo coniugium uotis tam sæpe petitum,
Non Veneri acceptum, sed retulere sibi.
Ingratis adimit formam Dea, neue coirent
Mutati, dispar indit utriq; genus.
Mox Philomenus auem quauis æstate canentem,
In cuculum: inq; auidam uertitur Agna lupam.

MEDI=

MEDICINÆ AD TOLLENDOS fœtores anhelitus, prouenientes à cibis quibusdam.

Sectile ne tetros porrum tibi spiret odores,
Protinus à porro fac mihi cepe uores.
Denuò fœtorem si uis depellere cepæ,
Hoc facile efficient allia mansa tibi.
Spiritus at si post etiam grauis allia restat,
Aut nihil, aut tantum tollere merda potest,

AD LECTOREM DE NOVO Testamento, uerso ab Erasmo Ro.

Sanctum opus, & docti labor immortalis ERASMI
Prodit, & ô populis cõmoda quanta uehit?
Lex noua nam ueteri primum est interprete læsa,
Scribentum uaria pòst uitiata manu.
Sustulerat forsan mendas Hieronymus olim,
Sed periere pigro tam bona scripta situ.
Tota igitur demptis uersa est iam denuò mendis,
Atq; noua CHRISTI *lex noua luce nitet.*
Nec tamen ambitiosè singula uerba notauit,
Sanctum habuit quicquid uel mediocre fuit.
Quo fit ut hæc celeri si quis præteruolet ala,
Huic nihil hic magni fortè putetur agi.
Idem si presso relegat uestigia gressu,
Censebit maius commodiusue nihil.

AD REVERENDISS. &c. THOmã Cardinalẽ & Archiepiscopũ Eboracensem, in librũ noui Testamenti, ei ab Erasmo datum.

Vnice doctorum pater ac patrone uirorum,
Pieridum pendet cuius ab ore chorus,
Cui populus quantum defert & cedit honore,
Virtutes infra est tantum honor ipse tuas.
Ab liber iste tuo longè tibi uenit ERASMO,
Hunc precor hoc animo quo dedit ipse, cape.
Nec dubito, capies: operi nam iure fauorem
Autor, & autori conciliabit opus.
Ille tui cultor semper fuit, est opus ipsum
Lex CHRISTI, *studium quæ fuit usq; tuum.*
Illa paratur ab hac prudens tibi lege facultas,
Qua Momo coram reddere iura potes.
Namq; ita perplexas populo mirante querelas
Discutis, ut uictus non queat ipse queri.
Non humana tibi facit hoc sollertia, sed lex
Christi, iudicijs unica norma tuis.
Ergo opus hoc placido Præsul dignißime uultu
Excipe, & autori, quod facis, usq; faue.

AD REVERENDISS. &c.
Archiepiscopum Cantua=
rienſem.

Quòd bene sunt collata tuo pie præsul ERASMO
Tanta tua toties munera prompta manu,
Quàm non ducat iners quæ tu facis ocia, monstrant
Multa, sed in primis indicat illud opus.
Aediderit quamuis numerosa uolumina, fructu
Non sine, uincit opus cuncta priora nouum.
Cunctorum utilitas, sed honor te est inter & illum:
Præstitit ille operam, tu bone præsul opem.

At partem ille ſuam toto tibi pectore cedit,
Quicquid agit, meritis imputat omne tuis.
Hunc petit ille ſui fructum pater alme laboris,
Charus ut hoc tu ſis omnibus, ille tibi.

EPITAPHIVM IN SEPVLCHRO Iohannæ olim uxoris Mori, deſtinantis idem ſepulchrũ & ſibi & Aliciæ, poſteriori uxori.

Chara Thomæ iacet hoc Iohanna uxorcula Mori,
Qui tumulum Aliciæ hunc deſtino, quiq; mihi.
Vna mihi dedit hoc coniuncta uirentibus annis,
Me uocet ut puer, & trima puella patrem.
Altera priuignis (quæ gloria rara nouercæ eſt)
Tam pia, quàm gnatis uix fuit ulla ſuis.
Altera ſic mecum uixit, ſic altera uiuit,
Charior incertum eſt, hæc ſit, an hæc fuerit.
O ſimul ô iuncti poteramus uiuere nos tres
Quàm bene, ſi fatum relligioq; ſinant.
At ſociet tumulus, ſociet nos obſecro cœlum.
Sic mors, non potuit quod dare uita, dabit.

AD SE GESTIENTEM LÆtitia, quòd euaſerat tempeſtatem.

Quid iuuat inſanas maris euaſiſſe procellas?
Lætitia eſt, ut nõ ſit tibi uana, breuis.
Talis febre quies ægris intermicat, illa
Dum per acerba ſtatas itq; reditq; uices.
Quàm te plura manent optata triſtia terra,
In rapido fuerant quàm ſubeunda freto?

Aut ferrum, aut uarij præcedent funera morbi,
Quorum uno est quouis mors minus ipsa grauis.
Quin eadem tumidas frustra uitata per undas,
Te premet in plumis insidiosa tamen.

IN PINGVEM QVENDAM PATREM, cui frequens erat in ore, Scientia inflat.

Quemlibet inflat ais uel teste scientia Paulo,
Hanc fugis: unde igitur tu pater ample tumes?
Vix gestas crasso turgentem abdomine uentrem,
Inflaturq; leui mens tibi stulticia.

IN CHELONVM.

Cur adeò inuisum est pigri tibi nomen aselli?
Olim erat hoc magnus Chelone philosophus.
Ne tamen ipse nihil differre puteris ab illo,
Aureus ille fuit, plumbeus ipse magis.
Illi mens hominis asinino in corpore mansit:
At tibi in humano est corpore mens asini.

DE FELE ET MVRE.

Muscipula exemptum feli dum porrigo murem,
Haud auido prædam protinus ore uorat.
Sed trepidum in media captiuũ exponere terra
Sustinet, & miris ludere læta modis.
Adnutat cauda, tremulis inspectat ocellis,
Et lasciua caput iactat in omne latus.
Molliter attonitum pede suscitat ire parantem,
Corripit, imq; uicem datq; negatq; uiam.
Mox pede sublimem iaculatur, & excipit ore,
Deinde abit, & falsæ spem facit usq; fugæ.

Excubat,

Excubat,& ſaltu fugientem læta reprendit
Protinus,inq; locum quo fuga cœpta redit.
Digrediturq; iterum,mirandoq; improba ſenſu
Quæ miſero mens eſt experimenta capit.
Hoc dum ſæpe facit,ſecuraq; longius exit,
Mus rimam ſubitò repperit & ſubijt.
Illa cito reuocata gradu fruſtra obſidet antrum,
Hic latebra tectus tutus ab hoſte fuit.
Muſcipula occiderat,niſi quòd tutela ſalusq;
Feles interitus quæ ſolet eſſe fuit.

GRATVLATVR QVOD EAM REperit incolumem,quam olim fermè puer amauerat.

Viuis adhuc,primis ô me mihi charior annis,
Redderis atq; oculis Eliſabetha meis.
Quæ mala diſtinuit mihi te fortuna tot annos,
Penè puer uidi,penè reuiſo ſenex.
Annos uita quater mihi quattuor egerat,inde
Aut duo defuerant,aut duo penè tibi.
Quum tuus innocuo rapuit me uultus amore,
Vultus,qui quo nunc fugit ab ore tuo?
Cum quondam dilecta mihi ſuccurrit imago,
Hei facies quàm nil illius iſta refert.
Tempora quæ,teneræ nunquam non inuida formæ,
Te rapuere tibi,non rapuere mihi.
Ille decor noſtros toties remoratus ocellos,
Nunc tenet à uultu pectora noſtra tuo.
Languidus admoto ſolet ignis creſcere flatu,
Frigidus obruerat quem ſuus antè cinis.

Tuq; facis quamuis longè diuerſa priori,
Vt micet admonitu flamma uetuſta nouo.
Iam ſubit illa dies quæ ludentem obtulit olim
Inter uirgineos te mihi prima choros.
Lactea cum flaui decuerunt colla capilli,
Cum gena par niuibus uiſa, labella roſis.
Cùm tua perſtringunt oculos duo ſydera noſtros,
Perq; oculos intrant in mea corda meos.
Cùm uelut attactu ſtupefactus fulminis hæſi
Pendulus à uultu tempora longa tuo.
Cùm ſocijs riſum exhibuit noſtrisq; tuisq;
Tam rudis & ſimplex & malè tectus amor.
Sic tua me cepit ſpecies: ſeu maxima uerè,
Seu maior uiſa eſt quàm fuit, eſſe mihi:
Seu fuit in cauſa primæ lanugo iuuentæ,
Cumq; noua ſuetus pube uenire calor:
Sydera ſeu quædam noſtro communia natu
Viribus afflarant utraq; corda ſuis.
Namq; tui conſors arcani conſcia pectus
Garrula prodiderat concaluiſſe tuum.
Hinc datus eſt cuſtos, ipſisq; potentior aſtris
Ianua, quos uellent illa coire uetat.
Ergo ita diſiunctos diuerſaq; fata ſecutos,
Tot nunc poſt hyemes reddidit iſta dies.
Iſta dies qua rara meo mihi lætior æuo,
Contigit occurſu ſoſpitis alma tui.
Tu prædata meos olim ſine crimine ſenſus,
Nunc quoq; non ullo crimine chara manes.
Caſtus amor fuerat, ne nunc inceſtior eſſet,

Si minus hoc probitas, ipsa dies faceret. ‘‘
At superos, qui lustra boni post quinq; ualentem
Te retulere mihi, me retulere tibi,
Comprecor ut lustris iterum pòst quinq; peractis
Incolumis rursus contuar incolumem.

T. MORVS MARGARETÆ, ELIsabethæ, Ceciliæ, ac Ioanni, dulcissimis liberis S. P.

QVattuor una meos inuisat epistola natos,
Seruet & incolumes à patre missa salus.
Dū peragratur iter, pluuioq; madescimus imbre,
Dumq; luto implicitus sæpius hæret equus:
Hoc tamen interea uobis excogito carmen,
Quod gratum, quanquam sit rude, spero fore.
Collegisse animi licet hinc documenta paterni,
Quanto plus oculis uos amet ipse suis:
Quem non putre solum, quem non malè turbidus aer,
Exiguusq; altas trans equus actus aquas,
A uobis poterant diuellere, quo minus omni
Se memorem uestri comprobet esse loco.
Nam crebrò dum nutat equus, casumq; minatur,
Condere non uersus desinit ille tamen:
Carmina quæ multis uacuo uix pectore manant,
Sollicito patrius ritè ministrat amor.
Non adeò mirum si uos ego pectore toto
Complector, nam non est genuisse nihil.
Prouida coniunxit soboli natura parentem,
Atq; animos nodo colligat Herculeo.
Inde mihi teneræ est illa indulgentia mentis,

Vos

Vos tam ſæpe meo ſueta fouere ſinu.
Inde eſt uos ego quòd ſoleo pauiſſe placenta,
Mitia cum pulchris & dare mala piris.
Inde quòd & Serum textis ornare ſolebam,
Quòd nunquam potui uos ego flere pati.
Scitis enim quàm crebra dedi oſcula, uerbera rara,
Flagrum pauonis non niſi cauda fuit.
Hanc tamen admoui timideq́; & molliter ipſam,
Ne uibex teneras ſignet amara nates.
Ah ferus eſt, diciq́; pater non ille meretur,
Qui lachrymas nati non fleat ipſe ſui.
Neſcio quid faciant alij, ſed uos bene ſcitis
Ingenium quàm ſit molle piumq́; mihi.
Semper enim quos progenui uehementer amaui,
Et facilis (debet quod pater eſſe) fui.
At nunc tanta meo moles accreuit amori,
Vt mihi iam uideor, uos nec amaſſe prius.
Hoc faciunt mores puerili ætate ſeniles,
Artibus hoc faciunt pectora culta bonis:
Hoc facit eloquio formatæ gratia linguæ,
Penſaq́; tam certo ſingula uerba modo.
Hæc mea tam miro pertentant pectora motu,
Aſtringuntq́; meis nunc ita pignoribus:
Vt iam quod genui, quæ patribus unica multis
Cauſa eſt, adfectus ſit propè nulla mei.
Ergo natorum chariſſima turba meorum,
Pergite uos ueſtro conciliare patri.
Et quibus effectum eſt uobis uirtutibus iſtud,
Vt mihi iam uidear uos nec amaſſe prius.

Efficito,

fficitote (poteſtis enim) uirtutibus ijſdem,
Vt poſthac uidear uos nec amare modò.

EXCVSAT QVOD DVM LOQVE-
etur cum eximio quodam patre, nobilem quandam matronam ingreſſam thalamum, atq; aliquandiu colloquentibus illis adſtantem, non animaduerterat.

QVum tua dignata eſt bonitas me uiſere nuper,
Atq; humilẽ Præſul magne ſubire caſam:
Interea dum uerba ſeris tam dulcia mecum,
Penderem ut uultu totus ab ipſe tuo.
cce (quod ah mihi ſerò mei retulere miniſtri,
Nempe (ubi tot res eſt acta diebus) heri)
Matrona ingreditur, cultu ſpectanda ſuperbo,
Sed quem forma tamen uicit, & hanc probitas:
enit in uſq; thorum, ſtetit & mihi tempore longo
Proxima, contingens & cubito cubitum.
ſpicit antiquæ ſelecta numiſmata formæ,
Claraq; tam claris gaudet imaginibus.
umere dignatur tenuis bellaria menſæ,
Venit & à dulci dulcior ore ſapor.
oſtra nec in tantum uertuntur lumina lumen,
O mihi plus ipſo nate ſtupore ſtupor.
unc ignoſco mei quòd non monuere miniſtri,
Tam ſtupidum certè nemo putauit herum.
h oculos, longè qui proſpexiſſe ſolebant,
Si qua refudiſſet tale puella iubar.

An

An ſenuit torpentq; meo mihi corpore ſenſus?
Surgenti an genius mane ſiniſter erat?
An tu, ne niſi te quicquam ſentire ualerem,
Surpueras lepido me mihi colloquio?
Arte lyraq; feras in ſe conuerterat Orpheus,
In te melliſluis uertor & ipſe ſonis.
Sed tuus intentat magnum lepor iſte periclum,
Neglectam ſeſe ne putet illa mihi.
Hoſpita ne limis quum tam propè ſtaret, ocellis
Vidiſſe, & uiſam diſſimulaſſe ferar.
At uel hiulca prius mihi terra dehiſceret optem,
Quàm ſit in hoc animo tam fera barbaries,
Vt ſi quando, leues ueluti mihi miſſa per auras,
In thalamum penetret candida nympha meum,
Non ſaltem aſpiciam (ſi plura licere negetur)
Quaq; licet meinet candidus inſinuem.
Vt miſerum eſt non poſſe loqui? nam cuncta fatetur,
Qui ſermonis inops nulla negare poteſt.
Nunc mihi ſermonis quia non eſt copia Galli,
Quæ ſola eſt dominæ patria lingua meæ.
Omnibus abſoluar, non excuſabimur uni,
Iudice qua, cauſa ſtatq; caditq; mea.
Vulnus ab Aemonia qui quondam pertulit haſta,
Rurſus ab Aemonia eſt cuſpide nactus opem.
Dedecus hoc lepidæ quoniam peperere fabellæ,
Quum dominæ & mihi me ſurripuere tuæ:
Dedecus hoc lepidæ debent purgare fabellæ,
Meq; meæ dominæ conciliare tuæ.

VBR.

VERSVS SVMPTI EX ANTIMO-
ro Brixij, ad quos alludit epigram-
ma quod subiungitur.

Hæc mihi dictanti adstabant diræ auribus omnes,
Et furiæ infernis concita turba uadis.
Alecto, & sacris caput irretita colubris,
Tisiphone, & terrens ore Megæra truci.

MORVS.

Brixius audiuit postquam id reprehendere multos,
Quòd falsa tantum scriberet.
Corrigere ut possit uitiũ hoc, aliquid modò uisum est,
Verum quod esset, ædere:
Quod foret indubium, quod uerum nemo negaret,
Authore quanquam Brixio.
Vix reperit quicquam cui non tamen ipsius omnem
Fidem eleuaret uanitas.
Est ubi dispexit, mentemq; per omnia torsit
Deliberabundus diu:
Num tandem, omnes una quod uoce fatentur,
Omni esse uero uerius,
Inuenit, & scribit lepidum lepidissimus omnes
Cingere caput sibi furias.

IN CHORDIGERAM NAVEM ET
Antimorum syluam Germani
Brixij Galli.

Brixius en Germanus habet syluamq; ratemq;,
Diues opum terra, diues opum pelago.
Intraq; uis illi quid præstat scire? uehuntur
In rate stultitiæ, syluam habitant furiæ.

IN

IN HVNC HENDECASYLLABVM, imò tredecim ſyllabarum uerſum Germani Brixiĩ Galli, ex Antimoro ſumptum:

Excuſsiſſe, hominumq; in ora protuliſſe.

MORVS.

Quòd uerſus adeò faceres enormiter amplos,
Quùm nemo antiquus, nemo poeta nouus:
Sæpe diu mecum miratus quærere cœpi,
Accidit hoc Brixi qua ratione tibi?
At tandem didici, metiri te tua ſuetum
Non numero aut pedibus carmina, ſed cubitis.

IN IDEM.

Carmina Germani quòd in hendecaſyllaba lector
Syllaba coniecta eſt terna ſuper decimam,
Da ueniam: haud didicit tantum numerare, ut ab uno
Ordine perueniat rectus ad undecimum.
Nolo mihi numeret ſtellas, aut æquoris undas,
Criminaúe (hoc plus eſt) carminis ipſe ſui.
Pergama ſi numeret quot ſunt obſeſſa per annos,
Si poterit Muſas dinumerare nouem,
Octo pedes cancri, ſeptena uel hoſtia Nili,
Faſtorumúe libros qui tibi Naſo manent.
Si numeret cœli plagas, Phœbiúe caballos,
Tres numeret furias, ter tribus ipſe furens.
Ipſe ſuos (ſed ne certem ſine pignore, dura
Si uincar uinci conditione uolo:)
Ipſe ſuos oculos (quum ſint duo) ſi numerarit,
Vnum ego tunc patiar perterebretis ei.

FINIS.

ORNATIS-
SIMO DOCTIS=
SIMO QVE VIRO THOMAE RV
thalo, regio apud Anglos Secretario,
Thomas Morus
S. P. D.

SI quisquam fuit unquam, uir doctissime, qui Horatianum præceptum impleuerit, uoluptatemq; cum utilitate coniunxerit, hoc ego certè Lucianũ in primis puto præstitisse. Qui & supercilioſis abstinens Philosophorum præceptis, & solutioribus Poetarum lusibus, honestissimis simul & facetissimis salibus, uitia ubiq; notat atq; insectatur mortalium. Idq; facit, tam scitè, tantaq; cum fruge, ut quum nemo altius pungat, nemo tamen sit, qui non æquo animo illius aculeos admittat. Quod quum nunquam nõ egregiè faciat, feciſse tamen mihi singulari quodam modo uidetur in tribus his Dialogis, quos ob idipsum è tanto festiuissimorum numero potissimum delegi, quos uerterem, alijs tamen alios fortasse longè prælaturis. Nam ut è uirginibus non eandem omnes, sed alius alia, pro suo cuiusq; animo præfert, deamatq;, non quam præcipuam tutò possit asserere, sed quæ sibi uideatur: ita è lepidissimis Luciani dialogis, alius alium

præoptat,mihi certè isti præcipuè placuerunt, neq; te merè tamen (uti spero) neq; soli. Nam ut à breuissimo incipiam, qui Cynicus inscribitur, quiq; posse uideatur ipsa breuitate contemni, nisi nos Horatius admoneret,sæpe etiam in exiguo corpore uires esse præstantiores:ipsiq; minimas etiam gemmas esse uideremus in precio.In eius ergo delectu honorifico calculo mecum suffragatus est diuus Ioannes Chrysostomus, uir acerrimi iudicij,doctorum fermè omnium Christianissimus,& Christianorum (ut ego certè puto)doctissimus,quem usq;adeò Dialogus hic delectabat, ut bonam eius partem in Homiliam quandam quam in Ioannis euangelium commentatus est,inseruerit.Neque id immeritò. Quid enim placere uiro graui, uereq; Christiano debuit,quàm is dialogus,in quo dum aspera,paruoq; contenta Cynicorum uita defenditur,mollis atq; eneruata delicatorum hominum luxuria reprehenditur?Nec non eâdem opera, Christianæ uitæ simplicitas,temperantia,frugalitas,deniq; arcta illa atque angusta uia,quæ ducit ad uitam,laudatur.Iam Necromantia(nam hic secundo dialogo titulus est)non satis auspicato uocabulo, sed materia tamen fœliciſsima, quàm salsè taxat,uel Magorum præstigias, uel inania Poetarum figmenta,uel incertas quauis de re philosorum inter se digladiationes? Supereſt Philopseudes, qui nõ sine Socratica ironia,totus uersatur(id quod titulus ipse declarat)in ridenda,coarguendaq; mentiendi libidine:dialogus nescio certè lepidior'ne, an utilior.In quo non ualde me mouet, quod eius animi fuisse uideatur,

uideatur, ut non satis immortalitati suæ cõfideret, atq; in eo fuisse errore, quo Democritus, Lucretius, Plinius, plurimiq; itidem alij. Quid enim mea refert quid sentiat his de rebus ethnicus, quæ in præcipuis habentur fidei Christianæ mysterijs? Hunc certè fructũ nobis afferet iste dialogus, ut neq; Magicis habeamus præstigijs fidem, & superstitione careamus, quæ passim sub specie religionis obrepit, tum uitam ut agamus minus anxiam, minus uidelicet expauescentes tristia quæpiã ac superstitiosa mẽdacia, quæ plerunq; tanta cum fide atq; autoritate narrantur, ut beatissimo etiã patri Augustino, uiro grauissimo, hostiq; mendaciorum acerrimo, nescio quis nam ueterator persuaserit, ut fabulam illam de duobus Spurinis, altero in uitam redeunte, altero decedente, tanquam rem suo ipsius tempore gestã pro uera narraret, quam Lucianus in hoc dialogo, mutatis tantum nominibus, tot annis antequam Augustinus nasceretur, irrisit. Quo minus mireris, si pinguioris uulgi mentes suis figmentis afficiãt ij, qui se tum demum rem magnã confeciſſe putant, Christumq; sibi deuinxisse perpetuò, si cõmenti fuerint, aut de sancto aliquo uiro fabulã, aut de inferis tragœdiã, ad quam uetula quæpiã aut delira lachrymetur, aut pauida inhorrescat. Itaq; nullã ferè martyris, nullam uirginis uitam prætermiserunt, in quam non aliquid huiusmodi mendaciorum inseruerint, piè scilicet: alioqui enim periculum erat, ne ueritas nõ posset sibi ipsa sufficere, nisi fulciretur mendacijs. Nec ueriti sunt eam religionem commaculare figmentis, quam ipsa ueritas instituit, & in

nuda uoluit ueritate consistere, nec uiderunt usquea-deò nihil istiusmodi fabulas cõducere, ut nihil pernicio-sius officiat. Nempe *(ut memoratus pater Augustinus testatur) ubi admixtum subolet mendacium, ueritatis ilicò minuitur ac labefactatur autoritas.* Vnde *sæpe mihi suspicio suboritur, magnam huiusmodi fabularum partem, à uafris ac pessimis quibusdam nebulonibus, hæreticisq; confictam, quibus studium fuit, partim ex incauta, simplicium potius, quàm prudentium credu-litate uoluptatem capere, partim fabularum fictarum commercio, fidem ueris Christianorum historijs adime-re: quippe qui frequenter quædã, his quæ in sacra scri-ptura continentur, tam uicina confingunt, ut facile se declarent, adludendo lusisse. Quamobrem quas scri-ptura nobis historias diuinitùs inspirata commendat, eis indubitata fides habenda est. Cæteras uerò ad Chri-sti doctrinam, tanquam ad Critolai regulam, applican-tes cautè & cum iudicio, aut recipiamus, aut respua-mus, si carere uolumus & inani fiducia, & superstitio-sa formidine. Sed quò progredior? epistola ferè iam li-brum superat: nec interim tamen uerbum de tuis laudi-bus ullum, in quas alius fortasse totus incubuisset: quas-rumq; citra ullam adulandi suspicionem uberrimam mihi materiam præbuissent (ut cæteras uirtutes tuas omittam) uel egregia doctrina tua, summaq; in rebus agendis prudentia: quam tot in diuersis nationibus, in tam arduis negocijs, tam fœliciter actæ legationes de-clarant: uel singularis fides, grauitasq;, quam nisi satis perspectam, exploratamq; habuisset, nunquam te pru-dentissi-*

dentißimus princeps ſibi à ſecretis eſſe uoluiſſet. Sed cæterarum uirtutum tuarum prædicationi unica modeſtia tua reluctatur: quæ faciat, ut quum laudãda tam libenter facias, feciſſe te tamen non libenter audias. Parco igitur pudori tuo: hoc unum duntaxat abs te precatus: ut has in Græcis literis ſtudij mei primitias æquo animo ſuſcipias, ſinasq; ut qualecunq; apud te ſint amoris officijq; in te mei monumentum. quas tibi ſim auſus eo maiori fiducia committere, quod & ſi tam acre tibi iudicium ſit, ut quicquid erratum fuerit, nemo penetrantius uideat: is tamen eſt ingenij tui candor, ut nemo libentius conniueat. Vale.

LVCIANI CYNICVS, THO. MORO INTERP.

Lucianus & Cynicus.

QVID tu tandem? barbam quidem habes, & comam, tunicam non habes, nudusq; conſpiceris, ac ſine calceis, delecta nimirum uaga, inhumanaq; ac ferali uita: tum proprio corpore contrà quàm faciunt cæteri, ſemper uſus incommodè, nunc huc, nunc illuc circuis: in arido præterea ſolo cubans, adeò ut plurimum etiam ſordium, tritum iſthoc pallium referat, alioqui nec ipſum uel tenui filo, uel molle, uel florulentum. CYN. Neq; enim indigeo: ſi quid eſt huiuſmodi, ut comparetur facilimè, dominoq;

minimum exhibeat negocij, id inquam mihi ſufficit. At tu per Deos dic mihi, putas ne eſſe in luxu uitium?
LVC. *Imò admodum.* CYN. *Contrà in frugalitate uirtutem?* LVC. *Admodum.* CYN. *Cur igitur tandē quum me uideas uiuentē frugalius quàm uulgo faciunt homines, eos uerò ſumptuoſius, me, non illos arguis?*
LVC. *Quia nō frugalius per Iouem uideris mihi, ſed egentius uiuere, imò uitam omnimo egenam atq; inopem. Nam tu nihil à mendicis differs, qui cibum mendicant in diem.* CYN. *Vis ergo uideamus (quandoquidem huc proceſſit oratio) quid nam inopia ſit, quidq; rurſus copia?* LVC. *Si tibi quidē ita uidetur.* CYN. *Nunquid ergo ſatis id cuiq; eſt, quicquid ipſius explet neceſſitatem? an aliud quippiam dicis?* LVC. *Eſto iſtud.* CYN. *Indigentia uerò quicquid cuiuſquam uſui deeſt, nec eò, quò ſit neceſſe, peruenit?* LVC. *Scilicet.* CYN. *Nihil igitur meis in rebus deeſt. Nihil enim in his eſt, quod neceſſitatem non expleat meam.* LVC. *Quo pacto illud ais?* CYN. *Scies ſi conſideres in quē uſum eorum quodq; paratum eſt, quorū egemus, ut domus, an non tegumēti gratia?* LVC. *Maximè.* CYN. *Quid ueſtis, cuius gratia? nónne tegumenti etiam ipſa?*
LVC. *Sanè.* CYN. *At ipſo per deos tegumento, cuius rei gratia indiguerimus, nónne ut melius ſe habeat id quod tegitur?* LVC. *Mihi quidem ſic uidetur.* CYN. *Vtrum igitur tibi peius ſe habere hi uidentur pedes?* LVC. *Neſcio.* CYN. *Atqui hoc pacto didiceris: quod nam pedum officium eſt?* LVC. *Ingredi.* CYN. *An deterius ergo ingredi pedes tibi uidentur*

mei,

mei, quàm aliorum? LVC. Istud uerò fortasse non. CYN. At non possent, seu sese melius seu deterius haberent, officium suũ præstare? LVC. Fortasse. CYN. Pedibus ergo nihil peius affectus uideor, quàm alijs? LVC. Non uideris. CYN. Quid corpus uerò meum? Num deterius quàm reliquorum? Nempe si deterius se haberet, esset idẽ imbecillius: corporis quippe uirtus robur est. An meum ergo debilius? LVC. Nõ uidetur. CYN. Neq; pedes ergo tegumento uidentur egere, neque reliquum corpus. Quippe si egerent, malè haberent. Egestas etenim omnino mala, ac peius habere se facit, ea quibuscunq; adfuerit. At ne ali quidẽ deterius corpus uidetur meum, quod quibuslibet cibis alitur. LVC. Manifestũ est id quidẽ. CYN. Nam nec uegetũ esset, robustumq; si aleretur malè. Mala siquidẽ alimẽta corpus tabefaciunt. LVC. Ista quidẽ ita se habent. CYN. Quo pacto igitur, dic mihi, his ita se habentibus, me arguis, uitamq; improbas meã, ac miserã prædicas? LVC. Ideo per Iouem, quòd quũ natura (quam tu colis) ac superi terram in cõmuni statuerint, ex ea multa nimirum ac bona ediderint, ut nobis omnia superessent abundè, non in necessitatẽ modò, uerũ in uoluptatẽ quoq;: tu tamen horũ omniũ aut maximæ saltem partis expers es, nec eorũ quoquam frueris nihilo certè magis, quàm feræ. Nempe aquam bibis, quam etiam bibunt feræ. Comedis uerò quicquid offenderis, quẽadmodum canes, tum cubile nihilo melius canibus habes: quandoquidem gramen tibi sufficit, quemadmodum & illis: pallium præterea circunfers nihilo mendi

co decentius. Quanquam si tu his contentus rectè sapis, tum Deus profectò neutiquam rectè fecit, primum quòd oues effecit pingues, deinde uites dulcis uini feraces, ac reliquum deinde apparatum uarietate mirabilem, & oleum, & mel, & reliqua, omnia ut nos haberemus, edulia quidem omnigena haberemus, potũ dulcem haberemus, pecunias haberemus, mollem lectum haberemus. Præterea pulchras domos, ac reliqua demum omnia mirum in modum præparata. Nam & ipsa quoq; artium effecta deorum dona sunt. At uiuere omnibus huiusce bonis priuatum, id fuerit profectò miserum, etiam si ab alio quopiam priueris: quemadmodum hi qui seruantur in uinculis: longè uerò miserius, si quis ipse sese omnibus bonis priuet. Nam ea demum manifesta insania est. CYN. Et rectè quidem fortasse dicis. Verùm istuc dic mihi: Si quis diuite quopiam alacriter atq; humanè, quin prolixè quoq; exhibente conuiuium, tum hospites excipiente, & multos simul, & omnigenos, alios quidem imbecillos, alios autem robustos, deinde apponente multa atq; omnigena: si quis inquam, omnia corripiat, omniaq; deglutiat, non ea tantum quæ uicina sunt, sed ea quoq; quæ procul absunt, præparata uidelicet inualidis, ipse tamen ualens, quum unum duntaxat uentrem habeat, nec multis ut nutriatur indigeat, diutius tamen quàm alij multi immoretur, hic uir cuiusmodi tibi uidetur esse? probúsne? LVC. Non mihi quidem. CYN. Quid uerò, num temperans? LVC. Ne id quidem. CYN. Quid uerò si quis eiusdem mensæ particeps, multa illa ac uaria ne

glegat,

glegat, uno quopiam ex his quæ proximè apponũtur, electo, quum ſatis, in ſuam habeat neceſsitatẽ, id decenter edat, eoq; ſolo utatur, cætera illa ne reſpiciat quidẽ: an nõ hunc temperantiorẽ & meliorem uirum illo putabis? LVC. Ego certè. CYN. Vtrũ ergo iam intelligis, an me oportet dicere? LVC. Quid nam? CYN. Quod Deus illi quidẽ pulchrè conuiuiũ inſtruenti ſimilis eſt, ut qui appoſuerit multa ac uaria, atque omnigena, uti eſſent quæ cuiq; cõueniant, alia quippe ualentibus, alia rurſus ægrotãtibus, atq; alia quidẽ robuſtis, alia uerò imualidis: nõ ut omnibus utamur omnes, ſed ut his utantur ſinguli, quæ ſuæ cuiuſq; naturæ cõueniunt, & ex his ipſis, quacunq; re maximè quenq; indigere contigerit. At uos illum qui per inſatiabilitatem atq; incõtinentiam omnia corripit, refertis, ut qui rebus uti uelitis omnibus, & undecunq; partis, nõ ſolis contenti præſentibus, exiſtimantes propriam quidem neq; terram, neq; mare ſufficere, ſed importantes ab ipſis uſq; terræ finibus uoluptates, patrijsq; reb. peregrina præferentes, ſumptuoſaq; frugalibus, atq; ea quæ difficile cõparantur his quæ ſunt comparatu facilia: in ſumma, deniq; moleſtias, malaq; potius eligentes, quàm abſque moleſtijs uiuere. At iſti quidẽ, plurimi ac precioſi, beatiq; apparatus, quibus exultatis, per magnã ad uos miſeriã, ærumnamq; perueniũt. Aurũ ipſum tã optabile, ſi libet, argentumq; conſidera: domus cõſidera ſumptuoſas, ueſtes operoſas conſidera: atq; eius generis omnia, quanto negocio emuntur, quot laboribus, periculis: imò ſanguine, ac cæde, quandoq; hominũ interitu:

non ideo ſolum quòd dum nauigant, propter iſta pereunt complures: ac dũ quærunt, parantq;, grauia perferunt: ſed ob id quoq; quòd digladiationes multas pariunt, quodq; ob ea inſidiantur inuicem et amicis amici, & parentibus liberi, & maritis coniuges. Sic opinor Eriphylem quoq; auri gratia prodidiſſe maritũ. Atq; hæc quidem omnia fiunt, quum tamen ueſtes illæ uariæ nihilo magis quicquam queant caleſacere, auratæq; illa ædificia nihilo prorſus magis tegãt, nec pocula illa argentea potui quicquã magis conducant. Sed nec aurei illi, nec eburnei itẽ lectuli, ſomnũ ſuauiorem præbeant, imò uidebis frequẽter in eburneo lecto, ſumptuoſisq; ſtromatibus, beatis illis ſomnum contingere non poſſe. Præterea omnigenæ illæ circa edulia curæ, nihilo magis alunt, quin tabeſaciũt potius corpora, ijſdemq; morbos ingenerant. Quid autem dicere attinet, libidinis gratia quãtas moleſtias mortales & faciũt, & patiuntur? quanquam facile eſt iſti cupiditati mederi, niſi quis uelit indulgere delitijs. At ne hæc quidem inſania corruptelaq; ſufficere uidetur mortalibus, ſed iam rerum etiam uſum peruertunt, ſingulis rebus ad id utentes, ad quod minimè paratæ ſunt, quemadmodũ lecto ſi quis uti carpenti loco uelit, ac tanquam curru. LVC. Quis nã is eſt? CYN. Vos, inquã, qui hominibus tanquã iumentis utimini. Nam eos iubetis, ut lecticas, tanquam currus in ceruicibus ferant. Ipſi uerò in ſublimi reſidetis delicati, atq; illinc homines perinde tanquam aſinos aurigamini, imperãtes ut hac, non illac eant, & qui hæc facitis maximè, ijdem maximè beati uidemini.

Tum

Tum hi qui piſcium carnibus non tantum ut alimentis utuntur, uerùm tincturas etiam quaſdam ex his machinantur: eos dico, qui purpuram tingunt, non ne & hi præter naturã his utuntur, quæ à Deo præparata ſunt? LVC. *Non per Iouẽ, ſiquidẽ tingere etiã poteſt, non comedi tantũ purpuræ caro.* CYN. *At nõ in id tamẽ nata eſt. Nam & cratere quiſpiam, ſi præter naturam detorqueat, ollæ loco poſſet uti, nec in id tamẽ paratus erat. Sed quo pacto poſſet quiſpiam uniuerſam illorũ infelicitatem percurrere, quæ tanta eſt? At tu me quoq; quòd nolo eius eſſe particeps, incuſas. Viuo ego tamen quemadmodũ modeſtus ille, his uidelicet dũtaxat, quæ mihi apponuntur ueſcẽs, ac frugaliſſimis utens: uarijs uerò illis atq; omnigenis minimè inhians. Ac deinde quum paucis egeam, ac minimè multis utar, ferinã tibi uideor uitam uiuere. Atqui hac ratione tua Dij profectò in periculũ ueniunt, ne & ipſi ſint feris etiã deteriores, quippe qui rei nullius indigent. Verũ ut exactius intelligas, cuiuſmodi horum utrũq; ſit, uel paucis uidelicet egere, uel multis, cõſidera quòd pluribus egẽt, primũ pueri quàm adulti, deinde mulieres quàm uiri, tum ægroti quàm ualentes: atq; omnino in ſumma, inferiora quælibet præſtãtioribus plurimũ indigent: proinde Dij omnino nullius egẽt rei, qui uerò ad Deos accedũt proximè quàm minimis egẽt. An Herculẽ putas omniũ hominũ præſtantiſſimum, quippe diuinũ uirum, deũq; rectè creditũ, miſerum tunc fuiſſe, quũ circuiret nudus, pelle duntaxat indutus, harũ rerum noſtrarũ nihil deſiderans? At ille miſer profectò nõ erat, quippe qui miſeriam*

ſeriã ab alijs propulſabat: neq; rurſus pauper, qui terra, mariq; dominabatur. Nempe quocunq; intendiſſet impetũ, omnes quaquauerſum ſuperabat, nec in quenquã ſui tẽporis incidit, qui ſe uel æquarit unquã, uel uicerit, quoad ex humanis exceſsit. At tu illi ſtromata putas, calceosq; defuiſſe, ob id mundũ obambulaſſe tantũ uirum? Dicendum profectò non eſt. Sed continens erat ac fortis, & moderatè uiuere uolebat, nõ indulgere delitijs. Quid Theſeus eius diſcipulus? An non rex erat Athenienſium omnium, ac filius etiã, ut ferunt, Neptuni, ſua certè tempeſtate fortiſsimus? Attamen ille quoq; uoluit ſine calceis eſſe, ac nudus ingredi, barbamq; & comam nutrire placuit ei, nec ei tamen ſolum, ſed omnibus etiã ueteribus placuit, nempe meliores erant quàm nos: atq; adeò ne ſuſtinuiſſet quidem eorum quiſquam aliquid huiuſmodi, nihilo profectò magis quàm leo quiſpiam ſeſe tonderi. Siquidem carnis mollitiem ac læuorem decere mulieres exiſtimabant, ipſi uerò ſicuti erant, ita uideri quoq; uiri uolebant: ac barbam quidem cultum uiri ducebant, quemadmodum in equis iubã, in leonibus barbam, quibus Deus ſplendoris quãdam atq; ornamenti uenuſtatem dedit, ſic & uiris barbam adiunxit. Illos igitur ego æmulor, ueteres, inquam, illos imitari uolo: huius uerò tempeſtatis homines non æmulor mirabilis huius felicitatis nomine, quã in epulis & ueſtibus habent, dum poliunt ac læuigant ſingulas corporis partes, ac ne ſecretiorum quidem ullam, ita ut inſtituit natura, dimittentes. At mihi certè pedes opto, ut nihil equinis differant, quales Chironis fuiſſe ferunt.

ferunt. Tum ut ipse stromatis nõ egeam more leonum, nec cibo egeam magis exquisito, quàm canes. Contingat præterea mihi, ut terra quæuis mihi per se pro cubili sufficiat. Domum uerò ut mundum hunc existimẽ. Alimenta demum ut ea delegam, quæ facilimè comparári possint. Aurum uerò argentumq; ne desiderem unquam, neq; ego, neq; meorum amicorum quisquã. Omnia nanq; mala inter homines ex horum cupiditate nascuntur, & seditiones, & bella, & insidiæ, & cædes. Hæc omnia fontem habent plus habendi cupidinẽ. At hæc à nobis abscedat procul, ne unquam plus satis appetam: minus uerò quum habeã, ferre æquo animo ualeam. Nostra quidẽ ita se habent. Plurimum profectò à uulgi sententijs ista dissentiũt. Neq; quicquã ergo mirãdum est, si ab his differimus habitu, à quibus tantũ differimus instituto. Sed te demiror, quo nã pacto quum suã quandã citharœdo uestẽ tribuas, cultũq;, atq; adeò tibicini suũ, & tragœdo suũ, bono uiro cultũ uestemq; propriã nullam existimas, sed eandẽ ei cũ uulgo habẽdam cẽses, idq; quum uulgus malũ sit. Quòd si bonorũ cultus proprius debet esse ullus, qui nam deceat magis quàm hic meus, qui maximè luxurioſis pudendus sit, quemq; illi maximè auersentur? Cultus ergo meus huiusmodi est, squalidum esse, hirsutum esse, tritum palliũ indui, comam producere, ac sine calceis ingredi. Vester uero cinædorum ornatui similimus est, nec dignoscere uos quisquam ab illis possit, neq; colore uestium, neq; mollicie, neq; camisiarum numero, neq; lacernis, neq; calceis, neq; capillorum cura, neq; odore. Nã & redoletis

letis ut illi,iã præſertim uos qui eſtis fœliciſſimi. Et quidem quid facias, quũ uir eundem cum cinædis odorem oleat? Etenim in ferendis laboribus nihil illis præſtatis. Voluptatibus uerò nihilominus quàm illi ſuperamini, eadem comeditis,eodem modo dormitis,atq; inceditis, imò uerò incedere non uultis,ſed geſtari potius, tãquã ſarcinæ,alij ab hominibus, alij uero à iumentis. At me pedes ipſi geſtant quocunq; ſit opus. Egoq; & frigus tolerare ſufficio, & calorem pati, eaq; quæ dij obtulerint, minimè moleſtè ferre, ideo uidelicet, quia miſer ſum. Vos uerò propter hanc fœlicitatem nulla eſtis fortuna contenti,ſed omniũ pœnitet,ac præſentia ferre nõ poteſtis, abſentia deſideratis, hyeme quidem optantes æſtatem,æſtate rurſus hyemem,atq; in calore frigus,in frigore uiciſſim calorem: quemadmodum ægrotantes, moroſi ſemper & queruli, quod in illis quidem facit morbus,in uobis uerò mores. Atq; hæc ita quum ſint, iam nos in uitam ueſtram traducere æquũ cenſetis,noſtramq; corrumpere.quum ſæpe malè cõſulta ſint,quæ facitis, ipſiq; ſitis in ueſtris ipſorum negocijs minimè circunſpecti,nihilq; eorum iudicio ac ratione, ſed conſuetudine cupiditatis faciatis. Quamobrem nihil profectò differtis uos,ab his qui torrente ferũtur. Illi quippe quocunq; fluxus intenderit,eò rapiuntur:& uos itidem,quocunq; libidines. At ſimiliter quidem uobiſcum agitur, ut cum quodam qui equum inſanum aſcenderat. Equus igitur uirum corripiens abſtulit. Hic uerò amplius iam deſilire equo currente non poterat. Quidam uerò quum occurriſſet ei,rogauit quó nam tenderet?

ret? Hic respondit, quocunq; huic uidetur, equum demonstrans. Quòd si uos quisquam roget, quò feramini, si uerum uultis dicere, dicetis in uniuersum quidem: quocunq; uideatur affectibus, sigillatim uerò, interdũ quocunq; uoluptati, interdum quocunq; ambitioni, interdum rursus quò lucri studio. Quin interdum ira, interdum metus, interdũ aliud quippiam huiusmodi uos auferre uidetur. Neq; enim unum duntaxat equũ uos, sed multos insilientes, nunc hunc, nũc illũ, furiosos quidem omnes auehimini. Auferũt ergo uos in barathrũ, ac prærupta. Vos tamen priusquam cadatis, casuros uos esse nescitis. at hoc detritum pallium quod uos ridetis, comaq; habitusq; meus tantam habet uim, ut uitam mihi quietam præbeat, utq; agam quicquid uolo, uersorq; cum quibus uolo. Nempe ex indoctis, atq; ineruditis hominibus, nemo me adire uoluerit, ob hunc habitum. At molles etiam qui sunt adhuc admodum procul declinant. Congrediuntur uerò scitissimi atque modestissimi, & qui uirtutem cupiunt, hi potissimùm congrediuntur mecum, horum ego consuetudine delector. Eorum uerò fores qui homines uocantur, non obseruo, tum coronas aureas ac purpuram pro fastu habeo, atq; homines ipsos derideo. At ut cultum hunc intelligas, nũ bonos modò uiros, sed ipsos etiam Deos decere, atque eum deinde, si libet, irrideas, deorum statuas considera, utri uideãtur uobis ne, an mihi similiores: neq; Græcorum solum, sed barbarorum etiam templa circumspicias, utrũ ipsi dij, ut ego, comati barbatiq; sunt, an quemadmodum uos, rasi finguntur, atque pingun-

tur.

tur. Quin plurimos etiam ſine tunicis conſpicies, ut me nunc eſſe uides. Quo pacto igitur audeas poſthac hũc habitum uitio dare, quum deos etiam decere uideatur.

MENIPPVS SIVE NECROMANTIA LVCIANI, Thoma Moro interprete.

MENIPPVS. PHILONIDES.

SALVE *atriũ, domuſq; ueſtibulũ meæ: ut te lubẽs aſpicio luci redditus.* PHIL. *Num nam hic Menippus eſt, canis ille? Non hercle alius, niſi ego fortè ad Menippos omneis hallucinor. At quid ſibi uult habitus huius inſolẽtia? claua, lyra, leonis exuuiæ? Adeundus tamen eſt. Salue Menippe. Vnde nobis aduenisti? diu eſt quod in urbe non uidimus.* MENIP.

Adſum reuerſus mortuorum è latibulis,
Foribusq; triſtium tenebrarum nigris:
Manes ubi inferi manent ſuperis procul.

PHIL. *O Hercules, clam nobis Menippus uita functus eſt, reuixitq; denuo?* MENIP.

Non, ſed me adhuc uiuum recepit tartarus.

PHIL. *Quæ nam cauſa tibi fuit nouæ huius atq; incredibilis uiæ?* MENIP.

Iuuenta me incitauit, atq; audacia,
Quàm pro iuuenta haud paululum impotentior.

PHIL. *Siſte ô beate Tragica, & ab iãbis deſcendens*

ſic

sic potius simpliciter eloquere, quæ nã hæc uestis, quæ causa tibi itineris inferni fuit, quum alioqui neq; iucunda, neq; delectabilis sit uia? MENIP.

Res dilecte grauis me infernas egit ad umbras,
Consulerem manes ut uatis Tiresiai.

PHIL. *Atqui deliras, alioqui non hoc pacto caneres apud amicos cõsarcinatis uersibus.* MENIP. *Ne mireris amice. nuper enim cũ Euripide atq; Homero uersatus, nescio quo pacto uersibus sic impletus sum, ut numeri mihi in os sua sponte cõfluant. Verũ dic mihi quo pacto res humanæ hic se habent in terris? & quid nam in urbe agitur?* PHIL. *Nihil noui. Sed quẽadmodum prius actitabant, rapiunt, peierant, fœnerãtur, usuras colligunt.* MENIP. *O miseri atq; infelices. Nesciunt enim, qualia de nostris rebus nuper apud inferos decreta sunt, qualesq; sorte iacti sunt in diuites istos calculi, quos p Cerberũ nullo pacto poterũt effugere.* PHIL. *Quid ais? Noui ne aliquid apud inferos nostris de rebus decretum est?* MENIP. *Per Iouem, & quidem multa, uerùm prodere non licet, neq; arcana quæ sunt reuelare, ne quis fortè nos apud Rhadamanthum impietatis accuset.* PHIL. *Nequaquam Menippe per Iouem, ne amico sermonem hunc inuideas. Nam apud hominem tacendi gnarum, & initiatum præterea sacris edisseres.* MENIP. *Dura profectò iubes, & neutiquam tuta, uerùm tui gratia tamen audendum est. Decretum est ergo, diuites istos ac pecuniosos aurum tanquam Danaen seruantes abstrusum.* PHIL. *Ne prius ô beate quæ sunt decreta dixeris, quàm ea*

percurras omnia quæ abs te audire libentißimè uelim: quæ uidelicet descensus causa fuerit, quis itineris dux: deinde ex ordine, & quæ illic uideris, & quæ audieris omnia. Verisimile est enim te, quũ res pulchras uidendi curiosus sis, eorum quæ uisu aut auditu digna uidebantur nihil omnino prætermisisse. MEN. Parendum etiam in his tibi est. Nam quid facias, urgente amico? Ac primum sanè tibi expediam, quæ res animum meũ ad hunc descensum impulerit. Ego igitur quum adhuc puer essem, audiremq; Homerum atq; Hesiodum, seditiones ac bella canentes, nõ semideorũ modò, sed ipsorum etiam deorum, adulteria quoq;, uiolentias, rapinas, supplicia, patrum expulsiones, & fratrum & sororum nuptias: hæc meherclè omnia bona pulchraq; putabam, & studiosè erga ea afficiebar. Postquam uerò in uirilem iam ætatem peruenirem, hic leges rursus iubentes audio poetis apprimè contraria, neq; uidelicet adulteria committere, neq; seditiones mouere, neq; rapinas exercere. Hic igitur hæsitabundus constiti, incertus omnino quo me pacto gererem. Neq; enim deos unquam putaui mœchaturos, aut seditiones inuicem fuisse moturos, nisi de his rebus perinde ac bonis iudicassent. Neq; rursus legumlatores his aduersa iussuros, nisi id conducere existimarent. Quoniam igitur in dubio eram, uisum est mihi philosophos istos adire, atq; his me in manus dedere, rogareq; uti me utcunq; liberet uterentur, uitæq; uiam aliquam simplicem ac certam ostenderent. Hæc igitur mecum reputans ad eos uenio, imprudens profectò, quod me ex fumo (ut aiũt)

in flammam conijcerem. Apud enim hos maximè diligenter obseruans summam repperi ignorantiam, omniáq; magis incerta, adeò ut præ his ilicò mihi uel idiotarum uita iam aurea uideretur. Alius etenim soli me iußit uoluptati studere, atque ad eum scopum uniuersum uitæ cursum dirigere. In eo ipsam sitam esse felicitatem. Alius rursus omnino laborare, corpusq; siti, uigilijs, ac squalore subigere, miserè semper adfectum, contumelijsq; obnoxium aßiduè, Hesiodi sedulò inculcans celebria illa de uirtute carmina, & sudorem uidelicet, & accliuem in uerticem montis ascensum. Alius contemnere iubet pecunias, earumq; possessionem indifferentem putare. Alius contrà bonas ipsas etiam diuitias esse pronunciat. De mundo uerò quid dicam? de quo ideas, incorporeas substantias, atomos, & inane, ac talem quandam pugnantium inuicem nominum turbam in diem audiebam, & quod absurdorum omnium maximè fuit absurdum, de contrarijs unusquisque quum diceret, inuincibiles admodum rationes ac persuasibiles adferebat, ut nec ei qui calidum, nec ei qui frigidum idem prorsus esse contenderent, contrà quicquam hiscere potuerim, atque id, quum tamen manifestè cognoscerem fieri nunquam posse, ut eadem res calida simul frigidaq; sit. Prorsum igitur tale quiddam mihi accidebat, quale solet dormitantibus, ut interdum capite annuerem, interdum contrà abnuerem. Præterea quod multo erat istis absurdius, uitam eorum diligenter obseruans, comperi eam cũ ipsorum uerbis præceptisq; summopere pugnare. Eos enim qui spernendã

censebant pecuniam, auidissimè conspexi colligendis diuitijs inhiare, de fœnore litigantes, pro mercede docentes: omnia deniq; nummorum gratia tolerantes. Ii uerò qui gloriam uerbis aspernabantur, omnem uitæ suæ rationem in gloriam referebant. Voluptatẽ rursus omnes fermè palàm incessebant: clanculum uerò ad eam solã libenter confluebant. Ergo hac quoq; spe frustratus magis adhuc ægrè, molesteq; tuli. Aliquantulũ tamen inde memet consolabar, quòd unà cum multis & sapiẽtibus & celeberrimis uiris ipse insipiens q; essem, atq; uerè adhuc ignarus oberrarem. Peruigilanti mihi tandẽ, atque hisce de rebus mecũ cogitanti, uenit in mentem, ut Babylonem profectus magorum aliquẽ ex Zoroastri discipulis ac successoribus conuenirem. Audieram siquidem eos inferni portas carminibus quibusdam ac mysterijs aperire, et quem libuerit illuc tutò deducere, ac rursus inde reducere. Optimè ergo me facturum putaui, si cum horum quopiam de descensu pacisceṇs Tiresiam Bœotium consulerem, ab eoq; perdiscerẽ (quippe qui uates fuerit & sapiens) quæ uita sit optima, quamq; sapientissimus quisq; potissimum elegerit. Ac statim quidem exiliens quàm poteram celerrimè Babylonem uersus rectà contendi. Quò quũ uenio, diuersor apud Chaldæorum quendam hominem certè sapientẽ, atq; arte mirabilem, coma quidem canum, admodumq; promissa barba uenerabilem. Nomen autem illi fuit Mithrobarzanes: orans igitur obsecrãsq; uix exoraui, ut quauis mercede uellet, in illã me uiã deduceret. At tandem homo me suscipiens, primùm quidem dies nouem

ac uiginti cũ luna simul incipiens abluit ad Euphratẽ, mane solem orientem uersus perducens, ac sermonem quempiam longũ mussitans, quem non admodũ exaudiebam. Nam *(quod in certamine præcones inepti solent) uolubile quiddam atq; incertum proferebat, nisi quòd quosdam uisus est inuocare dæmones. Post illam igitur incantationem ter mihi in uultũ spuens deducit rursus, oculos nusquam in obuiũ quenquam deflectẽs. Et cibus quidem nobis glandes erãt, potus autem, lac, atq; mulsum, & Choaspi lympha, lectus uerò in herba sub dio fuit. At postquã iam præparati satis hac diæta sumus, medio noctis silentio ad Tigridem me fluuiũ ducens, purgauit simul atq; absterſit, faceq; lustrauit ac squilla, tũ pluribus itidẽ alijs, & magicũ simul illud carmen submurmurans, deinde totũ me iam incantans, ac ne à spectris læderer circumiens, reducit domum, ita ut eram reciprocantem: ac reliqua noctis parte nauigationi nos præparauimus. Ipse igitur magicam quandã uestem induit,* Medorũ uesti utplurimũ similẽ: *ac me quidem his quæ uides ornauit, claua uidelicet, ac leonis exuuijs, atq; insuper lyra. Iussit præterea ut nomen si quis me roget,* Menippum *quidem ne dicerem, sed* Herculem, Vlyssem, aut Orpheum. PHIL. *Quid ita ô Menippe? neq; enim causam aut habitus, aut nominis intelligo.* MEN. *Atqui perspicuũ id quidem est, ac neutiquam arcanũ. Nam hi qui ante nos ad inferos olim uiui descenderant, putauit si me his assimilaret, fore ut facilius Aeaci custodias fallerẽ, atq; nullo prohibẽte transirẽ, utpote notior tragico admodũ illo cultu emissus.*

Iam igitur dies apparuit, quũ nos ad flumen ingreßi in receſſum incũbimus. Parata ſiquidẽ ab illo fuerãt, cymba, ſacrificia, mulſa, & in id myſterium deniq; quibuſcunq; opus erat. Hæc poſtquam ergo quæ prompta erant impoſuimus, tum nos quoq;

Ingredimur triſtes, lachrymiſq; implemur obortis.

Atq; aliquantiſper quidem in fluuio ferimur: deinde in ſyluam delati ſumus, ac lacũ quendã in quem Euphrates conditur. Tum hoc quoq; tranſmiſſo, in regionem quandã peruenimus ſolã, ſyluoſam, atq; opacã, in quã deſcendentes (præibat enim Mithrobarzanes) & puteũ effodimus, & oues iugulamus, & foueã ſanguine conſpergimus. At magus interim accenſam facẽ tenens, haud amplius iam ſummiſſo murmure, ſed uoce quàm poterat maxima clamitans, dæmones ſimul omnes conuocat, Pœnas, Erinnes, Hecaten nocturnã, excelſamq; Proſerpinã, ſimulq; polyſyllaba quædã nomina barbara atq; ignota cõmiſcet. Statim ergo tremere omnia, & rimas ex carmine ſolũ ducere, ac porrò Cerberi latratus audiri, & iam res planè triſtis ac mœſta fuit.

Vmbrarum at timuit rex imis ſedibus Orcus.

Ac protinus quidẽ inferorum patebant pleraq;, lacus, pyriphlegethon, ac Plutonis regia. Tum per illũ deſcendẽtes hiatũ, Rhadamãthũ propemodũ metu reperimus extinctũ. Ac Cerberus primum quidem latrabat, cõmouitq; ſeſe. At quũ ego lyram celerrimè correptam pulſaſſem, cãtu ſtatim ſopitus obdormit: deinde poſteaquã ad lacũ uenimus, tranare ferè non licuit. Iã enim onuſtũ erat nauigium, & eiulatu certè plenum. Vulnerati

quippe

quippe in eo nauigabant omnes, hic femur, ille caput, alius alio quopiam membro luxatus, usqueadeò, ut mihi certè ex bello quopiam adesse uiderentur. At optimus Charon quũ leonis uideret exuuias, esse me ratus Herculẽ recepit, transq; uexit libens, tũ exeũtibus quoque nobis monstrauit semitã. Sed quoniã iam eramus in tenebris, præcedit quidẽ Mithrobarzanes, ego autẽ à tergo continuus illi comes adhæreo, quoad in pratum quoddam uenimus maximũ, asphodelo consitum, ubi circumfusæ undiq; mortuorũ stridulæ nos sequuntur umbræ. Tum paulo procedentes longius, ad ipsum Minois tribunal accessimus. Erat ipse quidem in solio fortè quodam sublimi sedẽs. Astabant autem illi Pœnæ, Tortores, mali Genij, Furiæ. Ex altera parte plurimi quidam adducti sunt, ex ordine longa fune uincti. Dicebantur autem adulteri, lenones, mœchi, homicidæ, adulatores, sycophãtæ, ac talis hominum turba quidnis in uita patrãtiũ. Seorsum aũt diuites ac fœneratores prodibant pallidi, uentricosi, ac podagrici, quorum quisq; trabe uinctus erat, ferri pondere duorũ talentorum impositò. Nos igitur astantes, & quæ fiunt omnia conspicimus, & quæ dicuntur auscultamus. Accusant aũt noui quidã atq; admirabiles rhetores. PHIL. Quí nam ergo hi per Iouem sunt? ac ne isthuc quidẽ te pigeat dicere. MEN. Vmbras ne unquã istas nosti, quas opposita soli reddunt corpora? PHIL. Quid ni? MEN. Hæ nos igitur quũ primũ functi uita sumus accusant, testãtur, atq; redarguũt, quicquid in uita peccauimus. & sanè quædã ex his dignæ admodũ fide uidẽtur, utpo

te nobiſcum uerſatæ ſemper, noſtriſq; nuſquã digreſſæ corporibus. Minos igitur curioſè quĕlibet examinans, impiorum relegabat in cœtũ, pœnas ibi ſceleribus ſuis dignas luiturũ. In hos præcipuè tamẽ incenditur, quos opes dũ uiuerent, ac dignitates inflauerant, quiq; adorari ſe ferè expectabant, nimirum breui perituram eorum ſuperbiam faſtumq; deteſtatus: quippe qui nõ meminiſſent mortales ipſi quum ſint, ſeſe bona quoq; mortalia conſequutos. At nunc ſplendida illa exuti omnia, diuitias inquã, genus, munia, nudi ac uultu demiſſo ſteterũt, tanquam ſomnium quoddam humanam hãc felicitatem recogitantes, adeò ut hæc dum conſpicarer nimis quàm delectatus fuerim. Et ſi quẽ eorũ fortè agnouerã, acceſſi, atq; in aurem ſilenter admonui, qualis in uita fuerat, quantopereq; fuerat inflatus: tum quũ plurimi mane fores eius obſidentes pulſi interim excluſiq; à famulis illius expectabant egreſſum. At ipſe uix tãdĕ illis exoriĕs puniceus, aureus, aut uerſicolor, felices ac beatos ſe facturũ ſalutãtes putabat, ſi pectus dextrã porrigens, permitteret oſculandã. Illi uerò audiĕtes iſta moleſtè ferebant. At Minos quiddam etiã iudicauit in gratiã. Quippe Dionyſium Siciliæ tyrannũ multis & atrocibus criminibus & à Dione accuſatum, & graui Stoicorũ teſtimonio conuictũ, Cyrenæus Ariſtippus interueniens (nã illũ ualde ſuſpiciunt inferi, eiusq; plurimum ibi ualet autoritas) fermè iã Chimæræ alligatum abſoluit à pœna, aſſerens illũ eruditorũ nonnullos olim iuuiſſe pecunia. Tũ nos à tribunali diſcedẽtes, ad ſupplicij locũ peruenimus. Vbi ô amice & multa, et miſerãda

audire

audire simul, ac spectare licuit. Nam simul & flagrorum sonus auditur, & eiulatus hominum in igne flagrantium, tum rotæ & tormentá, catenæ: Cerberus lacerat, & Chimæra dilaniat, cruciantúrq; pariter omnes, captiui, reges, præfecti, pauperes, mendici, diuites, & iam scelerum omnes pœnitebat. Et quosdam quidẽ eorum, dum intuemur, agnouimus, uidelicet qui nuper è uita discesserant. At hi se pudentes tũ occulebant, nostróq; subtrahebant aspectui, aut si nos aliquando respiciebant, id seruiliter admodum abiecteq; faciebant, atq; hi quidem quàm olim putas onerosi fastuosiq; in uita? At pauperibus malorum dimidiũ remittebatur, & quum interquieuissent, denuò repetebantur ad pœnam. Sed illa quoq; quæ fabulis feruntur aspexi, Ixionem, Sisyphum, Phrygiumq; grauiter affectum Tantalum, genitumq; terra Tityum, Dij boni, quantum? integrum stratus agrum occupabat. Hos tandem prætereuntes, in campum uenimus Acherusium, ubi semideos, heroidasq; reperimus, atq; aliam simul mortuorũ turbam in gentes, tribusq; dispositam, alios quidem uetulos quosdam ac marcidos, atq; (ut Homerus ait) euanidos, aliòs uerò iuueniles & integros, & hos potissimum ob illam cõdiendi efficaciam Aegyptios. Verùm dignoscere quemlibet haud procliue fuit, adeò nudatis ossibus omnes erant inuicem similimi, nisi quòd uix tandem eos diu intendentes agnouimus. Quippe conferti considebant obscuri atq; ignobiles, nullumq; seruantes amplius pristimæ formæ uestigium. Cum igitur multi simul ossei consisterent, inuicem omnino similes,

qui terrificum quiddam per cauos oculorũ orbes tran ſpicerent, dentesq; nudos oſtenderent, hæſitabam certè mecum, quonam ſigno Therſitem à Nireo illo formoſo diſcernerem, aut mendicum Irum à Phæacum rege, aut Pyrrhiam coquum ab Agamemnone. Quippe quibus iam nihil ueteris permanſit indicij, ſed oſſa fuerũt inter ſe ſimilia, incognibilia, nullis inſcripta titulis, nulliq; unquam dinoſcẽda. Hæc igitur ſpectanti mihi, perſimilis hominum uita pompæ cuipiam longæ uidebatur, cui præſit ac diſponat quæq; fortuna, ex his qui pompam agunt, diuerſos uariosq; cuiq; habitus accõmodans. Alium ſiquidem fortuna deligens, regijs ornat inſignibus, & tiaram imponens, & ſatellites addens, & caput diademate coronans. Alium ſerui rurſus ornatum induit, hunc formoſum effigiat, hunc deformem atq; deridiculum fingit: nam omnigenum, ut opinor, debet eſſe ſpectaculum. Quin habitus quorundam plerunq; in media quoq; pompa demutat, neque perpetuo eodẽ ſinit ordine, cultuq; progredi quò prodierant. Sed ornatu commutato Cræſum quidẽ coegit ſerui captiuiq; ueſtes induere. Mæandrium autẽ olim inter ſeruos incedentem, Polycratis uiciſſim ornat tyrannide. Et aliquantiſper quidem eo cultu permittit uti: ueràm ubi iam pompæ tempus præterijt, apparatũ quiſq; reſtituẽs, & cum corpore ſimul exutus amictu, qualis antè fuit efficitur, nihilo à uicino differens. Quidam tamen ob inſcitiam quum ſuos fortuna cultus exigit, ægrè ferunt atq; indignãtur, tanquam propriis quibuſdam bonis priuati, ac nõ potius alienis, quibus pau

liſper

lisper utebantur, exuti. Quin in scena quoq; uidisse te plerunq; puto histriones istos tragicos (ut fabulæ ratio poscit) modò Creontes, modò Priami fiunt, aut Agamẽnones. Idemq; (si fors tulerit) paulo antè tã graiter Cecropis aut Erichthei formam imitatus, paulo pòst seruus, poeta iubente, progreditur. At quum fabulæ iam finis affuerit, quisq; auratas illas uestes exutus, personam deponens, & ab altis illis crepidis descendens, pauper atq; humilis obambulat, haud amplius Agamemnon ille Atreo prognatus, aut Creon Menœcei filius, sed Polus filius Chariclei Suniensis, aut Satyrus filius Theogitonis Marathonius. Sic se mortalium res habent, quẽadmodũ mihi tum spectanti uidebatur: PHIL. Dic mihi Menippe, isti qui magnificos altosq; tumulos habent super terrã, & columnas, imagines, titulos, nihilóne sunt apud inferos plebeis quibuslibet umbris honoratiores? MEN. Nugaris tu quidẽ. nam si uidisses Mausolum, Carem illũ dico Pyramide celebrem, sat scio, nunquam ridere desijsses, ita in antrum quoddam abstrusum despectim abiectus est, in reliqua mortuorũ turba delitescens. Hoc tantum cõmodi mihi uidetur ex monumẽto referre, quod impositio tanto põdere, laborat magis & premitur. Nam quũ Aeacus ô amice, locũ cuiq; metitur, dat autẽ cui plurimum haud amplius pedem, necesse est eo iacére cõtentũ, seseq; ad loci modũ contrahere. At uehementius multo risisses, opinor, si reges hosce nostros, satrapasq; uidisses apud eos mendicãtes, & aut salsamẽta uendẽtes, aut primas ipsas literas urgente inopia profitentes, & quẽadmodum

dum contumelijs à quouis afficiantur, atq; in faciẽ cædantur perinde atq; uiliſsima mancipia. Itaq; Philippũ Macedonem conſpicatus, continere me certè non potui: oſtenſus eſt mihi in angulo quodam detritos calceos mercede reſarciens. Quin alios præterea multos erat uidere mendicantes in triuijs, Xerxes uidelicet, Darios, ac Polycrates. PHIL. Admiranda narras iſta de regibus, peneq; incredibilia. Socrates autẽ quid facit, ac Diogenes? & ſi quis eſt ſapientum alius? MEN. Socrates profectò etiam ibi obuerſatur, omneſq; redarguit: uerſantur autem cum illo Palamedes, Vlyſſes, & Neſtor, & quiſquis eſt alius inter defunctos garrulus. Inflantur autem illi etiamnum, atq; intumeſcunt exhauſto ueneno crura. At optimus Diogenes Sardanapalo uicimus Aſſyrio, Midæq; Phrygio, atq; alijs item pluribus ex iſtorũ ſumptuoſorũ numero manet, quos quum eiulantes audit, ueteris fortunæ magnitudinem recogitantes, & ridet, & delectatur, ac ſupinus cubans, utplurimùm cantat, aſpera nimis atq; inuucunda uoce illorum eiulatus obſcurans, adeò ut id ægrè ferentes, nec Diogenem ferre ualentes, de mutanda ſede deliberent. PHIL. De his iam ſatis quidẽ: cæterũ quod'nam illud decretum eſt, quod initiò dixeras aduerſus diuites eſſe ſancitum? MEN. Bene admones: neſcio enim quo pacto quum hac de re dicere propoſuiſſem, ab inſtituto ſermone procul aberraui. Dum igitur ibi uerſabar, magiſtratus concionem aduocauerunt, his uidelicet de rebus, quæ in commune conducerent. Conſpiciens ergo multos concurrere, me quoq; cum illis

lis simul immiscens, unus de numero eorum qui in concione aderant, efficior. Agitata sunt igitur & alia multa: postremò uerò de diuitibus negocium, in quos posteaquam plurima fuissent obiecta, uiolẽtia, superbia, fastus, iniuriæ, assurgens tandẽ ex populo primas quidam, huiusmodi decretum legit: Quoniam, inquit, multa diuites perpetrant in uita, rapientes ac uim inferentes, inopesq; omni modo despectui habentes, Curiæ populoq; uisum est, ut quum functi uita fuerint, corpora quidem eorum pœnas cum alijs sceleratorum corporibus luant: animæ uerò sursum remissæ in uitam, in asinos demigrent, donec in tali rerum statu quinquies ac uicies decem annorum milia transegerint, asini semper ex asinis renati, onera ferentes, atq; à pauperibus agitati. Dein ut liceat illis è uita excedere. Hanc sententiã dixit Caluarius, patre Aridello, patria Manicensis, tribu Stygiana. Hac igitur lege recitata, approbauerunt principes, sciuit plebs, adfremuit Proserpina, allatrauit Cerberus: sic enim rata quæ inferi statuunt, autenticaq; fiunt. Quæ igitur in concione agebantur, erant huiusmodi. Tum ego statim, cuius gratia ueneram, Tiresiam adeo, atq; illi re, uti erat, ordine narrata supplicaui, ut mihi diceret, quod nam optimum uitæ genus putaret. Hic uerò subridens (est autem deniculus quispiam cæcus, pallidus, uoce gracili) ô fili, inquit, causam tuæ perplexitatis scio à sapientibus istis prosectã, haudquaquam idem inuicem ijsdem de rebus sentientibus, uerum haud fas est id tibi proloqui: siquidẽ quod Rhadamanthus interdixit. Nequaquam, inquit, ô patercule,

tercule, ſed dic amabo, neq; me contemnas, qui in uita te etiam ipſo cæcior oberro. Abducens ergo me, procul ab alijs auferens, ad aures mihi inclinans: Optima eſt, inquit, idiotarum priuatorumq; uita, ac prudentiſſima. Quamobrem ab hac uaniſſima ſublimium conſideratione deſiſtens, mitte principia ſemper, ac fines inquirere, & uafros hoſce ſyllogiſmos deſpuens, atq; id genus omnia nugas æſtimans: hoc ſolum in tota uita perſequere, ut præſentibus bene compoſitis minimè curioſus, nulla re ſolicitus, quàm plurimum potes hilaris uitam ridensq; traducas. Hæc quum dixiſſet rurſus Aſphodelorum in pratum ſeſe corripuit. Ego igitur (nam & nũc ueſper erat) age, inquam, ô Mithrobarzane quid cunctamur? ac non hinc rurſus abimus in uitam? Ad hæc ille: confide, inquit ô Menippe, breuem quippe facilemq; tibi monſtrabo ſemitam: & me protinus abducens in regionem quandam magis priore tenebricoſam, manu procul oſtendens ſubobſcurum tenueq;, ac uelut per rimam influens lumen: illud, inquit, Trophonij templum eſt, atq; illac ad inferos è Bœotia deſcenditur, hac aſcendes, atq; illicò fueris in Græcia. Ego igitur hoc ſermone gauiſus, ſalutato Mago difficile admodum per anguſtas antri fauces ſubrepens, neſcio quo pacto, in Lebadiam perueni.

LVCIA-

LVCIANI PHILO PSEVDES SIVE INCREDULUS, Thoma Moro interprete.

TYCHIADES AC PHILOCLES.

POTES mihi Philocles dicere, quidnam id tandem sit, quod multos in mentiendi cupiditatem adducit, ut pariter gaudeant, quum & ipsi nihil sani loquuntur, & his qui talia narrant, maximè animum intendant? PHIL. Multa Tychiade sunt, quæ nonnullos mortales mẽtiri compellunt, quia in rem uident conducere. TYC. Nihil ad rem hæc, ut aiunt. neq; enim de his rogabam, qui quum usus postulat mentiuntur: uenia nimirum hi, imò laude pleriq; eorum digni sunt, quicunq; uel hostes fefellerunt, uel ad salutẽ tali quopiam pharmaco usi sunt in necessitatibus. Cuiusmodi multa Vlysses etiã fecit, ut & uitam suã, & sociorum reditum redimeret: sed de illis uir optime dico, qui nulla necessitate mendacium ipsum ueritati longè anteponunt, ipsa re uidelicet delectati, atque in ea sine ulla idonea occasione uersati. Isti ergo scire cupio, cuius commodi gratia istud agunt. PHIL. An alicubi tales aliquos iam deprehendisti, quibus hæc insita sit mentiendi libido? TYC. Et quidem admodum multi sunt huiusmodi. PHIL. Quid aliud ergo in causa

in cauſa ſit, quòd mentiuntur niſi dementia? ſiquidem rem peßimam, optimæ loco præoptant. TYCH. *Hoc nihil eſt. nam ego tibi multos oſtẽderim ad cætera prudentes, ac ſapientia mirabili: neſcio tamen quo pacto captos hoc malo, mendacijq; ſtudioſos, adeò ut ego certè moleſtè feram, quòd uiri tales, omnibus cæteris in rebus optimi, gaudent tamen & ſe, & eos in quos inciderint, fallere.* Nam *ueteres illi, id quod tibi notius eſt quàm mihi,* Herodotus, *Cteſiasq; Cnidius, atq; his ſuperiores: deniq;* Homerus *ipſe, uiri celebres, mendacijs etiam ſcriptis utebantur, ut non ſolùm eos fallerẽt, à quibus tunc audiebantur, uerùm uſq; ad nos etiam mendacium per manus traditũ peruenirent, in pulcherrimis uerſibus metriſq; ſeruatum. Me ergo ſæpe illorũ uerſuum nomine ſubijt pudor, ſi quando cœli ſectionẽ, ac Promethei uincula recenſent, gigantumq; rebellionem, atq; omnem illam de inferis tragœdiam. Et quo pacto ob amorem* Iupiter *in taurum & cygnum uerſus ſit: & quemadmodum ex muliere quiſpiam in auiculam, urſamúe mutatus ſit.* Pegaſos *præterea,* Chimæras*q;, & Gorgonas, ac Cyclopas, atq; id genus omnia, admodum abſurdas monſtroſasq; fabulas, & quæ mentes afficere puerorum queant, qui laruam adhuc lamiamq; metuunt: quanquam poetica ſint fortaſſe tolerabilia. At urbes iam gentesq; totas una uoce, ac publicitùs mentiri, an non hoc ridiculum? Veluti quum Cretenſes ſepulchrum* Iouis *oſtendere non pudet: Athenienſes Erichthonium editum è terra ferunt, primosq; illos homines in Attica olerum more ex terra emerſiſſe.*

Hi ta-

Hi tamen multo uerecundiores quàm Thebani, qui ex ſerpentis dentibus ſatiuos quoſdã progerminaſſe narrant. quòd ſi quis hæc, quum ſint ridicula, uera eſſe nõ credat, ſed ea prudenter examinans, Coræbi cuiuſpiã, aut Margitæ exiſtimet eſſe: ſi quis aut Triptolemũ credat in alatis draconibus per aerem uectum eſſe, aut Pana quendam ex Arcadia in Marathonem ueniſſe auxilio, uel Orithyiam à Borea raptam eſſe, impius nimirũ hic, atq; inſanus uideatur eis: quippe qui tam manifeſta ueraq; non credat. uſqueadeò obtinet mendacium. PHIL. At poetis Tychiade, urbibusq; fuerit fortaſſis ignoſcendum: nam illi delectationem illam quæ ex fabula proficiſcitur, ut quæ maxima ſit illecebra, poematibus ſuis immiſcent, qua potiſſimum erga auditores opus habẽt. Athenienſes uerò Thebaniq;, & ſi qui ſunt alij, patriæ ſuæ plus maieſtatis ex huiuſmodi figmentis conciliant: quòd ſi quis fabulas auferat è Græcia, nihil obſtiterit quo minus earum narratores fame intereãt, quando iam nemo futurus ſit hoſpitum, qui uerum uel gratis audire uelit. At ſi qui nulla tali cauſa, gaudent tamen mendacio, hi omnino ridiculi meritò uideantur. TYC. Rectè dicis. nam ego protinus ab Eucrate illo celebri uenio, ubi multa incredibilia, ac fabuloſa quũ audiſſem, imò uerò medio in ſermone diſceſſi, non ferens narrationem tam ſupra fidem, ſed me uelut furiæ quædam abegerunt, dum monſtroſa multa, atq; abſurda referrent. PHIL. Atqui Tychiade, uir grauis Eucrates eſt, & nemo certè crediderit illum tam promiſſa barba uirum ſexagenarium: & qui præterea ſit

plurimum in philoſophia uerſatus, ſuſtinuiſſe ut alium quenquam audiret ſe præſente mentientem, nedum ut ipſe tale quicquam audeat. TYC. At neſcis amice qualia referebat: tum ea quàm conſtanter aſſerebat: præterea quàm ſanctè in pleriſq; iurabat, admotis etiam filijs, adeò ut ego quum eum reſpicerẽ, uaria mecum cogitarem, interdum quidem illum inſanire, neq; animo conſtare: interdum uerò ita cogitabam, fugiſſe me, quòd impoſtor eſſet, ac tantum temporis ſub leonis pelle ridiculam quandam ſimiam circuntuliſſet: adeò abſurda narrabat. PHIL. Quæ nam illa (per Lares) ſunt Tychiade? nam cupio cognoſcere quam nam præſtigiaturam ſub tam longa barba occuluerit.
TYC. Solebam quidem etiam aliàs Philocles aliquoties eum interuiſere, ſi quando uidelicet multo ocio abundarem. Hodie uerò quum opus eſſet mihi conuento Leonthico (eſt autem, ut ſcis, amicus mihi) edoctus à puero, eum ſe ad Eucratem mane contuliſſe, ut eũ morbi inſpiciendi cauſa uiſeret, amborum nomine, nempe ut & Leonthicum conuenirem, & Eucratem uiderẽ, ignoraueram autem quòd ægrotaret, ad eum peruenio. At Leonthicum ibi iam non inuenio: nam paulo antè ut dicebant exiuerat, alios uerò cõfertos reperio, in quibus erat & Cleodemus Peripateticus, & Dinomachus Stoicus, & Ion, noſti uirum? illum dico, qui ex Platonica doctrina magnam ſui admirationem expectat, ut qui ſolus mentem uiri deprehenderit, quiq; eius oracula alijs quoq; poſſit enarrare. uides quos tibi uiros nomino, nimirum omni ſapientia, atq; omni uir

tute

tute præditos, utpote ipsum ex quaq; secta caput, reuerendos herclè omnes, atq; aspectu propemodum terribiles. Aderat præterea medicus Antigonus, ut usui in morbo esset aduocatus opinor: & melius iam habere se uidebatur Eucrates. ac morbus quidam ex familiaribus erat: humor enim rursus in pedes ei descenderat. Sedere me ergo Eucrates in lecto iuxta se iussit uoce languidulè remissa paululũ, quũ me cõspiceret: quanquã interim dum ingrederer, uociferantẽ eum, ac uocem intendentem audieram: tamen ego admodũ curiosè cauens ne pedes eius tangerẽ, ubi me uulgaribus istis uerbis purgaueram, quòd eum ægrotare nesciuerim: quod ubi resciissem, curriculo uenerim, adsedi propè. & illis quidẽ sermo iam de morbo erat, & quædã iam antè dixerant, quædam uerò etiã tunc narrabant: præterea medicamenta quædam quisq; proferebat. Cleodemus igitur: Si quis ergo (inquit) sinistra manu tollens humo mustelæ dentem, sic interfectæ, ut antè dixi, in leonis pellem alligauerit, nuper excoriati, ac deinde circũ crura posuerit, illicò sedatur dolor. Non in leonis pellẽ (inquit Dinomachus) ut ego audiui, sed in ceruæ potius fœmellæ uirginis adhuc, & nondũ initæ, & res quidẽ magis est hoc pacto credibilis: uelox enim cerua est, maximeq; ualet pedibus: & leo quidẽ fortis est, pinguedoq; eius, ac manus dextra, piliq; qui recti è barba prominent, magnã uim obtinent, si quis uti nouerit, cum proprio cuiq; carmine: at pedum curã minimè pollicentur. Et ipse quoque, inquit Cleodemus, olim sic putabam ceruina pelle utendum, propterea

quòd cerua uelox esset. At nuper uir quidam Libycus, peritus profectò in rebus huiusmodi cõtrà me docuit, ceruis ostendens uelociores esse leones: quippe qui eas, inquit, etiam persequendo capiunt. Laudabãt qui aderant, tanquam rectè dixisset Libycus ille. Tum ego: Putatis, inquam, incantamentis quibusdam sedari talia: aut foris admotis appendiculis, quum intus malũ grassetur? Riserunt hunc sermonem meum: & palàm in me magnam damnabant amentiam, qui apertissimas res ignorarẽ, & quibus nemo qui sapiat, contradicat, quin sic se habeant. At medicus certè Antigonus delectari mihi uisus est hac rogatione mea. Iamdudum autem neglectui habitus fuerat, opinor, quum opem Eucrati ferre ex arte uellet, denuncians uidelicet uino ut abstineret, atq; oleribus uesceretur, & uigorem animo omnino minueret. Cleodemus ergo subridẽs interim: Quid ais, inquit, Tychiade? incredibile tibi uidetur esse, ut ex rebus huiusmodi parentur quædam aduersus morbos remedia? Mihi certè uidetur, inquam ego: nisi naribus adeò mucosis sim, ut credam ea quæ foris applicantur, nihilq; cum his quæ morbos excitant, intus communicant: per uerbula tamen, ut dicitis, ac præstigiaturam operari: & quum appenduntur, sanitates immittere, id profectò nunquam fieri possit, nec si quis uel in Nemei leonis pellem sedecim mustelas integras insuerit. Ego profectò leonem ipsum è doloribus sæpe claudicãtem uidi in uniuersa suijpsius pelle. Nimium idiota es, inquit Dinomachus, neq; unquam tibi curæ fuit, ut disceres quo nam modo res istiusmodi aduersus morbos,

bos,quum adhibentur conferũt:ac mihi uideris ne notissima quidem ista recepturus: febrium uidelicet istarum profligationes,quæ certo quodam ambitu recurrunt,tum serpentum demulsiones, ac bubonum sanationes, & cætera: quæcunq; anus etiam iam faciunt. quòd si illa fiunt omnia,quur tandem non putabis hæc etiam similibus rebus fieri? Infinita congeris, inquam, Dinomache,clauumq;,ut aiunt,clauo extrudis. Neq; enim cõstat ea quæ cõmemoras,eiusmodi ui fieri. Quã obrem nisi reddita ratione persuaseris primũ natura fieri posse, ut febris tumorq; uereatur aut nomen aliquod diuinum, aut dictionem aliquam barbaricã, ob idq; ex inguine fugiat:aniles adhuc fabulæ sunt quæcunq; retulisti. Tu mihi uideris, inquit Dinomachus, quum ista dicas,ne deos quidem esse credere. Siquidem putas fieri nõ posse,ut per sacra nomina remedia morbis adferantur. Hoc,inquam ego, uir optime ne dixeris. nihil enim prohibet quo minus, etiã si maximè dij sint,ista tamẽ sint uana. Ego uerò & deos colo,& medelas eorũ uideo,& leuamenta quæ laborantibus conferunt,pharmacis uidelicet, atq; arte medica restituentes. Itaq; Aesculapius ipse eiusq; posteri salutaria pharmaca admiouentes medebantur ægrotis:nõ leones, aut mustelas circunligantes. Mitte hunc,inquit Ion. At ego uobis mirabile quiddam narrabo. Eram adhuc adulescentulus,annos natus fermè quatuordecim, quũ quidam ad patrem meum uenit nuncians ei, Midam uitis cultorem seruum,etiam alijs in rebus robustũ,atq; industrium,circa plenum iam forũ à uipera morsum iacere iam

re iam putrefacto crure. Etenim dum ligaret palmites, ac uallis circumplicaret, adrepentem beſtiolam maximum ei pedis momordiſſe digitum. Tum illam quidem ilicò aufugiſſe, & ſeſe rurſus in latebram condidiſſe. Illum uerò eiulare perditum è doloribus. Hæc ergo quum nunciarentur, iam Midam ipſum uidebamus lectica domum à conſeruis adportari, inflatum totũ, liuidum, ac ſuperficie tabefactum, uix iam ſpirantem. Pater ergo quum id moleſtè ferret, amicorum quiſpiam, qui tum fortè aderat: Bono animo es, inquit. Ego enim uirum quendam Babylonium ex Chaldæis, quos uocant, protinus huc adducam, qui ſanabit hominem: & ne diem narrando conteram, uenit Babylonius, ac Midam reſtituit: effugato ex corpore ueneno, quadam incantatione, & ad pedem eius appenſo uirginis defunctæ lapillo, quem è columna exciderat. Atque iſtud quidem hactenus forſan mediocre fuerit. Tũ Midas iam ipſe ſublato, in quo allatus erat ſcabello, diſceſſit in agrum: tantum potuit incantatio, & columnaris ille lapis. At idem iſte Babylonius alia præterea diuina planè fecit. Nempe in agrum profectus mane, quum pronunciaſſet ſacra quædam ex uetuſto codice, ſeptem nomina, ſulphure ac face iuſtrato loco in orbem ter obambulans, ſerpentes omneis inuitos exciuit: quicunq; intra eam regionẽ erant. Veniebant ergo tãquã ad incantationẽ tracti, ſerpentes multi, atq; aſpides, & uiperæ, & ceraſtæ, & iaculi, phryniq;, ac phyſali: relinquebatur autem unus draco, annoſus, prorepere (ut opinor) ob ſenectã non ualens, qui non fuerat

audiens

audiens dicto. At magus: Nõ adsunt omnes, inquit. Tũ unũ quendã ex serpentibus, eum uidelicet qui natu minimus erat, selectũ legatum mittebat ad draconem: ac paulo pòst uenit etiam ille. At postquam iam collecti constitissent, Babylonius in eos insibilauit. Atq; illi repentè admodũ omnes ab eius flatu incensi sunt, nobis interim admirantibus. Tum ego, dic mihi inquã Ion: Serpens ille legatus, iuuenem illũ dico, utrum manu deduxit draconem, qui iam (ut ais) senuerat, an ille baculum gestans innitebatur? Ludis tu quidẽ, inquit Cleodemus. At ego, qui & ipse quoq; olim minus talia credebam, quàm nunc tu, putabã enim nulla ratione fieri posse, ut ea crederem: tamen quum uolantem primùm conspicerem, peregrinum illum barbarum (erat autem ut ferebãt ex Hyperboreis) credidi, ac uictus sum: quum tamen multum diuq; repugnassem: nam quid facerem quum eum cernerem in aere uolantem, atq; id interdiu, ac super aquam ingredientem, atq; per medium ignem incedentem, idq; lentè ac sensim? Tu'ne, in quam ego, ista uidebas, uirũ Hyperboreum uolantẽ, aut super aquas ambulantem? & maximè inquit ille, carbatinas indutum, quo calceamenti genere illi potissimũ utuntur. Nam minutula ista, quid attinet referre, quæcunq; fecit, quo pacto amores immiserit, ac dæmones exegerit, mortuosq; marcidos in uitã reuocauerit, atq; Hecaten ipsam palàm conspectibus exhibuerit, lunamq; è cœlo detraxerit? Quin ego uobis referam, quæ ab eo fieri conspexi in Glaucia Alexidis filio. Glaucias hic quũ patris nuper defuncti substantiã su-

ſcepiſſet, Chryſidem amabat Demæneti filiam, ac me quidẽ præceptore in diſciplina utebatur: ac niſi amor ille à ſtudio deduxiſſet eum, uniuerſam Peripateticorũ doctrinam perdidiciſſet: ut qui octo & decem quum eſſet annorum, iam abſoluerat analytica: tum phyſicam auſcultationem in finem uſq; percurrerat. Amore tamen uictus, mihi rem omnem ſignificat. Ego uerò quemadmodum par erat, quippe qui præceptor eram, Hyperboreum illum magum ad eum duco: conductum quatuor ilicò minis in manum datis. oportebat enim præparari quiddam ad ſacrificia: tum ſedecim præterea, ſi Chryſide potiretur. Ille uerò creſcentem obſeruãs lunam (nam tunc utplurimum huiuſmodi ſacra peraguntur) foſſam quum effodiſſet in aperto quodam loco domus, ſub dio circa mediam noctem, euocauit nobis primum quidem Anaxiclem Glauciæ patrem, ante ſeptem menſes uita defunctum. Succenſebat autem ob amorem ſenex, atq; indignabatur. Tandem tamen ei permiſit, ut amaret. Poſtea uerò Hecaten quoq; eduxit, adferentem unà Cerberum: tum lunã detraxit, multiformè quoddam ſpectaculum, & quod aliàs aliud apparebat. Primum quidem muliebrem formã referebat: deinde in uaccam formoſam uertebatur. Poſtremò uerò catula uidebatur. Hyperboreus ille tandem, quum finxiſſet quendam è luto Cupidinem: Abi, inquit, atq; huc perducas Chryſidem: ac lutum quidem protinus euolabat: paulo pòſt autem affuit illa pulſans oſtium. Tum ingreſſa Glauciam complectitur, eum quàm inſanißimè deperiens, & cum eo uerſata eſt, quoad gallos

canentes

canentes audiuimus. Tum uerò luna subuolabat in cœlum, atq; Hecate subijt terram, cæteraq; spectra dispa-ruerunt: & Chrysidem tandẽ emisimus circa ipsum fermè diluculũ. Hæc Tychiades si conspexisses, haudquaquam amplius dubitasses, esse multa in carminibus istis cõmoda. Bene dicis, inquam, ego credidissem equidem, si uidissem ea: nunc uerò ignoscendũ mihi puto, si qualia uos uidetis, acutè perspicere nõ possum: ueruntamẽ Chrysidem illã quam dicis, noui, mulierẽ planè meretricem ac facilẽ: nec uideo sanè cuius gratia ad illã egeritis luteo illo legato, magoq; ex Hyperboreis usq;, atq; ipsa insuper luna. quippe quã uiginti drachmis ducere in Hyperboreos usq; potuisses. Mirificè enim sese offert ad hanc incantationem mulier, & contrariũ quiddam spectris istis habet. Nam ea quidẽ æris ferri ue sonum si audierint, fugiunt (nam id uos prædicatis) illa uerò si argentũ uspiam sonuerit, accurrit ad tinnitum. Præterea ipsum etiam magum admiror: quòd cũ ditissimas mulieres in amorẽ sui posśit elicere, atq; ab eis solida talenta suscipere, is tamen ob quatuor minas admodum tantilli lucelli auidus Glauciã amoris cõpotẽ fecerit. Ridiculè facis, inquit Ion, qui nihil credis. Ego te libenter ergo rogauerim quid de his respondeas, qui dæmoniacos liberant erroribus, adeò manifestè spectra illa carminibus eijcientes? Atq; hæc me dicere non opus est, uerũ oẽs nouerũt, Syrus ille ex Palæstina, qui harũrerũ artifex est, quàm multos mortales suscipiat, qui ad lunã cõcidant, oculosq; distorqueãt, spumaq; os oppleant: quos tamẽ erigit ac sanos remittit, magna accepta

mercede, diris eos malis liberans. Etenim quum iacentibus inſtet, rogaueritq;, unde ſint in corpus ingreſſi, ægrotus quidē ipſe tacet: at dæmon uerò reſpōdet (aut lingua Græca loquens, aut barbarica, aut undecūq; fuerit ipſe) & quomodo, & unde intrauit in hominem. Ille uerò adiurans eū, ac ni paruerit minitans etiā, expellit abigitq; dæmonē. Quin ego quoq; dæmonē quendam exeuntem uidi, nigrum certè, & colore fumidum. Non magnū erat, inquam, ego talia te Ion cernere: cui ipſæ etiam apparent Ideæ, quas ueſtræ familiæ parens oſtendit Plato: rem uidelicet ſpectatu tenuem atq; euanidam, quantum ad nos homines luſcioſos. Ita ne ſolus Ion, inquit Eucrates, iſtiuſmodi uidit: ac nō alij etiā multi inciderūt in dæmones: alij noctu, alij etiam interdiu? Ego profectò non ſemel, ſed millies iam talia conſpexi: ac primum quidem turbabar ad ea: iam uerò ob cōſuetudinem nihil nouum, aut prodigioſum mihi uidere uideor, maximeq; nūc ex quo anulū mihi Arabs dedit ex ferro de cruce quapiam ſumpto, factū: carmenq; docuit nominibus multis plenum, niſi fortè ne mihi quidē fidē ſis habiturus Tychiade. At quî fieri poſſit inquam, ut Eucrati nō credā Dinonis filio: uirò in primis ſapiēti, ac liberè, quæ ſibi uidentur, domi in priuato ſuo cū autoritate narranti? illud ergo de ſtatua, inquit Eucrates, quæ omnibus qui in domo ſunt ſingulis noctibus appareret, tum pueris, tum adoleſcētibus, tum ſenibus, hoc inquam, nō à me duntaxat audieris, uerum etiā à noſtris omnibus. De qua ſtatua? inquā ego. Nō uidiſti (inquit) quum ingrederis, ſtatuā quandam in atrio collocatam,

ſanè

ſanè quàm pulchram, opus Demetrij: qui ſtatuas humana ſpecie fingere conſueuit? Non ne illam dicis, inquã, quæ diſcum iacit: quæ inclinata eſt ad emiſſuri geſtum, reflexa in eam quæ diſcũ fert, altero pede modicè inflexo, quæq; ſe erectura uidetur unà cũ iactu? Nõ, inquit: nam unum eſt ex Myronis operibus ille diſci iactator, quem dicis. Sed nec eam quæ eſt ei proxima: eũ loquor cui tenijs caput uinctũ eſt, formoſam illam. Nam id Polycleti opus eſt: uerũ eas quæ à dextra ſunt egredientibus omitte, inter quas, & tyrannicidæ illi ſtant, Critiæ Neſiotæ plaſmata: tu uerò an non ad aquam illam quæ influit, quampiam uidiſti uẽtre prominulo, caluã, ſeminudatam, uulſis quibuſdã barbæ pilis, inſignibus uenis uero homini ſimillimam? Pelichus dux Corinthius eſſe uidetur. Per Iouẽ, inquam, uidi quandam à dextra Saturni, quæ tenias coronasq; aridas habebat, pectoreq; folia quædã inaurata. Ego, inquit Eucrates, ea inaraui, quũ me ſanaſſet triduo, febre pereuntẽ. Erat ne igitur etiã medicus, inquã ego, optimus iſte Pelichus? Eſt, neq; ride, inquit Eucrates: alioqui homo te haud multo pòſt inuadet. Noui ego certè quantũ ualeat hæc quam tu rides ſtatua. An non eiuſdem putas eſſe immittere febres in quos uoluerit, quandoquidem potis eſt eijcere? Propitia, inquã, placataq; ſit hæc ſtatua mihi, quæ tantum ualeat. Quid nã ergo aliud facientem eam uiderũt omnes qui in domo ſunt? Quum primũ nox eſt, inquit, hæc è baſe deſcendens in qua ſteterat, in orbem totam domum circuit: omnes occurrunt ei interdũ etiam cauenti: nec quiſquam eſt quẽ unquam læſerit, diuertere

tantum

tantum oportet. Illa uerò præterit, nihil intuẽtes infestans, quũ & lauat sæpe, & tota nocte ludit, ut ex ipso aquæ strepitu licet audire. Vide ergo, inquã ego, ne fortè nõ Pelichus hæc statua sit, sed Talus potius Cretensis, qui apud Minoem fuisse dicitur. Nam & ille æreus quidã Cretæ custos erat: quòd si non ex ære, non autem ex ligno facta esset, nihil eam prohiberet, qui non opus Demetrij, sed una potius ex Dædali machinis esse uideatur. Ê base nanq; (ut ais) etiã ista fugit. Vide, inquit, ô Tychiade, ne te posthac scõmatis huius pœnite at. Noui quidẽ ego, quid illi euenerit, qui obolos surripuit, quos ei quoq; nouilunio suspẽdimus. Prorsus atrocia, inquit Ion, oportebat accidere: quippe qui sacrilegus erat: quomodo ergo illum ultus est, ô Eucrates? Nã audire cupio, etiam si quàm maximè Tychiades iste dissisurus est. Multi, inquit ille, ad pedes eius oboli iacebant, aliáq; itẽ numismata quædã argentea ad crus eius affixa cæra, ac laminæ quoq; argenteæ: uota cuiusq;, aut merces ob sanationẽ eius, qui ab eo liberatus esset, quũ febre detineretur. At erat nobis seruus quidã Libycus sceleratus, equorũ curator. Hic noctu aggressus est ea auferre omnia, abstulitq; digressam iam quũ obseruasset statuam. At quũ primũ reuersus intellexit sacrilegio se cõpilatum Pelichus, uide quo pacto sese ultus est, atq; furti prodidit Libycũ. Tota nocte atriũ obambulabat in orbẽ miser, exire nõ ualens, tanquã in Labyrinthũ incidisset, quoad orta die iam deprehẽsus est, ea tenens quæ furto abstulerat: ac tum quidem comprehensus, plagas non paucas recepit, nec temporis multũ

superstes

ſuperſtes malus malè perijt: uapulans, ut dicebat, ſingulis noctibus: adeò ut uibices poſtridie apparerẽt in corporè. I nunc, & poſt iſta quoq; Tychiades Pelichum ride, ac me tanquã coætaneum Minoi iam delirare puta. At ô Eucrates, inquã ego, quàm diu æs erit æs? operisq; plaſtes Demetrius Alopecenſis fuerit: qui non deos, ſed homines fingere cõſueuit. Pelichi nunquã ſtatuã uerebor: quippe qui nec ipſum etiã uiuẽtem, ſi mihi minaretur, admodũ timuiſſem. Ad hæc medicus Antigonus: Et mihi ô Eucrates, inquit, Hippocrates æreus eſt magnitudine fermè cubitali: qui nunc duntaxat quũ lucerna extincta ſit, totã in orbẽ domũ ambit, perſtrepens ac pyxides euertens, pharmacaq; cõmiſcens, atq; oſtia circumuertens: maximeq; ſiquando ſacrificia prætermittimus, quibus in ſingulos annos ei ſacrificamus. Poſtulat ergo, inquã ego, etiã Hippocrates medicus iam ut ſibi ſacrificetur: indignaturq; niſi in tẽpore iuſtorũ ſacrificiorum epulis accipiatur: quem nimirum decebat boni cõſulere, ſi quis ei libauerit, aut mulſum inſperſerit, aut caput coronauerit. Audi ergo, inquit, Eucrates: iſtud certè etiã teſtibus probauero quod ante annos quinq; uidi. Erat fermè uindemiæ tempus. Ego uerò in agrum circa meridiem uindemiatũ dimiſſis operarijs, in ſyluam ſolus abibam: cogitans interim quiddam, atq; cõſiderans. At poſtquam in ſaltum peruenì, canum primò latratus inſonuit. Ego uerò Mnaſona filiũ meum, cum æqualibus uenientem, ludere uenariq; (quẽadmodum ſolebat) cõijciebam. At res haudquaquã ſic ſe habebat: uerũ paulo pòſt facto terræmotu,

tu,ſonoq; uelut è tonitru,mulierem aduenientem uideo terribilem:proceritate fermè ſemiſtadiali:habebat autẽ in ſiniſtra facem, in dextra uerò gladiũ uiginti circiter cubitorũ. Et infernè quidem pedibus erat ſerpentinis, ſupernè uerò Gorgonem referens uultu uidelicet, atq; aſpectus horrore:pro coma quidem draconibus,tãquã cæſarie circuncincta:alijs collum amplectentibus, alijs etiã per humeros ſparſis. Videte,inquit,amici quo pacto etiam inter narrandũ exhorrui:& ſimul hæc dicẽs Eucrates,oſtendit omnibus brachij ſui ſetas erectas metu.Ion ergo ac Dinomachus, & Cleodemus uehementer inhiantes auſcultabant eũ uiri ſenes, tãquã naribus traherentur, adorantes apud ſeſe tã incredibilem Coloſſum:mulierem ſemiſtadialem, Giganteum quoddam Mormolycium. Ego uerò conſiderabam interim,cuiuſmodi erant hi qui cum iuuenibus ſapientiæ nomine uerſentur,uulgoq; in admiratione habeantur:quũ ſola nimirum canicie barbaq; ab ipſis differant infantibus: cæterùm etiam illis ipſis facilius ductiles ad credẽda mendacia.Dinomachus ergo,dic mihi,inquit,Eucrates: illi canes deæ,quanta magnitudine erant? Elephantis, inquit ille,proceriores Indicis,nigri & ipſi hirſutiq;,ſordido ſqualidoq; uillo.Ego igitur quũ uiderẽ, reſtiti,inuerſo protinus in interiorẽ digiti partẽ (quod Arabs mihi dederat)ſigillo. Hecate ergo percuſſo draconicis illis pedibus ſolo,hiatũ effecit maximũ & qui immani magnitudine penitus æquaret tartarum.Deinde paulo pòſt abijt in eũ deſiliens.Ego uerò præſente animo porrecta ceruice inclinatus,inſpexi apprehẽſa arbore quapiam,

piã, quæ uicina ſtabat, ne obortis mihi tenebris ac uertigine, in caput præceps inciderem: deinde conſpexi ea quæ in inferno ſunt omnia: pyriphlegetontẽ, lacũ, Cerberũ, manes: adeò ut quoſdã etiã eorũ agnoſcerem. Patrem ergo meum manifeſtè cernebã adhuc his ipſis amictum, quibus eum ſepeliuimus. Quid agebant (inquit Ion) ô Eucrates animæ? Quid aliud, inquit ille, quàm per tribus familiasq; cũ amicis cognatisq; uerſantur, in Aſpholedo collocati? Contradicant ergo etiã nunc (inquit Ion) Epicurei ſacro Platoni, eiusq; de anima rationibus. At tu non ne Socratem etiã ipſum Platonẽq; uidebas, inter manes? Socratẽ (inquit) uidi: neq; illum tamen euidenter, niſi quod inde cõieci, quoniã caluus, ac uentricoſus erat. Platonem uerò nõ cognoui: nã apud amicos nimirum uera fateri oportet. Simul ergo atq; ego omnia conſpexi, & hiatus coijt, et ex famulis meis quidam quærentes me, atq; in his Pyrrhias hic, ſuperuenere hiatu nondum plenè obducto: Dic Pyrrhia, an non uera narro? Per Iouem (inquit Pyrrhias) & latratum audiui per hiatum: & ignis quidem à face mihi ſuffulgere uidebatur. Tum riſi ego profectò, teſte latratũ ignemq; in cumulum addente. Tum Cleodemus: Haud quaquam noua iſta, inquit, neq; alijs inuiſa uidiſti. Nã & ipſe haud ita pridem quum ægrotarem tale quiddã conſpexi. Proſpiciebat mihi curabatq; Antigonus hic, ac ſeptima dies erat: febrisq; ô qualis? incẽdio certè uehementior. Omnes ergo me relinquentes ſolum, clauſis foribus foris manebãt. Sic enim iuſſeras Antigõe: ſi quo pacto poſſem obdormiſcere. Tũc igitur aſtitit mihi iuuenis

uenis quidam uigilanti, pulcher admodũ, ueste circumamictus candida. Ac me quum excitaſſet, per hiatum quendam ducit ad inferos: ſicuti ilicò cognoui, Tantalum quum uiderem ac Tityum Siſyphumq;. At cætera uobis quid cõmemorem? Poſtquam uerò ad tribunal perueni (aderat autem & Aeacus, et Charon, Parcæq; atq; Erinnes) quidam uelut rex (Pluto certè mihi uidebatur) aſſedit ſingulorũ nomina percenſens, qui morituri erant, quos diem iam uitæ præſcriptũ præterijſſe contigerat. Iuuenis ergo me adducens illi exhibuit. At Pluto tunc incanduit, & ad eum qui me ducebat, Nondũ illi completũ eſt ſtamẽ, inquit. Abeat ergo. Tu uerò fabrũ Demylum adduc: iam ſiquidem ultra colũ uiuit. Tum ego lætus recurrens, ipſe quidem iam febre liberam: denũciabam uerò omnibus, quòd Demylus eſſet moriturus. Manebat autem nobis in uicinia ægrotans etiam ipſe nõnihil, ut renũciatum eſt. Ac paulo pòſt audimus eiulatum eorum qui lugebant eũ. Quid miri eſt, inquit Antigonus? Ego etenim quendam noui poſt uigeſimum diem quàm ſepultus eſt, reſurrexiſſe. Nam hominem & antequam moreretur, et poſtquam reſurrexit, ipſe curaui. Et quo pacto (inquam ego) in diebus uiginti neq; tabuit corpus, neq; præterea fame corruptum eſt, niſi fortaſsis Epimenidẽ quẽpiam tu curaſtis? Hæc quum diceremus, protinus ingrediebantur Eucratis filij è palæſtra redeuntes. Alter quidẽ iam ex ephebis exceſſerat, alter uerò annos natus erat circiter quindecim. Tũ ſalutatis nobis iuxta patrẽ adſidebant in lecto, ac mihi quidẽ ſella illata eſt. Tum Eucrates tanquã

è con-

è conſpectu filiorum admonitus: Sic his frui mihi cõtin gat, inquit, ſimulq; manũ eis iniecit, ut apud te Tychia des uera narrabo. Fœlicis memoriæ uxorẽ meam horũ matrem nouerunt omnes, quo pacto dilexerim: nã de= claraui his rebus quas in eam feci, nõ modò dũ uiueret, uerumetiam poſtquã uita functa eſt. Quippe qui mun dum eius uniuerſum, ueſtemq; qua dũ uiueret, oblecta= batur, in rogũ illius iniecerim. Septima uerò poſt mor tem die, ego quidem hic in eundem lectum incumbebã, quemadmodum nũc, luctũ eum mihi cõmitigans, quem de illa conceperam. Legebam enim tacitus Platonis illũ de anima libellũ. Ingreditur interim Demenete ea ipſa, atq; adſidet iuxtà: quemadmodum nũc Eucratides hic, minorem deſignans filium. Hic uerò ilicò tremuit ad= modum pueriliter, ac dudũ ad narrationem pallebat. Ego uerò (inquit Eucrates) ut cõſpexi, amplexus eã ſingultim lachrymabam. Illa uerò me uociferari nõ pa= tiebatur, uerũ incuſabat me, quòd quũ ei fuiſſem in re= liquis gratificatus omnibus, è ſandalijs aureis alterũ nõ cremaueram, ſupereſſe aũt id dicebat, quod ſub arca ceciderat: atq; ob id nos quum nõ inueniremus, alterũ tantũ cremaueramus. Nobis autem adhuc diſſerentibus ſceleſtiſſimus quidã caniculus, qui mihi in delicijs erat, in lecto cubans allatrabat, ea uerò ad latratũ euanuit. At ſandaliũ ſub arca repertum eſt: poſteaq; à nobis in= cenſum. An hæc etiã Tychiades recuſabis credere, quũ tam ſint euidentia, quotidieq; obſeruentur? Per Iouem, inquam ego, digni fuerint, quibus aureo ſandalio nates puerorum more feriantur, ſi qui iſta non credant, atq;

uſq; adeò impudenter uero reſiſtant. Interea Pythagoricus intrabat Arignotus comatus ille, ab aſpectu uenerabilis. Noſti illũ doctrinæ nomine celebrẽ, qui cognominatur ſacer. Atq; ego quidẽ, ut eũ conſpexi, reſpiraui: hoc ipſum, quod prouerbio dici ſolet, adueniſſe mihi ratus: nempe ſecurim quampiã aduerſus mẽdacia: Occludet, inquã, eis ora uir ſapiens, adeò monſtroſa narrantibus: atq; prorſus, iuxta uulgatũ illud adagiũ, repentè deum immiſſum eſſe mihi hũc à fortuna putabã. Hic uerò poſtquam adſedit, aſſurgẽte ei, ac cedẽte Cleodemo, primũ de morbo percontatus eſt, ſeq; audiſſe dicebat, Eucratẽ iã ſe melius habere. At quid nã, inquit, inter uos philoſophamini? Nam interim dũ ingrediebar ſubauſcultaui, ac mihi certè uidemini in re quapiã pulchra cõuerſari. Quid aliud, inquit Eucrates, quàm ut huic adamãtino perſuadeamus (me demonſtrãs) ut dæmones credat aliquos eſſe, phãtaſmataq;, ac mortuorum animas ſuper terram obambulare, & ſeſe quibus libitũ fuerit oſtendere? Ego igitur erubui, uultũq; deieci reueritus Arignotũ. At ille, Vide (inquit) Eucrates num hoc dicat Tychiades. Eorum tantũ qui uiolenter interierint, animas errare, ueluti ſi quis ſuffocatus, aut capite truncatus, crucí ue ſuffixus fuerit, aut alio quopiã iſtiuſmodi modo è uita diſceſſerit: eas uerò quæ fatali morte naturaliq; diſceſſerint, haudquaquam amplius oberrare. Nã ſi hoc dicat, nõ uſqueadeò abſurda dixerit. Per Iouẽ, inquit Dinomachus, ne eſſe quidẽ iſtiuſmodi, nec præſentia cerni putat. Quid ais, inquit Arignotus in me toruè aſpiciens, nihil horũ tibi uidetur fieri? præſertim

præsertim quũ oẽs (ut ita dicã) uideant? Ignoſces, inquã ego, mihi, ſi nõ credo: nam ſolus omniũ non uideo. Quòd ſi uidiſſem, profectò et credidiſſem, quẽadmodũ & uos. Atqui, inquit ille, ſi quando Corinthũ ueneris, roga ubi ſit Eubatidæ domus. Atq; ubi tibi fuerit indicata, nempe circa Craneũ, in eam ingreſſus, dic ianitori Tibio, uelle te uidere, unde dæmonem Pythagoricus Arignotus quũ adduxiſſet, abegerit, ac deinceps habitabilẽ domũ reddiderit. Quid nam hoc erat Arignote? rogabat Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille, diu propter terricula: quòd ſi quis inhabitaſſet, expauefactus ilicò fugiebat exactus à quodã horrendo ac terribili ſpectro. Deciderat ergo iã, tectũq; rũpebatur, neq; quiſquam erat omnino qui in eã ingredi fuerit auſus. Ego uerò ubi hæc audiui, libellos ſumẽs (ſunt aũt Aegyptij mihi de talibus rebus admodũ multi) ueni in domũ circa primã uigiliam, dehortante hoſpite, ac fermè detinente, poſtquã didicerat quò iturus eſſem, in certum, ut putabat, exitium. At ego ſumpta lucerna ſolus ingredior, atque in uaſtiſſimo atrio collocato lumine, humi ſedens tacitè legebam. Adeſt uerò dæmon ille, cũ quopiam è uulgo ſe congreſſurum ratus, ac me quoq; quẽadmodum alios perterriturum, ſquallidus, hirſutus, ac tenebris nigrior. At hic quum adſtaret, undiq; me adſultim petens tentauit, ſi quà poſſet expugnare, ac modò in canẽ, modò in taurum, modò in leonẽ uertebatur. At ego correpto in manũ quàm maximè horrendo carmine, ſimulq; uocẽ imitatus Aegyptiam, & incantans eũ in domicilij tenebroſi angulum quendam compuli. At

quum animaduertissem, ubi se in terram condidit, tum desiti. Mane autem desperãtibus uniuersis, ac me quẽadmodum alios mortuum sese reperturos putantibus, præter omnium spem progrediens, Eubatidem adeo, feliciter illi adnuncians, quòd puram sibi ac spectris liberam domum iam liceret incolere. Atq; illum assumens aliosq; multos (sequebãtur autem huius inopinatæ rei gratia) quũ ad locum duxissem, ubi condentem se dæmona cõspexeram, iussi ut sumptis ligonibus matulisq; suffoderent. Atq; ubi id fecerant, inuentũ est ferè ad passum defossum cadauer quoddam marcidum, ossibus tantum humana specie cohærentibus. Illud igitur effossum sepeliuimus, domus uerò postea turbari prodigijs desijt. Hæc ubi narrauit Arignotus, uir prodigiosa sapientia ac reuerendus omnibus, nemo erat ex his qui aderant, qui nõ multam mihi imputaret insaniam, qui talia nõ credam, narrante præsertim Arignoto. Ego tamẽ nihil ueritus neq; comã, neq; illam quam de eo habebant opinionẽ, Quid hoc inquã Arignote? Etiam tu talis eras, in quo mihi sola spes fuit, fumo plenus ac simulacris? Illud ergo nobis in te quod dici solet, euenit: ut thesaurũ quũ sperauerimus, carbones offenderimus. At tu, inquit Arignotus, si neq; mihi credis narranti, neq; Dinomacho, aut huic Cleodemo, neq; ipsi Eucrati: dic age quem nam dignioremẽ, cui his de rebus fides habeatur, existimas, qui nobis dicat cõtraria? Per Iouẽ, inquã ego, uirũ apprimè mirabilem Abdera oriundum illum Democritum, cui tam firmiter erat persuasum eiusmodi nihil esse in rerũ natura posse, ut quũ se in monimento extra

to extra portas clausisset, ibiq; degeret dies noctesq; scribens atq; cõponens, iuuenesq; eũ quidã illudere cupientes ac perterrefacere, nigra ueste in modũ cadaueris ornati, ac personis in capita adfictis circũsistentes, illum circumsilirent, crebrò subsilientes: hic neq; eorũ commẽta pertimuerit, neq; eos omnino respexerit, sed inter scribẽdũ: Desistite, inquit, ineptire. Adeò firmiter credidit animas nihil esse postquam è corporibus exierint. Hoccine ais, inquit Eucratres, dementẽ quempiã uirum esse Democritum? siquidem sic existimauit. Ego uerò uobis etiam aliud referam, quod mihi ipsi cõtigit, non quod ab alio acceperim: fortassis etiam tu Tychiades quum audieris, compelleris accedere, ipsa narrationis ueritate coactus. Quũ in Aegypto uersarer adhuc adolescẽs, à patre uidelicet doctrinæ gratia trãsmissus, cupiebam nauigio profectus in Coptũ illinc adiens Memnonem, miraculũ illud audire, eum uidelicet sonũ reddentẽ ad orientem solem. Illum igitur audiui non hoc uulgari modo, quo audiunt alij sonum quempiã manẽ, sed mihi oracula etiam edidit Memnon, ipse aperto ore septẽ uersibus: quod nisi esset superuacaneum, ipsos uobis uersus recenserẽ. Inter nauigandum uerò incidit in nos unà nauigans uir Memphiticus quidã, ex sacris illis scribis, mirabili sapientia, & qui uniuersam Aegyptiorũ doctrinã callebat. Dicebatur aũt tres ac uiginti annos in adytis subterraneis mansisse, Magiã interea doctus ab Iside. Pancratem dicis (inquit Arignotus) præceptorem meum, uirum sacrum, rasum, lineis indutũ, doctum, pureq; lingua Græca loquentem, procerũ,

simũ,labijs promißis,cruribusq; gracilibus. Illũ ipsum, inquit ille, Pancratẽ, ac primũ quidem quis esset ignorabam. At postquã uidi eum,si quando in portum appulissemus,cum alia multa miracula facientem, tũ crocodilis insidentem agitasse,& cum feris uersantẽ, illas uerò reuerentes eum,caudisq; adulantes, agnoui sacrũ quempiam uirum esse, paulatimq; comitate mea me in eius amicitiã ac familiaritatẽ insinuaui, adeò ut omnia arcana communicaret. Ac tandẽ mihi persuadet, ut famulis omnibus in Memphide relictis, se solus consequerer: neq; enim defuturos nobis ministros. Atque ex eo tempore sic uitã duximus. Quum in diuersoriũ quodpiam ueniremus,homo accepto pistillo,scobiná ue,aut pessulo,uestibus implicans,quum in id carmen quoddã dixisset,effecit ut ambularet, utq; alijs omnibus homo uideretur. Illud ergo abiens,& aquã hauriebat,& cœnã parabat,instruebatq;, atq; in omnibus cõmodè subseruiebat ministrabatq; nobis. Deinde postquam iã satis huius ministerij fuit,scobinã rursus scobinam,ac pessulum pessulũ,aliud recitans carmẽ reddebat. Hoc ego uchemẽter conatus non reperiebam, quo pacto ab illo expiscarer. Nam id mihi inuidebat, quanquam in alijs esset facilimus. At quadam die in angulo quodam tenebricoso clã illo delitescens subauscultaui propius incantationem illam. Erat autem trisyllaba. Tum ille quũ pistillo mandasset quæ curanda erant,abijt in forum. At ego postridie illo apud forum occupato,acceptũ pistillum quum ornassem, syllabas illas simili modo pronuncians,aquã iussi ut hauriret. Tum impletam amphorã

quum

quum tulisset, Desiste inquã, neq; aquam amplius hau-
rito, sed rursus esto pistillũ. At illud mihi haud amplius
iam obtemperare uolebat, sed aquam hauriebat conti-
nuè, quoad hauriendo totam domũ nobis impleret. At
ego quum resistere huic rei non ualerem, timebam au-
tem ne Pancrates reuersus (id quod etiã euenit) iraſce-
retur, correpta secure pistillum in duas partes disseco.
At utraq; pars amphoram sumens hauriebat aquam,
iamq; unius loco duo mihi ministri esse cœperunt. In-
terea Pancrates superuenit, ac re intellecta illas quidẽ
in ligna rursus, quemadmodum ante carmẽ erãt, mu-
tauit. At ipse me clanculum relicto, nescio quò clancu-
lum se subducens abijt. At possis istud etiam nunc, in-
quit Dinomachus, hominem ex pistillo facere? Per Io-
uem, inquit ille, dimidia ex parte scio: nã in priorẽ for-
mam nunquam à me restitui potest, postquam semel a-
quarius esse cœperit. Sed deferenda nobis domus esset
aquæ iã impleta. Nõ desistitis, inquam ego, huiusmodi
monstrosa narrare uiri senes? Alioqui horũ saltem ado
lescentium gratia incredibiles istas ac terribiles fabulas
aliud in tẽpus omittite, ne clanculũ terroribus ac pro-
digiosis fabulamẽtis impleantur. Parcere ergo eis opor
tet, ne talia cõsuescant audire, quæ eos per totam uitã
comitata perturbabunt, atq; ad omnem strepitũ meti-
culosos reddẽt, posteaquam eos omnigena superstitio-
ne impleuerint. Rectè admonuisti me, inquit Eucrates,
quum superstitionem dixisti. Nam quid tibi Tychiade
de reb. huiusmodi uidetur: de oraculis loquor ac uatici
nijs, & quæcunq; quidam numine afflati proclamant,

quæue ex adytis audiũtur? aut quæ uirgo numeris elo
quens futura prædicit? an uidelicet nec talia credis? At
ego quòd anulum quẽdam ſacrum habeo, Pythij Apol=
linis imaginẽ exprimẽte ſigillo, quodq; hic Apollo me=
cum loquitur, non dico, ne tibi uidear ad gloriã meam
res incredibiles narrare. Cæterũ quæ apud Amphilo=
chum audiui in Mallo, heroe mecum diu diſſerente, de=
umq; meis de rebus conſulente, tum quæ ipſe uidi, uolo
uobis narrare: deinde ex ordine & quæ uidi in Parga
mo, & quæ audiui in Pataris. Itaq; quum ex Aegypto
redirem domum, audiremq; illud in Mallo uaticinium
apertiſsimum ſimul ac ueriſsimũ eſſe, tamẽ ſic oracula
dare, ut ad rẽ reſpondeat his, quæcunq; propheta quiſ
piã in ſchedulam inſcripta tradiderit: rectè me facturũ
putaui, ſi dum præternauigarem, experirer oraculum,
deumq; de futuris quippiam conſulerẽ. Hæc adhuc Eu
crate dicente, quũ uiderem quàm longè res eſſet pro=
ceſſura, quodq; non breuem incepiſſet de oraculo tra=
gœdiam, ratus non expedire, uti ſolus contradicerem
omnibus, relinquens eum ex Aegypto adhuc in Mallũ
nauigantem: nam & intelligebam moleſtam illis eſſe
præſentiam meam, utpote qui diſſentirem refelleremq;
eorum mendacia: Atqui ego abeo, inquam, quæſiturus
Leonticum, nam opus habeo cum eo congredi. At uos
quandoquidẽ parũ ſufficere uobis res humanas puta=
tis, ipſos etiam deos deniq; in fabularum uobis partem
uocate. Atq; hæc ſimul ac dixi, diſceſsi. Illi uerò alacres
iam libertatẽ nacti, ut eſt ueriſimile, mutuò ſeſe epulis
accipiebant, ac mendacijs ingurgitabãt. Talibus ô Phi=
locles

locles apud Eucratem auditis, uenio per Iouem inflato uentre, non aliter quàm hi qui musto poti sunt, opus habens uomitu. Tum libenter alicunde magno emerim pharmacum aliquod, quod mihi obliuionem induceret eorum quæ audiui, ne me nonnihil earum rerum lædat inhærens memoria: nempe monstra, dæmones, atq; Hecatas mihi uidere uideor. PHIL. *Quin mihi quoq; ô Tychiade, tale quiddam hic sermo tuus attulit: aiunt etenim nõ solum in rabiem uerti, atq; aquam formidare, quoscunq; rabidi canes mordeant: uerumetiam si quem mordicus homo morsus momorderit, illum morsum quoq; non minus canino ualiturum, atq; eum etiam eodem modo formidaturum. Quin tu ergo uideris, quum sis ipse apud Eucratem à multis mendacijs morsus, mihi quoq; morsum illum communicasse, adeò mihi mentem dæmonibus impleuisti.* TYCH. *At bono animo simus amice, quum magnum aduersus huiusmodi res remedium habemus, ueritatẽ rectamq; omnibus in rebus rationem: quo si utamur, nullis huiusmodi uanis stultisq; mendacijs turbabimur.*

LVCIANI DE=

CLAMATIO PRO TYRAN-nicida, Thoma Moro interprete.

ARGVMENTVM DECLAM.

Ascendit quidam in arcem, ut tyrannum occideret, at ipsum quidem non inuenit: filium autem eius quum peremisset, gladiũ reliquit in corpore. Tyrannus ingressus, ac filium iam conspicatus mortuum, eodẽ gladio se transfixit. Is qui ascenderat, ac tyranni filium interemerat, tanquam tyrannicida præmium petit.

DECLAMATIO.

QVVM *duos tyrannos Iudices uno die peremerim, alterũ quidem iam ætate defectũ, alterum uerò florentem, eoq; ad scelerum successionem idoneum, adsum tamen unicum ob utrunq; præmium petiturus: idq; quum solus omnium qui unquam fuere tyrannicidæ, sceleratos duos uno ictu sustulerim atq; mactauerim: filium quidem gladio, patrem uerò nimio illo quo in filium ferebatur, affectu. Tyrãnus igitur ob ea quæ gessit,*

sit, satis nobis supplicij dedit, quippe qui & uiuens filium spectauit occisum, & tãdem (quod maximè præter omnem spem fuit) ipse sui coactus est tyrannicida fieri. Filius igitur à me peremptus est, inseruiuit autem mihi, etiam mortuus, ad aliam mortem: nam qui uiuẽs iniurias unà cum patre fecit, mortuus patrem ut potuit interfecit. Qui tyrannidem ergo sustuli, ego sum: ensisq; qui peregit omnia, meus est, ordinem tantum immutaui cædium, ac perimendi sceleratos nouaui modum: illum qui fortior erat, & qui ulcisci poterat, amolitus ipse: senem uerò soli relinquens gladio. Ego igitur ob ista etiam amplius aliquid à uobis expectabam, sperabamq; me præmia pro peremptorum numero suscepturum, ut qui uos non præsentibus tantum malis eripuerim, sed futurorum quoq; metu liberauerim, ac certè uobis libertatem præstiterim, nullo hærede scelerum relicto. At interim tot rebus à me præclarè editis, in periculum uenio, ne à uobis nullo præmio donatus abeã, solusq; mercede frauder, quam leges à me seruatæ statuerunt. Hic itaq; meus aduersarius, nullo Reip. studio, sicut ait, istud agere uidetur, sed eorum cæde commotus, ut in eum qui mortis eis causa fuit ulciscatur. Sed uos iudices auscultate paulisper dum tyrannidis mala (quanquam ipsi probè sciatis) expono: nam & hoc pacto melius beneficij magnitudinem cognoueritis, & magis item gaudebitis, reputantes quibus estis malis liberati. Neq; enim quemadmodum alijs plerisq; iam sæpe accidit, ita nos quoque simplicem tyrannidem & unicam seruitutem sustinuimus: neque unius

domini

domini libidinem pertulimus, ſed ſoli omniũ quos unquam ſimilis preßit infelicitas, duos unius loco tyrannos habuimus, & in duplices miſeri iniurias diſtracti ſumus. At moderatior admodum ſenex erat, & in ira mitior, & ad ſupplicia ſegnior, & ad libidines tardior: utpote ætate iam impetus eius uehementiam cohibente, & uoluptatum appetitiones refrenante. Et ad cauſas quidem facinorum inuitus à filio dicebatur impelli, quum ipſe non admodum tyrannicus eſſet; niſi quòd illi parebat: nam in filium (ut iam oſtendit) propenſus ſupra modum fuit. Omnia illi filius erat, illi obtemperabat: & iniuſtè fecit quicquid ille iubebat, & puniebat quos ille uolebat: in omnibus illi morem gerebat, ac deniq; ſub illius tyrãnide uiuebat, & ultroneus filij cupiditatum ſatelles erat. At iuuenis uerò honore ætatis gratia patri ceßit, & ſolo imperij nomine abſtinuit: cæterùm re ipſa tyrannidis caput ipſe fuit. Firmitas quoq; ac tutamẽtum principatus ab illo pendebat, quoniam & quod ex iniurijs prouenit, ſolus ipſe fruebatur. Ille erat qui ſatellites ducebat, qui cuſtodias regebat, qui ſubditos feriebat, qui inſidiatores terrebat. Ille erat qui ephebos rapuit, qui nuptias temerauit, cui uirgines adductæ ſunt: & ſi quæ cædes erãt, ſi qua exilia, pecuniarum expilationes, tormenta, contumeliæ, hæc omnia iuuenis fiebant audacia: nam ſenex ipſe obſequebatur, & comes in malis erat, & tantum filij ſcelera comprobabat. Et res quidem nobis intolerabilis facta eſt: nam quum animi libidines ab imperio ſumũt licentiam, nullum iniuriarum finem faciunt. At illud tamen

men nos urebat maximè, diuturnam, imò æternam potius futuram hanc seruitutem sciebamus, & tradendā per successionem Rempub. populumq; alij post alium domino ac scelerato hæreditatem cessuram. Alijs profectò non paruam spem hæc res facit, quod perpendere possunt, ac secum dicere: At iam cohibebitur, at iam morietur, ac paulo pòst erimus liberi. De illis uerò nihil tale sperabatur, sed iam nunc paratum imperij cernebamus hæredem. quamobrem nec susciperе negociū audebat fortium quisquam, qui tamen eadem mecum cupiebant: sed desperabatur omnino libertas, & inexpugnabilis uidebatur tyrannis, cum necesse esset tam multos aggredi. At me nihil ista deterruerunt, neq; perpensa negocij difficultate detrectaui, neq; periculum expaui. Solus quidem, solus aduersus tam fortē ac multiplicem tyrannidem, imò uerò non solus, sed cum gladio auxiliari conscendi, consorte etiam tyrannicidij, mortem præ oculis habens, sed propriam tamen cædē communi libertate compensans. Cum in primam ergo custodiam incidissem, ac satellites haud facile amouissem, obuium quenq; perimens, & quicquid obsisteret conficiens, in ipsum negocij caput ferebar, in ipsum unicum tyrannidis robur, in ipsam nostrarum calamitatum materiam: & in summa arcis custodia sistens, quum illum conspexissem sese generosè defendentem, atq; resistentem, uulneribus multis tamen interfeci: ac iam quidem sublata tyrannis erat, facinus confectum erat, atq; exinde protinus omnes liberi. Senex relictus est ille solus, inermis, custodibus exutus, magno illo satellite

tellite ſuo adempto deſtitutus, nec amplius ulla generoſa manu dignus. Ibi ego mecum Iudices talia cogitabam: Totum negocium meũ bene ſe habet: omnia peracta ſunt, omnia ſtrennuè perfecta ſunt. Quónam ergo iſte qui ſupereſt plectetur modo? Me ſiquidem ac dextera mea indignus eſt: præcipuè uerò facinore tam ſplendido ac iuuenili & generoſo confecto, cuius gloriam addita hac tam inerte cæde minuerem. Dignũ autem quærere carnificem quempiam oportet, uerũ poſt ærumnam, tum ne & hanc lucrifaciat uideat, puniatur, appoſitum tantum enſem habeat: huic ergo reliqua committo. Hæc ubi ſtatuiſſem, illinc amolior. Ille uerò ſicut ego antè diuinaueram fecit, ac tyrannum interfecit, fabulæq; meæ ſupremũ actum addidit. Adſum ergo populárem uobis gubernationem adferẽs, & omnibus ſecuritatem denuncians, ac libertatem fœliciter annuncians. Nunc igitur factis meis fruimini. Sceleratis enim (uti uidetis) arx uacat, imperat autem nemo, ſed & honores tribuere licet, & iudicare, & ex legibus contradicere: atq; hæc uobis ex me, atq; hoc facinore meo profecta ſunt: atq; ex illa una cæde, poſtquam pater haud amplius uiuere potuit. Dignum igitur ob iſta cenſeo, debitum à uobis mihi præmium dari: non quòd ſtudioſus lucri ſim, aut qui parua magnipendã: neq; quòd ob mercedẽ de patria benemereri in animũ induxerim, ſed quòd mea officia cupiã ueſtro præmio eſſe comprobata, ne deſpectus ſit, néue inglorius fiat meus conatus, tanquam à uobis mancus, & præmio iudicetur indignus. At iſte contradicit, & me præter æquum

quũ ait facere, qui honorari uelim, ac præmiũ referre: non enim esse me tyrannicidam, neq; factum à me quicquam secundũ legem esse, sed facto meo quiddã ad præmium petendũ deesse. Rogo igitur eum, quid reliquũ à me desideras? non uolui? non ascendi? non peremi? non liberaui? num imperat quisquam? num iubet quisquã? num dominus minatur quisquam? num me maleficorũ effugit quisquam? non dixeris. Sed omnia pacis plena, & leges omnes redditæ, & manifesta libertas, & popularis gubernatio firma, & coniugia inuiolata, & pueri extra periculum, & uirgines tutæ, & festas agens ferias ob cõmunem fœlicitatem ciuitas. Quis est igitur horum omnium causa? quis illa sustulit, ista præbuit? Etenim si me quisquam est hoc honore dignior, illi hac mercede cedo, ac præmio isthoc abstineo. Sin uerò solus ego cuncta peregi, audẽs, periclitans, adoriẽs, interimens, puniens, alterum in altero ulciscens: quid mea calumniaris officia? quid ingratum erga me populum facis? At ipsum non occidisti tyrannum: lex autem tyrannicidæ præmium statuit. Interest ergo quicquam, dic mihi, an ipsum perimas, an mortis ei causam præbeas? Ego certè nihil puto, nempe hoc solum legislator spectauit, libertatem & popularem statum, ac sceleratorum amolitionẽ: istud honorauit, istud gratia dignũ censuit, quod factũ à me non esse non queas dicere. Si enim illum occidi, quo occiso iste non potuit uiuere, ipse nimirũ mactaui. Cædes mea, manus illius erat. Ne nimium ergo curiosè de mortis modo disputes, neque examines quomodo interijt: sed an amplius non sit, an

per

per me est,quòd amplius ille non est. Quandoquidem hoc quoq; mihi uideris excussurus, & sycophantam in benemerentes acturus,si quis non ense, sed lapide,lignóue,aut alio quopiam modo peremisset. Quid uerò si tyrannum fame obsessum,ad mortis necessitatem adegissem? etiam ne tum requireres meamet manu peractam cædem? alioqui deesse adhuc aliquid mihi ad legem implendam diceres? atq; id grauiore supplicio interfecto malefico? Vnum solum examina, istud interroga,in hoc curiosus inquire,quis facinorosorum superest? quis iniuriæ metus imminet? quæ uestigia calamitatum? Sin uerò purgata sunt ac pacata omnia: sycophãtæ est,modum rerum calumniantẽ, uelle præmio ipsis factis debito fraudare. Ego siquidem hoc quoque in legibus declaratum memini (nisi forsan ob longam seruitutẽ sim quæ in illis dicuntur oblitus) causas mortis duas esse:siue quis ipse occiderit:seu si quis ipse quidem non occiderit, neq; manu rem gesserit, coegit tamen,atq; occasionem necis dedit: æqualiter hunc etiã lex plectendum censet,atq; admodum quidẽ iustè:nam præbitam interitus causam nihilo iudicauit ipso facto minorem. ac reliqua iam de modo necis quæstio superuacua est. Illum ergo qui sic occiderit,puniendum tanquam homicidam æquum censeas,absoluiq; nullo pacto uelis:qui uerò eodem quo ille modo ciuitati benefẽcerit,indignum benemériti præmio duces? Neq; enim istud poßis dicere,me uidelicet id fecisse tantum: bonũ autem exitum quendam temerè non me id destinante, consequutum. Quid ergo pertimuissem amplius, eo

qui

qui fortior erat interempto? Quid in uulnere gladium reliquissem, nisi idipsum omnino quod erat futurum prædiuinassem? Nisi hoc fortasse dixeris, quòd qui peremptus est, tyrannus non erat, neq; hoc nomen obtinebat, neq; multa uos ob id libenter, si necaretur, præmia dedissetis: sed hoc nunquam dices. Ergo interempto tyranno, illi qui causam præbuit non reddes præmium? ô curiositatem: quomodo necatus est curas, quũ libertate fruaris, aut ab eo qui democratiam restituit, amplius aliquid postulas? Atqui lex (ut dicis) ipsum rerum caput examinat, media autẽ omnia ualere sinit, neq; ultrà curiosius inquirit. Quid enim, qui in exiliũ tyrannum compulisset, non honorem iam tyrannicidæ tulisset? Imò ac ualde quidem iustè: nam & ille libertatem pro seruitute præstitit. At quod à me factũ est, non exilium, nec redintegrandæ rebellionis metus, sed omnino perfecta sublatio est, & generis illius uniuersi internicio, ac totius mali radicitus excisio. Ac nunc per deos omnia mihi ab initio in finẽ usq; (si uidetur) excutite, an prætermissum quicquam ad implendam legem fuerit, & an quicquam mihi defuit, quod adesse tyrannicidæ debuit. Ante omnia igitur animum adesse generosum decet, atq; Reip. studiosum, paratumq; pericula pro communi cõmodo subire, ac propria morte multorũ salutem redimere: ergo ad id mihi quicquam defuit? An animo fractus sum? an pericula prospiciens, per quæ mihi uadendum erat, detrectaui? non id dixeris. Mane ergo in hoc solo, ac me finge ex eo solo quod uolui, atq; isto consilio fui, etiam si nihil inde boni proueniisset,

uenisset, tamen ob mentem ipsam assurgentem præmiũ tanquam benemerentem petere, quum tamen ego non potuerim, sed alius me sequutus tyrannum occiderit, absonum (dic mihi) aut absurdum esset tribuere: maximeq; si dicerem, ô uiri, uolui, cupiui, aggressus sum, atque animi mei signa dedi: solus honore dignus sum. Quid tum respõsurus esses? Nunc uerò nõ id dico, sed & ascendi, & periclitatus sum, atque innumerabilia priusquã adolescentem peremerã feci. Neq; enim rem usqueadeò facilem esse suspicemini, custodiã superare, ac satellites opprimere, unumq; tot uiros auertere. Sed fermè maximum in tyrannicidio, atq; ipsum rei caput istud est. Nam ipse quidem tyrannus, non magnum opus est, neq; magno negocio conficiendum, neq; expugnatu difficile, sed ea potius quæ muniunt ac tuentur tyrannidem, quæ qui uicerit, is omnia peregerit: nam reliquum quidem parum est. Siquidem istud ad tyrannum usq; penetrare, nequaquam licuisset mihi, nisi custodum qui eos cingunt, ac satellitũ omnium uictori, ac nisi eos omnes prius deuicissem. Nihil amplius, adijcio, sed ijs rursus immoror. Custodias superaui, satellites inquam, tyrannũ incustoditũ, inermem, nudũ reddidi. Ob hæc'ne honore tibi dignus uideor? an adhuc à me cædem postulas? Atqui si cædem etiam quæris, nec istud quidem deest. Neq; enim incruentus sum, sed per petraui magnã ac nobilem necem iuuenis florẽtis atq; omnibus metuendi, per quem etiam ille tutus ab insidijs erat, quo solo confidebat, qui multorũ loco satellitum suffecit. Quid tum ergo, num præmio dignus

sum?

sum? num tantarum rerum honore fraudabor? Quid enim si satellitem, unum si ministrum quempiam tyranni peremissem? quid si seruum honoratiorem? an non magnum etiam hoc tibi uideretur ascẽdere, atq; in media arce, in medijs armis aliquẽ ex amicis tyrannii conficere? Nunc autem etiã illum qui peremptus est considera: filius erat tyranni, imò tyrannus grauior, ac dominus inclementior, ac tortor crudelior, extortor uiolentior. Tum quod maximum fuit, hæres omnium atq; successor: postremò, qui in longũ poterat nostras calamitates extendere. Vis ne hoc me solũ fecisse, tyrannũ autẽ ipsum adhuc ereptum fuga uiuere? Munus ob ista peto. quid dicitis? non dabitis? Non illum quoq; suspexistis? non dominus? non grauis? non intolerandus erat? Nunc uerò etiã caput ipsum intelligite. Quod enim iste à me flagitat, id quàm optimè fieri potuit, peregi, ac tyrannũ alterius nece necaui, non uulgariter, neq; uno ictu, quod illi post tot scelera maximè fuit optandum: sed dolore multo prius exagitans, & in oculis ostendẽs miserè prostrata, quæ illi fuerant charissima, filiũ quanquã malũ, tamen ætate florentẽ, ac patri similẽ, sanguine ac tabo plenũ. Hæc sunt patrũ uulnera, hi legitimorũ tyrannicidarũ gladij. Hæc tyrannis crudelibus digna mors, hoc supplicũ sceleribus tantis debitum. Nam illicò mori, illicò nescire, nullũ tale spectaculũ cernere, nihil habet tyrannica pœna dignum. Non enim ignorabam (te appello) non inquam ignorabam, imò nec alius quisquam quantum ille erga filiũ gerebat affectum, & quòd post illum uiuere ne paulum

lulum quidem dignaretur. Atq; omnes fortasse patres sunt in filios eiusmodi. At hic certè aliquid supra cæteros habebat, idq; meritò, quippe qui illum solum uidebat ducem seruatoremq; tyrannidis, solumq; pericula patris præoccupantem, ac firmitatem imperio præstãtem. Vnde etiam quanquam non ob amorem, at ob desperationem saltem statim illum sciebam moriturum, quum cogitaret inutilem sibi uitam futuram, securitate quam illi filius præbebat ablata. Omnibus igitur illum simul circumsepsi, natura, dolore, desperatione, terrore, ac temporum etiam futurorum metu. His in illum commilitonibus usus sum, & ad ultimum illud cõsilium coegi. Interijt nobis orbus, afflictus, dolens, lachrymans, luctum lugens, breuem quidem, sed qui patri sufficiat, & quod grauissimũ est, ipse à seipso, quod mortis genus omnium est miserrimum, multoq; acerbius quàm si inferatur ab alio. Vbi mihi gladius est? nũ quis illum agnoscat alius? num cuiusquam alterius telum est? quis illum in arcem duxit? ante tyrannum quis usus est? quis illum tyranno misit? O' ensis mecum communicans, rerum à me bene gestarũ successor, post tot discrimina, post tot mortes despicimur, & indigni præmio uidemur. Si enim ob istud solum hunc à uobis honorem peterẽ, si dicerem: O' uiri, tyranno mortem cupienti, ac tum inermi fortè deprehenso, meus iste sub seruiuit gladius, atq; operam suam ad consequendam libertatem commodauit omnibus: honore ac præmio indignum putassetis? dominum tam popularis rei non retaliassetis? non inter benefactores inscripsissetis? non

inter

inter ſacra gladium ipſum repoſuiſſetis? non ſecundũ deum illum coluiſſetis? Nunc mecum cogitate, qualia tyrannum ipſum ante mortem & feciſſe, & dixiſſe ſit ueriſimile, quum filium perimerem, ac uulneribus multis in parte corporis conſpicua perfoderem, quo uidelicet genitor ureretur, atq; aſpectu primo ſtupeſceret, miſerabiliter exclamauit atq; inclamauit patrem, non ut auxiliator eſſet aut cõmilito, quippe qui iam ſenex erat atq; inualidus, ſed domeſticorum malorum ſpectator. Ego illinc digredior, totius quidem tragœdiæ autor. Reliqui uerò hiſtrioni cadauer, & ſcenam, & enſem, ac cætera quæ fabulæ ſupererant. At ille quum adeſſet, ac uideret filium quem habebat unicum, uix reſpirantem, lacerum ac morte plenum, uulnera quoq; illa denſa, ac multa, & letalia gerentem, ſic exclamauit: O' nate, ſublati ſumus, interempti ſumus, tyranni cæſi ſumus: ubi iſte interfector eſt? ad quid mihi parcit? cui me reſeruat malo per te iam fili præmortuum? niſi me fortè utpote ſenem contemnit, & lentè me perimere decreuit: ac mortem mihi producit, ut necem mihi faciat longiorem. Et ſimul iſta dicens, enſem quærebat: ipſe autem erat inermis, ut qui omnem in filio ſpem repoſuerat. At ne is quidẽ defuit: iamdudum enim à me antè præparatus erat, atq; ad facinus futurum relictus. Ergo ex corpore euellens, & ex uulnere gladium eximens, iamdudum me occidiſti, peremiſti, nunc uerò mihi finem facito. O' enſis, inquit, patri lugenti conſolator ueni, atq; infœlicem ſenis manum adiuua, iugula tyrannum, perime, ac luctu ſolue. Vtinam in te prior

incidiſſem, utinam ordinem cædis incepiſſem, cecidiſſem quidem, at ut tyrannus tantum, at ultorem ſperans: nunc uerò ut ouis, nunc uerò ut etiam carnifice egens. Et hæc ſimul dicens, uulnus intulit tremulus, impotens, cupiens quidem, inualidus tamen ad facinoris miniſterium. Quot ſunt iſta ſupplicia? quot uulnera? quot mortes? quot tyrannicidia? quot præmia? Et tandem uidiſtis omnes iacentem iuuenem, opus neq; paruum, neq; facile, ſenem uerò illi circunfuſum, cruorem utriuſq; inhærentem, atq; illam libertatis & uictoriæ parentem libitinam, & noſtri enſis operam: enſem uerò ipſum inter utrunq; monſtratum, declarantẽ quàm non indignus domino ſit, teſtantemq; quòd mihi ſit fideliter obſequutus. Hoc ſi ego feciſſem, obſcurius fuiſſet, nunc uerò redditur ipſa nouitate ſplendidius. Qui tyrannidem ergo omnem ſuſtuli, ego ſum: opus autem in multos diſtributum eſt, quemadmodum in fabula. Atq; ego primas quidem partes ego, ſecundas uerò filius, tertias tyrannus ipſe, enſis autem ſubſeruiuit omnibus.

DECLA-

DECLAMATIO

THOMAE MORI, LVcianicæ respondens.

NON putaueram Iudices, ei qui (id quod ego nũc facio) publicã causam suscepisset agendã, opus fore, ut quur id facere instituerit, rationem reddat: neq; enim ullũ fore periculum, ne id malicia potius aggressus, quàm pietate uideatur, quũ hoc certissimum præbeat magnæ integritatis argumẽtum, quòd aliorum omnium cõmodis elegerit suo priuato labore consulere. Quod quanquã omnes istiusmodi causarum patronos meritò posse existimẽ ab omni calumniæ suspicione defendere, me tamen omnium meritissimè, qui ut omnibus prosim, non solum hũc mihi laborem desumpsi, sed inimicitias etiam cum eo uiro contraxi, qui se tyrannos quoq; iactat occidisse. Sed quoniam nihil tam rectè cœptum esse uideo, quod non improborum uellicet ac deprauet iniquitas, & quosdam iam nunc musitantes audio, qui istius oratione persuasi, hoc meum officium in peiorem partẽ rapiũt: sta tui Iudices uobis huius actionis meæ causas exponere, ne quis industriæ meæ malignus interpres eam dolori, odio, uel inuidiæ conetur asscribere. Ac primum, quid est quur tyranni mortẽ dolere puter? nam id iste mihi nuper obiecit, probationem uerò nullam attulit, dixisse tantum contentus, & credi sibi sine argumẽto,

ſine teſte poſtulat: imò, inquit, niſi doleres, niſi tyranni mortem ulciſci cuperes, mecum non contenderes. Ergo eo ſolo lugere me tyranni mortem probas, quòd tibi ob eius necem, præmium iniuſtè petenti, ego me iuſtè oppoſui? Vis uidere quàm nihil dicis? Si te tyrannum occidiſſe probes, ego tecum litigare, nec ſi uelim poſſem, nec ſi poſſem uelim. Nunc uerò quid aliud contra te dicturus ſum, quàm quòd illũ non occidiſti? Si tu interfeciſſes, nihil quererer, imò laudarẽ, admirarer, ac præmium primus decernerem: nunc uerò ideo tibi cõtradico, ideo tibi honorẽ denego, ideo aduerſor, ideo queror, quia tyrannũ non occidiſti. Nũ igitur occiſum protinus dolere uideor? Oſtendiſſe potius Iudices debuit, me tyranno fuiſſe uel ſanguine coniunctũ, uel affinitate propinquum, uel beneficijs deuinctum, uel ſcelerum cõmunione fœderatũ. At iſtorum quicquã ne fingere quidem potuit: ergo ſi neq; cognatus illi, neq; affinis fui, ſi mea opera nunquam in cuiuſquam iniuriam uſus eſt, ſi ab illo beneficij nihil in me collatum eſt, ſi me acerba ſeruitute cũ cæteris ſimul oppreſſit, ſi me illius interitus libertati uobiſcum unà reſtituit: quid cauſæ eſt ut illius mortẽ meæ ſalutis ac libertatis auſpiciũ doleam? At odij certè tantũdem cauſæ eſt. Nam quid egit quòd odium in illum prouocaret meum? Primò tyranni filiũ interfecit: poſtea uerò tyranno ſibi manus inferente, iſte præmium tanquam tyrannicida petijt: quorum alterum, puta quòd iuuenem peremit, quanquam idipſum parũ conſultè, parumq; ex cõmuni cõmodo fecerat, niſi dij nobis fuiſſent propitij, fecit ille tamẽ animo

mo (quantũ ego certè ſuſpicor) non malo. Alterum uerò, nempe quòd præmiũ poſtulat quum non meruerit, ut nunc ſunt hominum ingenia, non miror, & ignoſco certè, modò poßit auferre. Neutrũ iſtorum odiũ in illũ meum concitat. Extra hæc nihil unquam fecit, quod ad me ullo modo pertineat: ergo tã iniquus ſim, ut hominẽ uix tandem ſatis aut de facie, aut fama notũ, qui me nec re offenderat, nec uerbo læſerat, gratis odio perſequerer? Reſtat inuidiæ diluenda ſuſpicio, quæ talis eſt, ut nullo malo carere uelim libẽtius. Nã quũ omnia uitia ſint ſuapte natura perniciosa, nullum tamẽ eſt liuore peſtilẽtius: quodq; pectus, cui ſemel inſederit grauioribus tormẽtis exagitet. Nempe alterius fortunam, ſuũ infortuniũ ducere, ſecũdis aliorum rebus æſtuare, alienis laudibus uri, aliena felicitate torqueri, an non ſumma miſeria, non extrema dementia eſt? Itaq; ſi à quoquam alio uitio Iudices abſum, ab hoc certè longißimè abſum. Cuius unquam fortunas impetij? Cuius res bene geſtas eleuaui? Cuius laudibus unquam detraxi? Cuius famam labe reſperſi? Certè ab huius uitij ſuſpicione ſi me mediocris iſta fortuna mea non aſſerit, quæ nõ tam inops eſt, ut aliorum opibus ac præmijs inuideã, ſi me anteacta uita nõ uindicat: quæ non uſqueadeò eſt rerũ bene geſtarũ indiga, ut aliena debeam laude tabeſcere: at ipſa me hercle cauſa prorſus abſoluit: quæ talis eſt, ut potius omnium ueniam, quàm cuiuſquam mereatur inuidiam. Quæſo iudices, quod tandẽ odij ſignũ, quod inuidiæ documentũ præ me fero? Nõ prouoco, nõ iraſcor, nõ accuſo, urbẽ tantum in ius uocatam ab illo de-

fendo. Sed quur ſedentibus ergo cæteris, ac tacentibus uniuerſis, atq; in his multis & clariſſimis uiris, & autoritate præſtantibus, & multo ad dicendũ inſtructioribus, ego potiſſimũ ſurgo, & petenti præmia cõtradico? Illi ipſi profectò quin mecũ ſentiant non dubito: & quin ex his pleriq; ſint, qui hoc ipſum officiũ, niſi ego iã ſuſcepiſſem, libenter fuerint obituri: neq; tamen ideo culpãdus ſum, quòd me pro patria primus obtulerim. Quicquid eſt, alieni ſilentij cauſas nõ debeo: me certè ad dicendum cùm Reipublicæ cauſa, tum deorum immortalium reſpectus incitabat: nempe quum uiderem ſatis tenues ærarij noſtri prouentus, præſentem pecuniam nimis exiguã, tum inſtare multas neceſſarij ſumptus occaſiones, non ferebã uti ciuitas hoc inſuper non neceſſario ſumptu mulctaretur. Tyrannicidij præmiũ quantum ſit non ignoratis, ac meritò quidẽ: quod enim precium ſatis grande ſit, quo agri, foci, fortunæ, liberi, cõiuges, ſalus, ac libertas omnium, poſtremò ipſæ deorum aræ atq; templa redimũtur? Quod quo maius atq; urbi oneroſius eſt, eo magis à nobis proſpiciendũ eſt ne temerè collocetur. Satis Iudices, ſatis impẽſæ ac ſumptus imminet, ſatis effundendũ eſt, ut ærarium noſtrũ tam profundè, non iſte etiam cui nihil debemus, exhauriat. Præterea quum hoc tyrannicidium ſola deorum clementia prouenerit, quo toties inclamati calamitatũ tandem noſtrarum miſerti, crudeliſſimi nos iugo tyranni ſoluere, ac libertati reddere uoluerunt, non ferẽdum putaui ut ciuitas honorẽ gratiamq; dijs merẽtibus ablatam, homini non merẽti tribueret. Totum autem hoc

negocij

negocij fortunæ deorũq; benignitati deberi, huic nihil gratiæ, apertißimis argumentis docebo: quod dũ facio, quæso Iudices diligẽter attendite. Tria ſunt quorũ iſte quodlibet ſufficere ſibi ad hunc honorem cõſequendũ putat, uel quòd tyrãni peremit filium, uel quòd tyrãnũ tẽtauit occidere, uel quòd pater filij nece cõmotus, enſe quẽ iſte reliquerat, mortẽ ſibi cõſciuit. Ergo illius adoleſcẽtis cædes tyrannicidiũ uidetur? Quid ni? nẽpe & ille (inquit) tyrãnus erat. Quis id credat Iudices, urbẽ unam duobus ſuffeciſſe tyrãnis? duos tyrannos inuicẽ concordes eadẽ incoluiſſe mœnia? unius urbis ambitu potuiſſe contineri, quorum alterutri uix uel orbis uniuerſus ſufficerit? Quiſquis id credendũ duxerit, is mihi parum uidetur tyrannicam conſiderare naturam: nam legitimæ quoq; poteſtates, ac non ſolùm legibus gubernantes, ſed etiam legibus obtemperantes, ac tyrannide tanto interuallo mitiores, ambitione tamen ita uincuntur, ut nec uel intimorum amicorum uitæ parcant, potius quàm eos habeant imperij ſui cõſortes. Quis tyrannum credat naturà ferum ac uiolentum imperij ſui, cuius ardore hominum leges protriuerit, deorum contempſerit, uitam neglexerit, ſocium quenquam admittere? Quin brutorum quoq; pleraq; fermè, quæ (quod tyrannorũ propriũ eſt) rapto uiuũt, quibus ſolius pabuli cura impreßit aliqua tyrannicæ naturæ ueſtigia, in proprios fœtus ſæuiunt, potius quàm ſocios illos uenatiõis accipiãt. Et hominẽ tyrannũ putamus, quẽ faſtus inflat, ambitio ſtimulat, cupiditas urget, gloria ſollicitat, ſuã cum quoquã poſſe cõmunicare tyrãnidem? At

iſte

iſte non ſolũ duos tyrannos facit,ueruetiam adoleſcentem plus quàm tyrannũ uult uideri: nã ciuibus atroces (inquit)iniurias fecit,cæde,rapina,ſtupro, omnib. deniq; ſcelerum formis inſignis. Nomine quidem abſtinuit, cæterùm re ipſa tyrannidis caput erat,ac parente plus potuit,eum ut uolebat rexit. At longè cõtrà ſe res habet Iudices:nimirum impotens ſemper ac formidolosa res tyrannis eſt. Neq; filius profectò patrem tuliſſet ſi poſſet,neq; filio tantũ permiſiſſet pater ut poſſet. Nemo tyrannis eſt hærede ſuſpectior,qui eo maiorem parenti metum incutit, quo magis ferocem eius indolem ac tyrannicos mores expreſſerit. Continebat ergo filij ſui cupiditates,atq; adoleſcenti ſtringebat potius quàm laxabat habenas, ne uiribus nimium inualeſcens iuuenis,imperij auidus,atq; opibus inſolens, nec ſibi iã imperans,tandem ne parenti quidẽ parceret, quin iã Saturno ſuperi Iouẽ præferrent. Nam ſi iniurias interdũ fecit,quid aliud quàm ſe parenti ſatellitem præbuit? ex quibus quotuſquiſq; eſt,qui non graſſetur: nuptias uiolet,domos compilet,phana diſpoliet,obuios cædat,atq; optimum quenq; trucidet? Sed quoniam unus eſt,cuius potentia atq; umbra freti,tam ſcelerata graſſantur audacia,pœnas alioqui facinorum ſuorũ uel illi,uel publicis legibus daturi,ipſi quidem latrones, homicidæ, fures, adulteri: ſolus autem unus ille ſcelerum princeps, ſub cuius nomine omnes impunè deliteſcunt, tyrannus eſt. At ille adoleſcens ſi quando patrabat aliquid atrocius patrẽ ſemper ſic imperaſſe dicebat: neq; ego quin imperarit dubito. Nam filius quanquam ea indole fuit,

ut

ut parentem aliquando uideretur(si ad tantam peruenisset ætatem)flagitijs ac sceleribus æquaturus,tamẽ in hac adolescẽtia præ illius crudelitate ac sæuitia quibus iã à puero semper assuetus insenuerat,rudis adhuc miles,ac uix tyro fuit, neq; ferè magnũ quicquam, nisi à patre iussus atq; edoctus agebat. Sed siue nõ nisi iussus illa faciebat,siue ipse etiam iniussus audebat, tamẽ quũ tanquam iussus egerit,quum neq; tyranni nomen usurparit, neq; se pro tyranno gesserit, sed patri se parêre significarit, et ausorum suorũ causas in illum retulerit, quum alium se potentiorem esse cõfessus sit,cuius uiribus fideret,à quo omnis eius penderet impunitas: furẽ si uelis,aut sacrilegũ,uel si quod aliud nomẽ mauis,appelles:at is profectò non est, in quo fieri tyrannicidiũ potest. Quòd si illũ omnia solũ potuisse, ac re ipsa tyrannum fuisse cõtendas,& (quod paulo antè iactabas) illicò eius morte liberam fuisse rempublicam,fingamus obsecro adhuc parentẽ uiuere, sed nõ fugatum tamen: quod nescio quur ipse finxisti, quippe quẽ nec ipse fugaueras,nec quur ei fugiendũ esset effeceras.Filio enim tantum per insidias adempto,reliquis uiribus integris, non uideo quur patri magis desperandum,aut fugiendũ fuerit, quàm si aut filius ei natus nõ fuisset, aut peste correptus obijsset.Patrẽ ergo fingamus (ut dixi)uiuentem,ac filio quidẽ unico orbatũ,sed satellitũ tamen caterua cinctũ,cædem filij lachrymantẽ: sed interfectori minantem, atq; omnia suppliciorum genera destinantẽ,in forum uultu tristi quidẽ, sed tamen truci procurrere,& prolato quẽ tu reliquisti gladio, ingẽtia polli-

ceri

ceri præmia, si quis eius ensis dominum prodiderit: hic tu foro iam ab illo atq; eius satellitibus occupato, & in caput tuũ quæstione iã haberi cœpta, in publicum fortis tyrannicida procurre, & in medios globos irruens tyrannũ te occidisse proclamita, libertatẽ omnibus denuncia, ac tyrannicidij præmium postula. Quid fugis? quid latebras quæris? quid tyrannicida metuis? An nõ libera est Respublica? an non tyrannus occisus est? Neq; ergo is quem peremisti tyrannus erat, sed quidã potius tyranni satelles: neq; eius morte ciuitas libertati restituta est, quod solum paulo antè dicebas huius legis spectasse latorẽ. At hæredẽ (inquit) occidi. Quid mihi hæredes nominat? quid in tyrannide leges memorat? Legum ista nomina sunt: Iuris est ista successio. An piratæ filium si demortui patris locum impleuerit, hæredẽ quisquam dixerit? Intestatus semper tyrãnus moritur, quippe legibus ab illo captiuis, quæ solæ ratum facere testamentum possunt. Proinde qui defuncti locũ tyranni subit, hæres non est, sed nouus tyrannus. Non enim succedit, sed inuadit. At illi nunc paruissemus. Istud quî constat? Ego contrà tyranno mortuo populum ilicò liberum esse dico. Alioqui frustra lex tyrannicidæ præmium statuit, si alterius morte in alterius potestatẽ recidimus. Sed lõgè secus Iudices. defuncto enim quolibet casu tyranno, populus iam tum liber dum amici luctu occupantur, dum stupent eius morte satellites, ilicò sese in libertatẽ asseruisset, neq; plus filius aduersus populi uires tum ualuisset, quàm nũc potest quisquam, uel ex amicis tyrãni potentissimus, aut genere quisquis ei fuit

post

post filium proximus, ad quẽ, si successionis nomẽ atq; hæreditatis audiendum est, tã nunc tyrannis pertinet, quàm ad filiũ pertinuisset. Qui satellitẽ igitur, qui amicum, qui cognatum, qui filium tyranni peremerit, frustra tyrannicidium iactauerit. Tyrannus ipse solus est, cuius necem tãto præmio Respub. mercatur. Sed uolui (inquit) pertentaui, periclitatus sum: quod negari ne possit, filio tyranni perempto, spe futuræ tyrãnidis extincta, præclarum animi mei documentum reliqui, uel hoc solum sufficere mihi ad hunc honorẽ puto. Hic uide obsecro quàm nihil maleuolè, quàm simpliciter agã tecum omnia, quàm ex re tua totum hoc negocium minimè suspicioſus interpreter. Nam si alius hanc ageret causam, nec tamẽ ex inimicis tuis, sed ex acriorib. istis actoribus quispiam qui locos omnes excutiunt, et suspicionibus urgent, ac molestè nimiũ premunt: sic hercules hũc tractaret locũ, ut te nec id tẽtasse unquã, nec destinasse contenderet. Quòd si tu uociferareris mirari te quenquam tam insigni esse impudentia, ut talia dicere occiso in ipso conatu tyranni filio audeat, hic ille protinus quasi fieri non potuerit (inquit) ut non patriam liberaturus, quod non præstitisti, non tyrannum occisurus, quem non attigisti: sed ipsum potius iuuenẽ quẽ trucidasti perempturus, ascenderis: illatã tibi priuatim aliquam ulturus ac retaliaturus iniuriam. Hic si instaret, urgeret, premeret, ac certas aliquas probationes illius animi tui ac propositi flagitaret, uides (ut opinor) in quantas trahereris angustias. Sed ego tecũ hoc pacto non agam, quippe qui in rebus (cuiusmodi ista est)

uehementer

uehementer obſcuris, aſſueui ſemper in meliorem partem eſſe procliuior. Permitto itaq; tibi, ut iſta feciſſe animo in Remp. propenſo uidearis. Voluiſti ergo, ac tẽtaſti prorſus auferre tyrannidem. Hoccine tibi uidetur iſto præmio cõpenſandum? Primùm quòd uoluiſti, quis non uidet quàm ſit exiguum? Nam hac ratione omnes tyrannicidij præmium peteremus. Quis enim tam frigido in Remp. animo fuerit, ut tyrannum crudeliſſimũ nõ libenter auferre uoluerit? Tentãdo uerò quid aliud declaraſti, quàm quòd eſſe tyrãnicida uoluiſti? Quòd te præterea periculis expoſuiſti, an id præmiũ meruerit ullũ, poſtea uidebimus: quòd autem iſtud non meruerit, ſpero uobis Iudices eſſe uel ſola legis recitatiõe perſpicuum. Quæ quum præmium niſi tyrannicidæ non ſtatuat, qui uerò tyrannum non cæciderit, eſſe tyrannicida nõ poßit: quãtumlibet quiſpiã tentauerit, quantiſcunq; ſeſe periculis expoſuerit, fruſtra tyrannicidij præmium, niſi cæſo tyranno, petierit. Nam ei qui dum conatur occidere, in exilium compulerit, præmiũ quidem: ſed neq; tantum, neq; tanquam tyrannicidæ decernam. Etenim ſi morbo quopiam laborans denunciẽ, quicunq; me ſanauerit, ei recuperata ualetudine, tria me talenta daturum, ueniat aliquis ſpe mercedis inductus, qui mei curam ſuſcipiat: deinde medicamẽtis quibuſdam adhibitis, ubi fruſtra ſe conari ſenſerit, artem ſuam morbo uictam confeſſus, me iam deploratum relinquat, aliqua tamen moleſtiæ parte leuatum: ſanitatis illi mercedẽ, quia nõ ſanauit, non debeo: rurſus quia profuit, inanem prorſus à me dimittere haud æquũ eſt.

At

At si post mille pharmaca, nihilo tamen melius habentẽ destituat: præmij nihil meretur, qui nihil iuuit: gratiæ uerò tantundem ferè, qui quod mederi tentauit, sui gratia, nõ mei fecit. Quòd si insigniter Medicæ artis ignarus, rẽ tamẽ aggredi fuerit ausus, atq; aliquãtisper miserè uenenis adfectũ postea dimittat: quũ iã non modò nihil opis tulit, sed plurimũ doloris addidit, etiam si sese gratis obtulerit: utrum amore dignus est, quòd me suo labore tam diu nulla præmij spe tam officioſè uexauit? an summo potius odio, quòd temerè sese meo periculo ei negocio, cuius erat imperitus, immiscuit? Huic rei Iudices haud multũ mihi uidetur præsens causa dissimilis. Lex enim tyrannicidã conducere uehementer alicunde studet, eiq; præmium certũ, tyranno cæso, pollicetur. Sed tyrannicidam quum dicit Iudices, hominem quærit artificem: non manu tãtum fortem, sed pectore quoq; multo magis ualentem, consilio potius quàm uiribus præstantem: qui insidias tendere, laqueos abscondere, occasiones captare nouerit. Ergo hanc prouinciã si quis huiusmodi susceperit, qui tyrannum ipsum arte & insidijs adoriatur, adorsum opprimat, oppressum interimat, nec re cœpta semel, nisi perfecta desistat: hic tyrannicidij præmium audacter postulet. Sin id quidẽ non potuerit, quod autem proximum est, & confine, fecerit: tyrannum uidelicet uel in exilium abegerit, uel ad deditionem condonata uita coegerit, uel ad deponendam tyrannidem certa conditione compulerit: hũc ego præmio dignum, neq; nullo quidem, neque tamen tyrannicidæ iudico. At si quis manu potens, mentis

inops, illarum penitus ignarus artium, quibus inſtructum eſſe tyrannicidam oportet: qui rem uiribus egere tantum, ac non conſilio putet: qui deniq; Aiaci multo ſit, quàm Vlyſſi ſimilior. Sed Aiaci tamen iam abiudicatis armis inſanienti, armenta hominũ loco trucidanti. Si huiuſmodi, inquam, quiſpiam rem tantam conficiendam ſibi deſumpſerit: tum nec inſidias collocans, nec tempus eligens, nec occaſionem expectans, impetu quodam proruat: nec ab ipſo tamen tyranno incipiat, ſed in ſatellites eius inſiliat, dato interim illi ſibi cauendi loco. Tum ſubducto tyranno, re temerè cœpta, ſtultè geſta, per ignauiam relicta, ac penitus infecta: ſola ſibi fuga, abiecto etiam gladio conſulat. Poſtea uerò uel defuncto, uel interfecto tyranno, in publicum prodeat: præmium tanquam tyrannicida poſtulet, atq; huiuſmodi utatur oratione. Volui Iudices, auſus ſum, tentaui, periclitatus ſum. Vtrum Iudices illi tyrãnicidij præmiũ decerneretis, quia tyrannum tentauit occidere? an malam potius gratiam haberetis, ac dignum etiam ſupplicio duceretis, quòd ſua temeritate non ſe ſolum fruſtra periculis obiecerat, ſed urbem etiam uniuerſam in ſummum diſcrimen unà præcipitauerat: utpote qui tyrannum ſtultè irritando fecerit & ciuibus infeſtiorem, & aduerſus inſidias cautiorẽ? Videtis ergo Iudices quemadmodum id quod iſte uel ſolum ſatis eſſe confidebat, uſqueadeò nihil adiuuat, ut etiam nonnihil officiat. Quamobrem ſi neq; is, quem peremit, tyrannus fuit: nec ſatis tyranni filium occidiſſe fuit: tentaſſe uerò temerè, plus quàm fruſtra fuit: reliquum eſt, ut ultimum illud,

illud, tyranni uidelicet ipsius mortem, excutiamus, quam iste sibi nos debere disputet. Hoc totius negocij caput est, hoc si uobis iste persuaserit, causæ nihil est quin uicerit. Contraq; si ego hanc partem uicero, atque sacram hanc, quod aiunt, anchoram illi præciderо, non ne ilicò necesse est fluctuet, ac naufragio pereat? Idcirco Iudices hic etiam atque etiam obsecro, ut quàm maximè sitis attenti, dum tyranni cædem doceo, ex qua tota ista pendet controuersia, nihil ad istum quicquam pertinere. Totum ergo hunc locum Iudices sic ab isto tractatum esse meministis, ut qui uobis persuadere cuperet, uti crederetis eum iam tum quum filium perimeret, parentem quod postea fecit, præsciisse facturum. Sciebam, inquit, satis esse filium occidere, sciebam patrem ilicò sese post mortem filij peremptu rum. Imò sciebas certè, quum sic hanc causam ageres, opus esse tibi ut illa præsciisse uidereris. Alioqui frustra te præmium tyrannicidij petiturum, si neque ipse tyrannum peremisses, neq; id saltem feciisses, unde illi scires exitium imminere. Eam ob rem Iudices exitum eius facti tam certum uideri uoluit, ut uobis etiam audientibus dixerit, ob idipsum sese à tyranno manum abstinuisse, eumq; sibijpsi pariter, et istius gladio reliquisse: quem alioqui, ut ait, facilè potuisset occidere, feciissetq; nisi de exitu securus scilicet, tunc de industria peperciisset, ut paulo pòst miserius interiret. Hic igitur quid faciam? quò me potissimum uertam? unde argumenta conquiram, quibus hunc probem non esse rerum futurarum præscium? Quin illum percontemur potius, ac

rationes aliquas exigamus, quibus ille nobis fidem rei tam longè supra fidem faciat, unde hanc tam mirabilem diuinandi peritiam nactus sit, utrum'ne homine quopiam docente didicerit, an numine potius inspirante conceperit. Dic igitur nobis Tiresia, quo'nam probamento facies, uti constet comprehensam esse tibi rerum futurarum scientiam? defossum alicubi thesaurum effode, cogitationes nostras euolue, abstrusum aliquid atque occultatum erue, quod miremur omnes: nempe eiusdem artis esse puto, & quæ præsentia latent edicere, & quæ sunt futura prædicere. Aut si tu futuris duntaxat uales, aliqua nunc edissere aliquot post hoc annis, aut si libet, seculis potius euentura: quæ quũ ex tuo præscripto ceciderint omnia, tum demum redito, & futura te præsciisse dicito. Interim profectò ægrè, quantum suspicor: obtinebis: ut quod te nesciente fiebat, id præsciisse credaris antequã fieret. Quòd si tum, quum filium interimeres, ignorabas patrem sese, quod postea fecit, occisurum: quur tu nunc eius cædis præmium postulas, quam nisi uelis impudenter esse mendax, fatearre necesse est, te ignorante, atq; adeò ne cogitante quidem, perpetratam esse? Sed ideo se fortasse putat huius etiam necis autorem: quoniam illa cædes quam fecit, istius quoq;, tametsi præter spem, causa tamen aliquo modo fuit. Qua in re uos lõgè alia Iudices opinor esse sententia. Neque enim si tyrannum casu quisquam aut mente captus occidisset, ei tyrannicidij præmium decerneretis. Quid ita? nempe quòd inscius uterque, atque imprudens occidisset, quanquam istius causa est

aliquanto,

aliquanto, ut mihi uidetur, inferior. Nam si alteruter illorum præmium peteret, tametsi peteret qui peremisset ignarus: atque ideo frustra peteret, peteret tamen qui peremisset: nunc uerò, & isto nesciente, & non ab ipso peremptus est. At nihil ego, inquit, neq; casu, neq; imprudens feci: sed filium consultò trucidaui, atq; ita patri uolens ac prudens mortis causam præbui: qui, ni ego filium occidissem, adhuc tyrannus uiueret. Age accedam etiam propius. Si tu tyrannum aggressus ut perimeres: deinde uictus ab eo, proiecto etiam gladio, fugeres, atq; is equo te persequutus, equo collapso, præceps in gladium tuum tam opportunè caderet, ut eodẽ transfigeretur: an non hic posses eadem omnia dicere, uoluisse te uidelicet, ac uolentem aggressum esse: uolentem igitur prudentemq; causas ei mortis attulisse? nam nisi tu illum fuisses adortus, ille non fuisset occisus. Sed non ne uides, ut eadem opera, uel magis fuga tua gloriari liceat, & ignauiæ tuæ præmium petere? Nam nisi tu fugisses, ille non cecidisset: nisi tu gladium turpiter abiecisses, nec transfixus ille fuisset. Postremò hac ratione ignauos etiam tyrannicidas esse liceat. Quemadmodũ licet uolens adortus esses ut interimeres: tamen postquam re infecta fugisses, quod postea factũ esset, tuũ non iudicaretur, licet id factũ non fuisset, nisi tu aliquid antè fecisses: ita etiam si tyrannum perempturus ascendisti, filiumq; dum patrem quæris, occidisti: tamẽ cũ pergere ac perficere quod incœperas, uel timore nõ ausus sis, uel negligentia nolueris, uel casu nõ potueris: sed re prorsus infecta redieris, quicquid inde poste-

ea te inſcio atque inſperante prouenerit, id à te profectum eſſe ne dixeris. Siquidem quicquid tuum dici potest, ibi deſijt, ubi tu deſtitiſti. At nec iſtud fortaſsis ei quod ipſe fecit, ſimile eſſe concedet. Sed mihi hoc pacto rurſus opponet. Is quem tu proponis, non ea mente tyrannum aggreſſus est, ut ſe poſtea uicto ac fugiente, ille uictor dum perſequeretur, occumberet. Ideoq; quod non propoſuit, meritò ſuum uocare non potest. At ego eo propoſito peremi filium, ut pater ſeſe dolore commotus occideret: atq; id facturum animo meo percepi. Videtis Iudices, ut nobis illa diuinatione ſua rurſus occurrit? Quæremus igitur ab eo, quónam pacto præſenſerit? præſciuerit' ne? an coniecerit? Si ſe præſciuiſſe reſpondeat, neminem credo ei crediturum: ſin coniecisſe, interim neſciſſe ſe fatetur: ſed opinatum eſſe tantũ, hoc est dubitaſſe, incertũ fuiſſe: poſtremò quid aliud quàm ignoraſſe? Sed uideamus tamẽ quib. ſignis, quàm perſpicuis argumentis rem tam inopinabilẽ ita collegerit euenturam, ut quod alius nemo ſperare potuiſſet, id ille ſibi tanquam certum atq; inopinabile propoſuerit. Noueram, inquit, quàm miſerè deperibat filium. Ita' ne id tandem adeò te certum ac ſecurum reddidit, ut necem eius non tanquam fortè ſecuturam, ſed neceſſariò futuram deſtinares? Scio Iudices, haud mediocres illos affectus eſſe, quos erga liberos parentũ pectoribus inſeuit natura, neq; tamen aut tantos, aut cuiquam tam exploratos crediderim, ut promittere ſibi ac ſpondere audeat, id quod iſte ſe feciſſe narrat, interempto filio patrem ultroneum ei comitem futurum. Nam quotuſquiſq; ex

his,

bis, quorum filij, & unici, & chariſsimi quotidie uel morbo cadunt, uel dolo pereunt, uel bello occumbunt, uel caſu intereunt, uſqueadeò mœrore conſternatur, ut ſibi mortem ſua ſpõte conſciſcat? Sed amori, inquit, etiam deſperatio non minor occaſio deſiderandæ mortis acceſsit. Quamobrem obſecro, an tu quum filium perimeres, reliquos unà ſatellites omnes occidiſti? non dices, opinor, ſtragem te tantam feciſſe. Cæteros igitur adhuc retinebat: opum ſatis, uiriũ ſatis habebat. Quapropter uno adempto, quum tot adhuc eſſent incolumes, quorum omnium intererat maximè hunc incolumem eſſe, quur ei uſqueadeò deſperandum fuit, ut non ab urbe, ſed ex orbe feſtinandum fuerit? An uſquã gentium uiuere quĕquam hodie ſuſpicemur, qui id feciſſet, quod tyrannus iſte fecit? Quid de alijs quærimus? quin te potius interrogemus, quẽ ueriſimile eſt de te coniecturam hanc feciſſe, & tyrannum ex animo tuo ſpectaſſe. Si tibi ergo filius perimeretur, atq; inſuper imminere uideretur nõnullum & fortunæ ſimul & uitæ periculũ: nũ potius eligeres te comitẽ filio dare, quàm mortem illius ulciſci? An temet ipſe ne ab alijs occideris, occideres? Certè, ut pro te quoq; reſpondeamus, nõ faceres. Quomodo ergo in mentẽ tibi uenire potuit, ut quod nec alij fecerunt, nec quiſquam feciſſet, nec tute facturus eſſes, id tyrannum cogitares facturum? At planè, inquit, cogitabam: alioqui cur ibi gladium meum reliquiſſem. Rectè nimirum ignauiæ tuæ nos admones. Nam cũ hoc dicit Iudices, non ne id uobis uidetur dicere, Præſenſi certè: alioqui cur inde fugiſſem? quid enim

aliud est alioqui cur gladiũ ibi reliquissem, quàm alioqui cur inde abiecto gladio turpiter me in pedes dedissem? Nam quid opus fuit gladium tyrãno relinquere? Ne deesset ei scilicet, quo periret? Ita ne qui omniũ gladios timet, ipse gladio caret? Qui quicquid habet, gladio peperit, gladio posßidet, gladio tuetur, ei gladius unquam abfuerit? O nouum prodigiũ Iudices, tyrannus sine gladio. Neq; illi gladius defuit, nec iste gladiũ ei reliquit, sed abiecit: nec futurum quod euenit, uel leuissima coniectura præuidit. Sed posteaquam in arcem temerè (nescio quomodo) perrepsisset, atq; ibi adolescentem (ut est iuuenta semper incautior) solum, securum, ac nihil minus expectantem, de improuiso adortus oppreßisset: ac potuisset fortasse progressus ulterius eadem opera tyrannum sustulisse: ilicò hominem timor inuasit, metuentem ne uoce uel gemitu morientis audito, iam tum proditus concurrentibus tyranni satellitibus caperetur. Iam ante oculos eius obuersabantur uincula, carcer, tormenta, ac mortes mille, mille supplicia: quorum imaginatione uana perterritus, iã strepitum omnẽ, omnẽ sonitũ, ac postremò suã ipsius umbram expauescẽs: tã nũc repẽtè timidus, quàm antè temerarius, ex arce se proripuit: nec secũ gladium saltem tollere ausus est: seu ne esset fuga tardior, seu ne cũ ense deprehensus, insidiatus fuisse tyranno diceretur: quo nunc perempto recurrit insolens, et tanquam ipse occiderit, tyrannicidij præmiũ postulat. Age ergo tyrannum ipsum non quæro an peremeris: hoc tãtũ quæro, an peremisse potueris. Si non potueris, ergo occasio

nem

nem non expectasti, locũ idoneum non elegisti, tempus opportunũ non captasti: sed temerè, sine consilio, sine ratione, præceps incœpisti, quod perficere nõ ualuisti. Nec illũ ergo te iactes occidisse, quem te fateris nec potuisse. Sin potueris, magnæ profectò uel inertiæ, uel ignauiæ fuit, quod non feceris. Imò, inquit, potui: sed de industria supersedi. Satis iam fecerã, filiũ occiderã: patrem dolori suo, & gladio meo reliqui, quo eum sese perempturũ præuidi. O' inuerecundũ, si ista mentiris. O' insanum, si nõ mentiris. Si tam incredibilia finxisti, miramur impudentiã: si tam absurdè cogitasti, miramur amentiã. Túne adeò eras insanus, ut quum uno ictu potueris, & uitã tuã, & Reip. salutẽ in tuto collocare, malueris omnia dubijs fortunæ casibus exponere, & tibi futurũ promittere, quod sanus auderet nemo sperare? Quid si tyrannus id uoluisset, quod tute hauddubiè fecisses, & quod illum quoq; facturũ longè ueriſimilius quàm quod fecit, fuit: conclamasset satellites, coegisset sicarios, armasset carnifices, ac prolato filij cadauere, & natura crudelis, & tam atroci spectaculo irritatus iram ac furorem illũ effudisset: primùm in te, per quẽ filius occisus, deinde in urbẽ uniuersam, propter quã occisus est: quæ si contigissent (ut tua dementia propemodũ contigerant) neq; tu miser hodie uiueres, qui hoc præmiũ peteres, neq; nos Rempub. ullam à qua peti posset haberemus. Sed Dij immortales, Iudices, uota precesq; nostras recordati sunt: Dij seruitutis nostræ mala miserati sunt: Dij nobis in summis atque extremis periculis auxiliati sunt. Qui quũ semper

huic urbi ſuccurrere ſtatuiſſent, id potiſſimũ tẽpus elegerunt, quo maximè nobis beneficiũ ſuum cõmendare poſſent. Nam tyrannus quanquam ſemper erat moleſtus uiuente filio, tamen eo nomine minus grauis incũbebat ciuibus, ne miſerã penitus atq; exhauſtã urbẽ filio relinqueret. At eo trucidato propter quẽ antè pepercerat, cui dubiũ eſſe poteſt, quin funditus omnia direpturus fuerit? Poſtquã ergo Reſp. iſtius primũ temeritate, deinde ignauia in extremũ illud periculum corruiſſet, ſuperi tẽpus iam ueniſſe rati, quo perpetuã nobis inſculperent fauoris ſui memoriã, omnia mala quæ tam propè ceruicibus noſtris imminebant, ſubitò in ipſum tyranni caput auerterunt: idq; tam celeriter, ut citius nos periculo liberatos eſſe, quàm in periculo fuiſſe cognouerimus, ne nos interim ſaltẽ potuiſſet diſcriminis tanti metus urgere. Quis tyrannũ putaſſet Iudices, reperto filij ſui cadauere, in ſeſe potius quàm in hanc urbẽ gladiũ fuiſſe uerſurũ, niſi noſtri ſtudio ſuperi in propriã illum pernicie, immiſſis ei Furijs, agitaſſent? Itaq; iam nũc uidere mihi uideor micantes latronis oculos, obducta ſupercilia, contractã frontẽ, genas pallentes, dentes ſtridẽtes, labra tumentia. Deniq; qualem Pentheũ deſcribunt Poetæ, toto ore, toto uultu, ſuæ prodentẽ mentis inſaniã. Quũ primũ ingreſſus filium reperiret occiſum, quid illũ feciſſe, quid clamaſſe ſuſpicemur? quid aliud quàm ut impiũ atq; dementẽ ſpurciſſimo rictu inſana in ſuperos euomuiſſe conuicia? O Deorũ iram, ô numinũ inuidiã. Videó cœlites odij ueſtri ſigna: uideo liuoris atri ueſtigia. Nihil uobis uiuit

iniquius,

iniquius, nihil ambitiosius, nihil inuidentius. Soli imperare, soli regnare uultis, nec satis propria fœlicitate cõtenti, semper aliena tabescitis. Quur nõ mecũ in certamen descenditis? Quur ignauũ insidiatorẽ filio summi sistis? Ille quisquis erat, cũ tyranno in certamen etiã ingredi non ausus est: hoc certè saltẽ gaudeo, quòd nemo se poterit tyrannicidã dicere, nemo tyrannicidij præmium petere. Nemo enim tyrannũ occidet hodie, nisi tyrannus. Tyrannus ego hodie uel Dijs inuitis moriar. Huiusmodi ergo deliria quũ blateraſſet, in gladiũ tandem amens ac furiosus incubuit. Tyrannus igitur Iudices istius gladio, imò nec istius, quippe quẽ antè abiecerat, manu quidẽ suapte, sed sola Deorũ opera perfossus iacet. At nunc iste sibi cuius ibi nullæ partes erant, primas uendicat. Itaq; qui me sycophantã uocabas: uide obsecro, uter nostrûm huic uitio propior est, egóne, q̃ tecum hodie pro Rep. superisq; dimicans, præmiũ tamen nec uictor postulo: an tu potius, qui desertor ac fugitiuus, contendis tamen alijs, atq; his quidem Dijs uincentibus ipse triumphare? Desine, desine aliena uirtute partã tibi arrogare uictoriã. Desine Deorũ in hãc urbem tam clarũ obscurare beneficiũ. Desine deorũ laudibus obsistere, & ab hac temeraria petitione desiste. Quòd si iste Iudices molestus esse perrexerit, uos tamẽ ipsam rẽ æquis lancibus expendite. Nã iste quid aliud, quàm tyrannũ ut sibi caueret, admonuit? Dij ne cauere sibi posset, ne insidijs amplius opus esset, effecerũt. Iste quid aliud quàm gladio suo tyrannũ in nos omnes armauit? Dij gladium illũ à nobis in tyranni iugulum retorserunt.

torſerunt. Iſte quid aliud deniq;, quàm uniuerſam urbẽ in ſummũ periculũ dementia ſua coniecit? Dij corrigẽtes iſtius inſaniã, diſcrimen illud ſubitò in proſperrimam ſecuritatẽ cõuerterũt. Vos ergo Iudices per deos immortales obteſtor: per deos huius clariſſimæ libertatis, huius inſperatæ fœlicitatis autores, ne quod nobis deorũ omniũ conſilio ac uirtute ſucceſſit, id uos unius hominis amentiæ referri ſinatis acceptũ: néue hanc urbem unquã in deos liberatores tam ingratã eſſe: néue patiamini ut ſalutẽ ſuã debere ſe potius humanæ temeritati quàm deorũ benignitati fateatur, quos demũ ſperare licet futuros ſemper huic urbi propitios, ſi nos eorum quæ contulêre memores, eos (uti æquum eſt) beneficiorũ ſuorum recognoſcamus autores. Alioqui ſi nos (quod abſit) ingrati, quæ ab illis profecta ſunt, in alios referamus, gratiamq; ſuperis debitã impendamus hominibus: uiciſſim hercle metuẽdum eſt, ne dij quoq; ſuũ erga nos fauorem imminuant: ac Reip. noſtræ curam, ut indignæ quæ ab illis curetur, abijciant. Quamobrem ut aliquando finem dicendi faciã: quandoquidẽ iſte peccauit officio, & bono animo malè fecit, dij uerò eius peccatum in commoda noſtra uerterunt: ac dij quidem coegerunt, ſed ſe tamen tyrannus interfecit: tũ præmium qui coegere non petunt, petere autem qui peremit non poteſt: uos ſententijs ueſtris Iudices, & huic ueniam, & ſuperis gratiam decernite: & urbem ab huius præmij debito, quo eam liberam eſſe dij uoluerunt, abſoluite.

Dixi.

EPI-

EPISTOLAE THOMAE MORI.

THOMAS MORVS MARTINO Dorpio S. D.

APOLOGIA PRO MORIA ERASMI, qua etiam docetur quàm necessaria sit linguæ Græcæ cognitio.

Hæc epistola nunquam antehac edita.

SI mihi ad te uenire tam esset liberũ, quàm uehemẽter, mi Dorpi, cupio, tum ista quæ nunc parum commodè committo literis, commodius tecum coràm ipse tractarem, tum quo nihil mihi iucundius potuisset accidere, te ipso interea præsens præsente perfruerer: cuius uidendi, cognoscendi, complectendiq;, mirum pectori meo desiderium inseuit Erasmus, utriusq; nostrûm amantißimus, tum utriq; (uti spero) ex æquo charus. Nihil est enim quod ille maiore cum uoluptate faciat, quàm ut apud præsentes amicos suos absentes prædicet. Siquidem cùm sit ipse plurimis, idq; in diuersis orbis terrarum partibus doctrinæ suauißimorũq; morum

morum gratia charißimus, conatur ſedulò, ut quo in unum ſe omnes animo ſunt, eodem etiam inter ſe omnes conglutinet. Non ceſſat ergo apud uniuerſos ſingulatim amicorum quemq; referre, & quo in cunctorũ amicitias inſinuet, omnes cuiuſq; dotes quibus amari promereatur, exponere. Quod cùm ille aßiduè faciat de omnibus, de nullo tamen ſæpius, de nullo facit effuſius, de nullo quàm de te, charißime Dorpi, libentius, quẽ ita dudum celebrauit in Anglia, ut nemo ſit ibi literatorum uirorum, cui non Dorpij nomen æquè notũ celebreq; ſit, atq; Louanienſibus ipſis, quibus eſt (ut debet eſſe) celeberrimũ. Seorſum uerò ita te depinxit apud me, ut iam olim pulcherrimam animi tui imaginẽ, planeq; eandem apud animum meum præſumpſerim, quæ mihi poſteaquam huc appuli, ex elegantißimis opuſculis tuis eluxit. Itaq; cum me primùm ſcirem ab inuictißimo rege noſtro, in has partes legatione functurum, crede mi Dorpi mihi, non pro minimo itineris tãti precio ducebam, quòd oblata mihi uidebatur occaſio, qua tecum quoquo pacto congrederer. Verùm iſtã conueniendi tui facultatem, quam præbitam eſſe ſperaueram, negocij nobis demandati ratio præripuit, quæ me Brugis, ubi cum magnificis illuſtrißimi Principis noſtri oratoribus res ut nobis tractaretur conuenerat, alligauit. Quo fit ut nunc uehementer doleã (quũ hæc legatio mihi multis alioqui nominibus arrideat) qua tamen in re optaueram maximè fortunam adfuiſſe propitiam, ea me maximè ab illa deſtitui. Verùm (ut ad id tandem ueniam quod me coegit in præſenti ſcribere)

bere) dum hic uersor, incidi fortè in quosdam, qui mihi non alieni à literis uidebantur, apud hos de Erasmo & de te item sermonẽ ingero: illũ ex literis ac fama, te uerò etiam aliàs nouerant. Narrant mihi rem, ut parũ lætam, ita neutiquã credibilẽ, te uidelicet in Erasmũ animo esse parũ amico, idq; ex literis ad eum tuis liquere: quas (quoniã ad credendum ægrè me adduci uidebant) postero die allaturos se esse polliccbantur. redierunt postridie, tũ literas ad me ternas apportarunt, unas abs te ad Erasmũ scriptas, quas ille (quod ex eius responsione colligo) non acceperat, sed earũ exẽplar, id quod mihi nũc euenit, nescio quo mõstrante perlegerat. In his Moriã insimulas, & ad sapiẽtiæ laudẽ inuitas: institutũ eius de emẽdando nouo Testamẽto ex Græcis codicibus tam parũ probas, tã angustis limitibus ut coarctet suades, ut penè in uniuersum dissuadeas. Alteræ fuerunt ipsius, quibus tibi breuiter, utpote fessus ex itinere, atq; adeò in eodẽ adhuc itinere occupatus, satisfacit copiosius, idẽ se facturũ professus cũ Basileã delatus esset. Deniq; tertiæ literæ tuæ fuerũt, quibus rursus ad hãc Erasmi respõdes epistolã. has ego cũ præsentibus illis perlegissem, quanquã erant aliqua non quæ mihi quidẽ inimicũ esse te illi persuaderent (quid enim posit esse tale, ut hoc persuadeat mihi?) sed animo tamen aliquanto magis turbido, quàm expectaram: tamen quia hanc opinionem illis ex animo eradi potius, quàm confirmari cupiebam, asserui, nihil ibi legisse me quod non ab amicissimo pectore profectum uideatur. At, inquit eorum unus, non æstimo quæ scripserit, sed

meo

meo iudicio neutiquam amicè fecit omnino quòd scripserit. Nam si Moria quenquam tam uehementer offendit, quod ego nusquam, ne Louanij quidem, quanquam ibi post editam Moriam sæpe multumq; uersatus audiui, præterquam ab uno aut altero morosissimis atq; infantissimis senibus, & quos ibi pueri quoq; rident: quum alioqui & hic & ibi tam grata fuerit omnibus, ut multi multas eius partes memoriter ediscant etiam. Verùm quod cœpi dicere, si Moria quenquam tam uehementer offendit, ut Erasmus ad palinodiam quoq; uideretur inuitandus: tamen quum Dorpius non ita pridem accersitus ad Erasmum esset, idq; (ut ipse scribit) solus, quid adtinebat scribere? Si quid monendum putauit, cur non præsentem præsens admonuit? cur non (ut apud Terentium est) coràm quæ facto opus essent imperabat, potius quàm cũ exisset, clamaret de uia, idq; Erasmo tam longè semoto, ut quæ eum aut primum, aut etiam solum audire oportuerat, ea & solus aliquandiu nesciuerit, & postremò non nisi per alios acceperit? Qua in re uide (inquit) quàm syncerè faciat. Primũ quẽ nemo accusat, eũ apud omnes defendere sese simulat: deinde quibus eum rationibus tuetur, cum nescio an quisquam audiat, quæ cõtra eum obijcit (præter eum solum, qui solus debet) publicè legunt omnes. Hæc cum ille dixisset, alijq; eorum alia, quæ nunc non necesse habeo commemorare, ita respondi, atq; ita à me dimisi, ut facile intelligerent, nil sinistri me de te libenter audire, animoq; esse in te propemodum æquè propenso atq; in Erasmum ipsum, in

quem

quem tam propenso sum, ut esse propensiore non possim. Nam quòd scribere ad eum, quàm coràm rem tractare maluisti: quocunq; tu id consilio feceris, certè nõ feciſſe malo. & ego, mi Dorpi, mihi pro mea de te opinione persuadeo: & ille certus animi erga se tui nõ dubitat. At secũdas istas literas tuas, quæ iam passim parũ secũdè leguntur, nullo omnino consilio tuo, sed planè casu quopiam in publicũ emanasse crediderim. In quã sententiam uel eò in primis impellor, quòd in his nonnulla sunt huiusmodi, ut planè mihi persuadeam, te si uelles emittere, fuisse mutaturum, utpote non satis idonea, quæ uel ad eum scriberentur, uel abs te. Neq; enim quædam tam acerbè ad amicum tantum, neq; tam neglectim ad hominem tam doctum: imò sat scio & pro modestißimo ingenio tuo clementius, & pro eximia doctrina tua scripsisses accuratius. Porrò iocis, scommatibusq;, quibus plus quàm modicè scriptio tota scatet, non dubito quin usurus fueris, aut aliquanto parcius, aut certè, mi Dorpi, salsius. Namq; quòd Moriam insectaris, quòd in poetas inueheris, grammaticos omnes subsannas, Annotationes in sacram Scripturam parum probas, Græcarum literarum peritiam non admodum ad rem pertinere censes: hæc inquam omnia non magnifacio, ut in quibus citra cuiusquam offensam liberum cuiq; sit sentire quod uelit: & ita abs te sunt adhuc disputata, ut non dubitem quin inter legendum multa cuiq; succurrant, quæ responderi ex aduerso debeant. Porrò tantum abest ut in horum quenquã nimium abs te dictum existimem, ut in quibusdam etiam

tiam multa deſiderem, quibus optaſſem hoc ſcriptum tuũ ad Eraſmũ prodiſſe inſtructius, quo maior ei præberetur occaſio ſua ex diuerſo caſtra maioribus opibus cõmuniendi. At iſtuc certè me nonnihil commouit, quòd Eraſmũ in eo libello tuo uideris aliquanto ſecus, quàm te atq; illo eſt dignũ attingere: quippe quem ita tractas, tanquã modò contẽnas, modò uelut è ſublimi derideas, interdũ quaſi non admoneas, ſed tanquã patruus aut triſtis cenſor obiurges: poſtremò uerbis eius aliorſum detortis, Theologos omnes, atq; adeò Vniuerſitates quas uocant, in eũ concites. Nec in eam partẽ accipi hæc mea ſcripta uolo, quaſi aduerſus te, quẽ planè credo nihil horũ ulla in eũ malignitate feciſſe, ego, cui nimirũ ipſi patrono opus ſit, in patrociniũ ſuſcipiã illum, quẽ certè maiorẽ & haberi apud omnes, & eſſe ſcio, quàm ut in eorũ ordinẽ redigi debeat. Sed quoniã te amo, fãmæq; tuæ bene cupio, idcirco admonere te eorum uolui, unde anſam apprehendunt hi, quibus modeſtia tua, ut uerè cygneus animi tui candor non ſatis exploratus eſt, qua fãmæ te & tuæ nimis auidum, & alienæ inſidiantem putant. Vtinam Dorpi, quemadmodũ Aeneas ſeſe apud Vergilium circumſeptus nebula Carthaginenſibus immiſcuit, ac ſe ſuaq; facta in tapetibus depicta ſpectauit: ſic utinã nõ uiſus ipſe uidere poſſes, quo uultu poſterior hæc epiſtola tua legatur. Sat ſcio longè maiores mihi gratias habẽdas duceres, qui te ſyncerè admoneã i. mutare poſſis: potes namq; mutando efficere, ut hãc omnes (id quod ipſe facio) nõ emiſſam tibi, ſed elapſam iudicẽt, quã eis qui quæ te coràm adu-

lati

lati laudant, eadẽ clàm etiã ipſi lacerant. Quanquam profectò miror ſi quiſquã uſquadeò adulari in animum inducat ſuũ, ut iſta uel te præſente collaudet, quæ ut cœpi dicere, utinã per cancellos tranſpicere poſſis, quo uultu, qua uoce, quo affectu legantur, cũ apud Eraſmum non ſemel inculcas Theologos Noſtros, Eraſmum, & Grammaticos Veſtros: quaſi cũ ipſe ſublimis in Theologorũ ordine conſideas, illum deorſum inter Grãmaticulos detrudas. Et ſedes tu quidẽ inter Theologos meritò: nec ſedes modò, ſed præſides quoq; : nec ille tamen in Theologorũ ſolijs, in Grammaticorũ ſubſellia depellendus. Quanquã Grammatici nomẽ, quod tu frequentius quàm facetius irrides, Eraſmus opinor haud aſpernabitur, imò (ut eſt modeſtus) quanquã meretur maximè fortaſſis, nec agnoſcit tamẽ: quippe ciam ſciat, Grãmaticũ idem omnino ſignificare quod literatũ, cuius officiũ per omnes literarũ ſpecies, hoc eſt, per omnes ſeſe diſciplinas effundit. Quo fit, ut qui Dialecticen imbiberit, Dialecticus: qui Arithmeticen, Arithmeticus uocari poſſit: tũ in cæteris artibus ad eũdẽ modũ. At literatus, mea certè ſentẽtia, niſi qui omnes omnino ſcientias excuſſerit, appellari nemo debet: alioquin & infantibus licet Grãmaticorũ nomẽ attribuas, quicũq; ex Alpha & Beta literarũ formas edidicêre. Quòd ſi tu eos tantùm Grãmaticos eſſe uis, quos ais ferulas ſceptrorũ uice geſtantes, in antro plagoſo regnare: tũ Philautia ac Moria ſtultiores arbitrari, ſe oẽs noſſe diſciplinas, q, uoculas intelligũt ipſas & orationũ ſtructurã. Ego mediuſfidius, mi Dorpi, etiã eos quanq̃ procul

ab disciplinis esse concesserim, tamen aliquanto propius accessisse puto, quàm Theologos illos, qui & structuram orationum & uoculas ipsas ignorant: ex quo genere, & ego aliquot, & tu (ut opinor) plures (quã quam uterq; sedulò dissimulamus) agnoscimus. Erasmus certè neq; illis ex Grammaticis est, qui tantùm uoculas didicerunt: neq; ex his Theologis, quibus præter perplexum quæstiuncularum labyrinthum nihil omnino cognitũ est: sed ex illo Grammaticorũ genere, quo Varro atq; Aristarchus: ex illo Theologorũ, quo ipse tu, mi Dorpi, hoc est, ex optimo, ut qui nec illas quæstiunculas ignoret, & quod tu quoq; abundè fecisti, longè utiliorem bonarum litterarum, id est sacrarum maximè, tum cæterarum quoq;, peritiam adiunxerit. Sed pergo. In epistola tua in qua illud quoq; eiusdem fermè notæ est, Si unquam Decretales Erasme uideris, quasi Decretales epistolas: quas tu uidisse te significas, ille uidelicet nusquam uidere potuerit. Iam illud quale est quod in eum obijcis, aquam ardeæ perturbatam esse & imperitis: item omnia perturbata, quoties in disceptandi palæstram descenditur. Et illud præterea: Non enim potes Erasme, dijudicare inter Dialecticũ & Sophistam quid interfit, si utramq; artẽ ignores. & paulo pòst, Nisi fortè tibi Sophistæ sunt, omnes quibus disputatione uidearis inferior, hoc est, omnes Dialectici. Ita'ne quæso Dorpi, putas perturbata Erasmo omnia disputanti fore, neq; aut quid Dialecticus sit, aut quid sit omnino Sophista, nouisse, & eũ nescire solum, quæ fermè pueri sciunt omnes? At Rhetoricam opinor uel tu pro-

tu propriam ei ac quodammodo peculiarem esse concedes: quam si tribuas, nescio quî possis Dialecticẽ tam prorsus adimere. Siquidem rectè censuerunt nõ infimi Philosophorum, qui tantum censuerunt Dialecticã ab Rhetorica differre, quantum pugnus distat à palma: quòd quæ Dialectice colligit astrictius, eadem omnia Rhetorice copiosius explicat: utq; illa mucrone pungit, ita hæc ipsa mole penitus prosternit obruitq;. Sed age, nihil sit Dialecticæ cum Rhetorica cõmune. Ergo quia non in scholis disputat, quia non in puerorum corona rixatur, quia iã (quod tu quoq; postea facis) quæstiunculas istas ualere sinit, nunquã eum putas illas decidisse: sed existimas in disputando inferiorẽ esse Dialecticis omnibus. At hic uide quàm oppidò abs te dissentiam. Ego nec illiteratum quidem quempiam mediocri ingenio præditum, longo tamen interuallo minoreq; quàm sit Erasmicum: hunc inquam ego non omni Dialectico reor inferiorem in disputãdo fore, modò res de qua disceptatur, utriq; sit nota, quũ quod arti deest ingeniũ suppleat. Nã & ipsa Dialectices præcepta quid aliud, quàm quædã ingenij fœtura sunt, ratiocinationum uidelicet formæ quædã, quas ratio ferè ad rerum disquisitionem utiles animaduertit? Neq; enim quenquam esse puto, qui dubitet, quin has ipsas quoq;, si uolet, quæstiunculas non in rixosis illis concertationibus, ubi rationem clamor uincit, unde conspuentes inuicẽ consputiq; discedunt, à quibus moribus modestia eius pudorq; abhorret: sed aut calamo, aut graui ac seria disputatione ita tractabit, ut non solùm non omnibus in-

ſerior, ſed ſupremis etiã aut par aut ſuperior ſit futurus: tantũ abeſt ut Eraſmus, cuius & ingenium & doctrinã mirantur omnes, unus futurus ſit in diſputando omnibus prorſus Dialecticis, hoc eſt, etiã pueris inferior. Sed mitto iſta omnia, nempe minoris momenti, ut in quibus literarũ duntaxat æſtimatio uentiletur. At illud certè odioſius eſt, quòd Hieronymi Hußitæ, Creſconijq; Grammatici, utriuſq; uidelicet hæretici, mentio abs te non ſatis tẽperanter iniecta eſt: quippe quos quibuſdam ita referre uideris, tanquã conferre uelis. Quid quòd nonnulla tam acerbè tractas, tanquã nihil agas aliud, quàm ut in eum primò Louanienſes Theologos, deinde quotquot ubiq; ſunt omnes, poſtremò academias uniuerſas extimules, inq; eam rem quibuſdã illius uerbis longiſſimè à propoſito detortis abuteris. Nã (ut à poſtremo incipiã) quũ ille dixiſſet, nõ omnes Theologos damnare Moriã, ſed eos ſolos has excitare tragœdias, qui dolent bonas renaſci literas, fòreq; ut nec Hieronymianã editionẽ (quam tu Theologis placere ſcripſeras) comprobarẽt ij, qui Moriã damnauerant: ibi tu protinus arrepta lepida iocandi anſa, Noua (inquis) gloria ſi edas quod pauci probabũt. quaſi uerò relinquantur pauci qui probent, ſi ex tanto digniſſimorũ Theologorũ cœtu, unus aut alter moroſiſſimi ſenes, nec ullo minus digni quàm quod profitentur nomine, eximantur: & tu tamen Dorpi, longius eundẽ tam feſtiuũ iocũ perſequeris. Ais enim: Age non probabunt Theologi (ſic ille dixit ſcilicet) quî quæſo probabunt ergo: Iuriſconſulti? an Medici? an Philoſo-

phi

phi deniq; ut saltẽ falcem immittant alienæ messi? Sed Grãmaticis eã paras. Sedeant itaq; Grãmatici in solio, censores omniũ disciplinarũ, & nouã nobis Theologiã parturiant, nascituram tandẽ aliquando cũ ridiculo mure. Verùm nec metus est, ne nolint studiosi illorũ sceptris inclinare. Septra enim sunt ferulæ, quibus plagoso regnant in antro: & Philautia, & Moria stultiores, arbitrantur se nosse omnes disciplinas, quòd uocabula intelligunt ipsas, & orationũ structurã. Ergo nõ est opus Academijs: schola Zuollensis, aut Dauentriana sufficerit. Et certè hæc est sentẽtia magni uiri Hieronymi Hussitæ, Vniuersitates tam prodesse Ecclesiæ Dei, quàm Diabolũ. Nec Grãmaticos uel tantillũ cõmouet, quòd damnata fuerit ea sententia in concilio Constantinensi: quippe in quo certũ sit neminẽ fuisse non amusum, aut qui non ignorauerit Græcè. Iniurius tibi Dorpi sim, si iocum sæpius interpellem tuũ, in quo iã diu, mirũ quàm suauiter te oblectasti. Sed si satis iocatus es, audi nunc iã Dorpi. Nemini obscurũ esse potest tua ipsius uerba legenti, te ad hanc Vniuersitatũ mentionẽ sine ulla prorsus occasione descendisse, totumq; hunc locum tibi copiosè, ac perquàm disertè sanè, sed extra controuersiam tamen, esse declamatũ, nec esse ulla resspõsione opus. Neq; tamẽ ambigendũ puto, quo in Vniuersitates affectu Erasmus sit, in quibus & didicit et docuit, nõ ea modò quæ tu Grãmatica uocas, sed cùm alia multa, multo magis Christianis omnibus utilia, tũ eas etiã ipsas (quas tu nunc tã magni facis, quàm posthac parui facturus es) quæstiũculas. Quis nescit quàm

diu Parisijs ille, quãtoq; in precio fuit, tum Patauij, cũ Bononiæ præterea (ut nihil interim de Roma dicam, quam ego tamen uel principẽ academiarũ esse omniũ duco.) Iã Oxonia Cantabrigiaq; tã charũ habẽt Erasmũ, quàm habere debẽt eũ, qui in utraq; diu cũ ingẽte scholasticorũ fruge, nec minore sua laude uersatus est: utraq; eũ ad se inuitat, utraq; eũ in suorũ Theologorũ numerũ (quoniã eo honore alibi est insignitus) transplantare conatur. Sed tu quãti nostras uniuersitates facis, haud scio, qui tantũ Louanio Parisijsq; tribuis, ut cæteris uidearis mortalibus, præsertim ex Dialectica nihil omnino relinquere. Ais enim, nisi Louaniẽses ac Parisiẽses Theologi essent Dialectici, fieri uidelicet, ut Dialectica toto exulet orbe, exulaueritq; multis iã seculis. Ego in utraq; academia fui abhinc septenniũ, nõ diu quidẽ, sed interim tamen dedi operã, quæ in utraq; traduntur, quiq; sit utrobiq; tradendi modus, ut scirẽ. Et profectò, quanquã utranq; suspicio, quantum tamẽ quiui uel præsens audiendo, uel absens inquirendo cognoscere, nihil hactenus unquã accepi causæ, quamobrem uel Dialectica meos liberos, quibus optimè consultum cupio, in alterutra earũ edoceri potius, quàm Oxoniæ aut Cantabrigiæ uelim. Non negabo tamen (neq; enim libenter quenquam sua gloria fraudauerim) nostros permultũ Iacobo Fabro Parisiensi debere, quem ut instauratorẽ ueræ Dialecticæ, ueraq; Philosophiæ, præsertim Aristotelicæ, fœliciora passim apud nos ingenia, sanioraq; iudicia consectãtur, ut per eum uirũ Lutetia grãtiam nobis referre quodãmodo

accepti

accepti olim beneficij uideatur, cum per eum apud nos disciplinas instaurent, quas ipsi à nobis initiò accepe-rũt. quod usq; adeò in confesso est, ut id Gaguinus quo-que, nec detractator Gallicæ laudis, nec buccinator no-strę, in annales suos retulerit. Atq; utinam & Louani-enses, & Parisienses quoq; scholastici omnes, Fabri commentarios in Aristotelicam Dialecticen reciperẽt. Esset ea disciplina (ni fallor) & minus utrisq; rixosa, & paulo repurgatior. Miror tamẽ cur Louanienses ac Parisienses in Dialectices commemoratione coniunxe-ris, qui usq; adeò inter se discordãt, ut ne nomine quidẽ conueniant, cùm alteri Realium, alteri Nominaliũ no-men affectent. Quanquam si Aristotelem utriq; recipi-unt, si utriq; tradunt, si non alia de re quàm de eius men te tot inter se rixas excitant, iã cùm Parisiẽses aliter, ali ter eũ Louanienses interpretãtur, nec aliter modò, sed contrà quoq;: quî scire possis utris potius accedendum censeas? Sin ad Dialecticen pertinent huiusmodi lites, sed nihil ad Aristotelem tamen, iam non Aristotelicam tantum Logicã (quod tu ais) sed aliam præterea, aut alteri aut utriq; profitentur. Sin autẽ quæ in tanta con trouersia sunt, nec ad ipsam Dialecticam attineant (nec attinent certè, si ad eum non attinent, modò is Dialecti cam perfectè tradiderit) iam hoc egregiè fuerit absur-dum, ut discatur Dialectica, de rebus ad eam rem neuti quam spectantibus tot annos digladiari. Et profectò Dorpi, propemodum adducor ut credam, magnam illã opinionum partem de quibus tam diu tanta contentio-ne, uelut pro aris focisq; dimicatur, aut ad Logicã pa-

rum pertinere, aut ad eam perdiſcendam non admodum conferre. Nam ut in Grammatica ſufficerit eas obſeruationes didiciſſe, quibus poſsis & ipſe Latinè loqui, & quæ ab alijs Latinè ſcripta ſunt intelligere, non autem anxiè innumeras loquendi regulas aucupari, literasq; inter ac ſyllabas conſeneſcere: itidem in Dialectica ſatis eſſe crediderim, dictionum naturam, enunciationum uires, tum ex his collectionum formulas edoctum, Dialecticam protinus, uelut inſtrumentum ad cæteras diſciplinas accommodare. Atque hoc nimirum ipſum ſpectauit Ariſtoteles, cùm Dialecticam ſuam decem illis ſummis ſiue rerum ſiue nominum generibus, deinde enunciationum tractatu adiunctis, poſtremò collectionum formulis, et quæ neceſſariò demonſtrant, & quæ ſuadent probabiliter, & quæ callidè cauillantur, abſoluit. Ad hæc tanquam aditū introitumq; quendam Porphyrius, quinq; illas uniuerſa amplectentes, ſeu res ſeu uoces appellare malis, adiecit. Porrò eiuſmodi quæſtiones, quibus rudia adhuc, & aptioribus imbuenda detinentur potius quàm promouentur ingenia, neuter eorum propoſuit, Porphyrius etiam ex profeſſo abſtinuit. At nunc abſurda quædam portenta ad certam bonarum artium nata perniciem, & luculenter ab antiquis diſtincta commiſcuerunt, & ad ueterum puriſsimas traditiones, ſuis adiectis ſordibus infecerunt omnia. Nam in Grammatica, ut omittam Alexandrum atq; id genus alios, qui quanquã imperitè, tamẽ Grammaticam utcunq; docuerunt. Albertus quidam Grammaticã ſe traditurũ profeſſus, Logicã nobis quandam,

aut

aut Metaphysicam, imò neutrã, sed mera somnia, mera deliria Grammaticæ loco substituit: & tamen hæ nugacissimæ nugæ in publicas Academias non tantum receptæ sunt, sed etiam plerisq; tã impense placuerunt, ut is propemodũ solus aliquid in Grãmatica ualere censeatur, quisquis fuerit Albertistæ nomen assequutus. Tantũ autoritatis habet ad peruertenda bonorũ quoq; ingeniorum iudicia, semel ab ineptis tradita magistris, deinde tempore corroborata persuasio. Quo fit, ut minus mirer, ad eundem modũ in Dialecticæ locũ nugas plus quàm Sophisticas irrepsisse, quæ cultoribus suis argutiarum nomine tam uehemẽter arridẽt, ut mihi nuper his de rebus obiter loquenti quidã Dialecticus (ut ferebatur doctissimus) asseruerit, Aristotelẽ (referam ipsius uerba: nequeo enim aliter tã nitidã eloquẽtiæ florẽ assequi) nisi grosso modo scripsisse: Et nũc sunt (inquit) pueri in Paruis logicalibus suis tã sustantialiter fundati, quòd bene credo certè, quòd si Aristoteles à sepulchro suo resurrexerit, & argueret cum eis, illi bene cõcluderẽt eũ, nõ solũ in Sophistria, sed etiã in Logica sua. Reliqui hominem oppidò quàm inuitus, nisi quòd aliquãto (ut tũ res erat) occupatior fui, quàm ut uacaret ludere. Cæterùm liber ille Paruorũ logicaliũ (quẽ ideo sic appellatũ puto, q, parũ habeat Logices) operæ preciũ est uidere, in suppositiõib. quas uocãt, in ampliationibus, restrictionib. appellationibus, et ubi inquã tã ineptas, q̃ etiã falsas præceptiũculas habet, ut ex quib. adigũtur inter has atq; eiusmodi enũciatiões distingue re, Leo animali est fortior, & Leo est fortior animali, quasi

quasi non idem significēt: et profectò tam sunt ineptæ, ut utraq; propemodum nihil significet, quanquam si quicquam, hauddubiè idem: tantūdemq; inter se differunt, Vinum bis bibi, & bis uinum bibi: hoc est, secundum hos logistas multum, sed re uera nihil. Iam si quis non assas modò, sed adustas quoq; carnes ederit, eū uolunt uerum dicere si sic enunciet, Ego crudas carnes comedi: non autem si sic, Ego comedi crudas carnes. Tum si quis parte relicta mihi, partem sibi pecuniæ meæ sustulerit, mentiar, uidelicet si dixero, Spoliauit me denarijs. Sed ne desint mihi uerba quibus apud Iudicē quærar, licebit dicere, Denarijs spoliauit me, & in aliquo casu (ut aiunt) possibili posito: hæc erit uera, Papam uerberaui, quū eodem manente casu hæc erit falsa, Verberaui Papā. nempe si is qui nunc Papa sit, puer olim à me uapulauerit. Digni hercle qui talia iam senes docēt, ut quoties pueros docēt, toties ipsi uapulent. Quid quòd hanc falsam aiunt, Omnis homo pater est, qui habet filium, nisi omnes prorsus homines iam habeant filios: quoniam uidelicet huic æquipollet, Omnis homo est pater, omnis homo habet filiū. At hanc interim ueram affirmant, Pater erit Sortes quando Sortes non erit pater: & hanc, Pater manebit Ioannes, quando Ioannes non manet pater. quod quis sic audire potest, ut sibi non interim credat ænigma proponi? At hæc uerba, Sum et Possum regnant planè, et quoniam (ut aiūt) ampliatiua sunt, pomeria sua ultra ipsos naturæ fines longè lateq; proferunt. Nam hanc ueram astruunt, Omne quod erit est: sed eam tamen callidè interpretantur.

aiunt

aiunt enim, omne quod erit est significare, omne quod est, quod erit est: atq; hoc pacto cauent ne antichristus, qui olim erit, iam sit. nam quanquam omne quod erit est, & quanquam antichristus erit, tamẽ non sequitur, Antichristus est, propterea scilicet quòd antichristus nõ est ens quod erit. Quòd nisi hanc plus quàm subtilẽ propositionis huius expositionem circũspexissent acuti in Dialecticis argutijs Theologi, rempublicam Christianam hauddubiè iam olim antichristus inuasisset nõ sine magno cæterorum omnium periculo. Nam ipsis nõ uideo quid possit imminere discriminis, quippe quũ fateantur has etiam ueras esse: Antichristus est amabilis, & antichristus est amatiuus: quanquam profectò nec antichristus, nec supremus ipse iudicij dies, rerum naturam magis poterit, quàm hæc Dialectica subuertere, quæ docet, has enunciationes esse ueras: Viuum fuit mortuum, futurũ fuit præteritum: quibus nimirũ fit, ut mortuorum resurrectio, nõ (ut ipsi loquuntur) in fieri, sed in facto esse uideatur. Iam istæ non minus mirãdæ, sed sunt amœnæ quoq;, ac plausibiles, quũ sint ueræ scilicet, Virgo fuit meretrix, & meretrix erit uirgo, & meretrix possibiliter est uirgo. Nõ facile dictu est, Dialecticis tam benignis, utræ magis, uirgines ne an meretrices debeant, debent certè utræq; plurimum. Poetæ ergo nugas, Dialectici seria tractãt. Poetæ fingũt ac mentiuntur, Dialectici nunquam nisi uera loquuntur, ne tũ quidem quum hanc esse uerissimã affirmãt, Homo mortuus potest celebrare missam. quòd quanquã nõ audeo asserentibus eis, ac propemodum etiã iurantibus, non credere

credere (neq; enim tot doctoribus tã irrefragabilibus fas est refragari) hactenus tamen (quantum memini) neminẽ unquam reperi, qui se narraret mortuo celebranti ministrasse. Hanccine Dialecticã docet Aristoteles? hanc Hieronymus laudat, hãc probat Augustinus, quã (ut ait Persius) nõ sani esse hominis, non sanus iuret Orestes? Miror herculè homines acutuli quónam pacto senserunt illas enunciationes sic intelligendas esse, quomodo nemo in toto orbe præter eos intelligit. Nec sunt artis illa uocabula, ut sint eis quasi in peculio, & ab eis si quis uolet uti, sumenda mutuò. Communis nimirum sermo est, nisi quòd quædam deterius reddunt, quàm à cerdonibus eadem acceperunt. A` uulgo sumpserunt, uulgaribus abutuntur. At regula quam uocant Logices, in eos sensus tales propositiões docet interpretandas. Quæ (malum) regula in angulo quopiam ab his composita, qui uix loqui sciant, uniuerso terrarum orbi, nouas loquendi leges imponet? Grammatica rectè loqui docet, nec ea tamen insuetas loquendi regulas comminiscitur, sed quæ plurimum in loquendo uidet obseruari, eorũ loquendi rudes ne contra morem loquãtur, admonet. Nec aliter quicquam Dialectica facit, quæ sana est. Nempe hic syllogismus: Omne animal currit, Omnis homo est animal, ergo Omnis homo currit: non ideo syllogismus est, quia ritè secundũ Dialecticæ normam colligitur ac formatur in Barbara, sed quia postremam orationem ad præmissa consequi docet ratio, quæ regulam ob id ipsum talem fecit. Alioquin aliter eam factura, quaqua uersus ab ipsa rerum

natura

natura flecteretur. Ipsi quoq; eodem modo in hac propositione: Meretrix erit uirgo, ne dicant sic interpretandã: Meretrix quæ est, uel quæ erit, quia sic iubet regula: sed rationem afferant ab ipsa re, quare fieri debeat talis regula. Nam si recta est interpretatio, necesse est eam aut ab ipsa re quæ enunciatur, aut ex proprietate sermonis emergere. Ergo cùm tam multis eorum qui Latinè iam olim locuti sunt, neque ingenium defuerit, neque eruditio, nec sermonis proprij fuerit minor quàm istis est (uti credo) peritia: quomodo euenit ut ex illis nemo potuerit intelligere hanc ueram esse, Meretrix erit uirgo: aut inter has distinguere, Nummum non habeo, & Non habeo nummũ? Quanquam nemo negauerit, transpositiones uocabulorum diuersum sæpe sensum gignere. Neque enim idem est, Bibas priusquam edas, & Edas priusquam bibas. Sed hoc affirmo, quando ita sensus uariatur, omneis in idem mortales assentire, trahente uidelicet ratione, non Dialecticorum iubente potius quàm persuadente regula: quorum officium est, ut more nostro loquentes quouis nos ueris rationibus impellãt: Sophistarum uerò, ut insidiosis eò præstigijs adducant quò nos peruenisse miremur. Nam hoc hebetißimum est acumen, & stultißima solertia, se disputando pronunciare uictores, & triumphum sibi decernere, quia nos nescimus in quem sensum ipsi clanculum pacti sunt, sermones nostros cõtra communẽ omnium sensum accipere. At hæc cum nec Sophistica dici mereantur, tamen non pro Sophisticis nugis dicuntur, sed inter Dialecticæ abstru-

abſtruſißimos theſauros numerantur: nec à pueris tan quam dediſcenda diſcuntur, ſed à ſenibus quoque in ipſa Theologiæ penetralia ſuſpiciuntur. His quidam Theologicas perplexitates infarciunt, ex his propoſitiones tã ridiculas effingũt, ut ridenda materia nuſquã oriri poßit uberior, niſi quòd multo malim eos qui ſic ineptiunt, ad ſanitatem conuerti, quàm ex inſanorum delirijs ipſe capere uoluptatem. Quanquam quid hæc dico tibi Dorpi, cui non dubito has nænias non minus diſplicere, quàm mihi ſi poſſes mutare, & fortaſſe poteris adiutus à tui ſimilibus, modò ne ſtatuas tecum, illorum obſequi ineptijs, quos multo magis par eſt tuo parére iudicio. Sed ad epiſtolã tuam reuertor, ut oſtendã nullam ex Eraſmi uerbis anſam tibi datam, qua eũ (id quod facis) diceres, Louanienſes Theologos, multoq; adhuc minus, cæteros omnes imperitiæ damnare, ſiquidem cum ille dixiſſet, ſe ualere ſinere, non omnes quidem Theologos, ut qui prius in eadem epiſtola multos dixerit eſſe præſtantiſßimos: ſed eos tantum qui tales ſunt, ut certè ſunt qui præter Sophiſticas nugas nihil dicerunt. Hic tu ſtatim per Theologos iſtos puto, inquis, Louanienſes deſignari. Quid ita Dorpi, quaſi uerò difficile ſit, huius farinæ, imò iſtius ſurfuris, aliquos ubiq; reperire? Bellè profectò ſentis de Louanienſibus, ſi eos, & ſolos, & omnes putas eiuſmodi deſcriptione cognobiles, quòd ille neq; ſentit neq; dicit? Paulo tamẽ pòſt ſic dictum accipis, tanquam non in Louanienſes modò, ſed in omnes quotcunq; ſunt ubiq; gentiũ Theologi diceretur: quod ille nec in alios omnes, nec in Louanienſes

uanienſes ipſos eſt loquutus, tu tamen perinde ac ſi neque illum neq; temet audias, uideris in hæc uerba non deſcẽdere, ſed uelut abreptus impetu animi eſſerueſcentis erumpere. Nónne uidemus abiectiſſimos opifices, imò uiliſſima mancipia clariſſimis eſſe prædita ingenijs? Quid ergo ſibi uolunt hæc in Theologos omneis detorta uocabula? pingues, rudes, peſtilentes, & qui nihil habeant mentis. Nullius eſt artis probra dicere in quoſuis, ſed neq; honeſtum eſt, aut boni uiri officium, ſi ſeueram Saluatoris noſtri ſententiam perpendamus: Qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Vbi Hieronymus, Si de ocioſo ſermone reddituri ſumus rationẽ, quanto magis de contumelia, qui in Deum credenti dicit, fatue, impius eſt in religionem? Sunt iſta quidem uerba tua Dorpi, non grauitatis modò, ſed ſanctitatis quoq; plena, uereq; ſæuero Theologo digna, quæ utinã in loco dicerentur ſuo. Sunt enim meliora quàm ut perire debeant. Quòd ſi deſuper è ſuggeſtu librarentur in populum, nunquam ita errare poſſent, ut non in alìquem in quo hærere uiderentur, inciderent. At nũc me miſeret, in unum Eraſmum quòd declamas omnia: in quem unum, eorum quæ declamas omnium, nihil quicquam competit. Nam quod affers ex Euangelio: Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ: nihil ad eum ſpectat, qui nominato nemine uelit aſſerere eſſe unum alterum ue in magno hominum numero fatuũ: alioquin decem gehennæ non ſuffecerint ei qui dixit, Stultorum infinitus eſt numerus. Porrò quod quæris,

Quid ſibi uolunt hæc in Theologos omnes detorta ua cabula? hoc mihi de te Dorpi quærẽdum eſt. Nam quæ ille dixit in paucos, ea tu ſolus in oẽs detorſiſti: quod te inſtituiſſe facere uehementer admiror. Siquidem ut nullius eſt artis (ſicuti tu dicis) probroſa in quoſuis dicere, ita nullius eſt artis (quod tu facis) benedicta malè narrando corrumpere: quippe quæ non malè ſcripta ſunt immerentes, ea tu conaris quo malè ſcripta uiderentur, ad immerentes inflectere: quod in quauis re, quàm facile factu ſit, ipſe facile uides. Nam profectò ſi quis ea quæ tu ſcripſiſti, ad hunc excutiat modum, nil abs te tam circumſpectè ſcriptum eſt (quanquam omnia circumſpectiſſimè) ut non alicunde poſſit obnoxiũ eſſe calumniæ: ueluti illa ipſa epiſtola, quæ abs te, ut nouiſſimè, ita accuratiſſimè ſcripta, in editionẽ Quotlibeticorum digniſſimi uiri Adriani Florentini De traiecto: in qua cum & opus magnificè, & Authorem copioſè laudaueris, utrumq; (ut ego certè puto) tam ex animo, quàm uerè: tamẽ ſi quis incideret interpres paulo malignior, uideri poſſis altera manu panẽ, altera lapidem porrexiſſe: primò quòd ut eius operis editionẽ curares, nullo tuo in eum librũ ſtudio, nec niſi aliorum precibus atque adeò opplorationibus adduci potuiſti, quaſi in rẽ quã ipſe non magnifeceris, aliorum affectibus operam tuã indulſeris: deinde quòd te ſcribis ſeriæ ſtudia tua ſepoſuiſſe tantiſper dum Quodlibetica corrigeres illa, perinde ac ſi illa ſerijs in ſtudijs nõ eſſent numeranda: cũ tamen magiſter Ioannes Athenſis, uir tãtæ & doctrinæ pariter & iudicij, nõ grauabatur operã

in eã rem ſuã uel intẽpeſta nocte frequẽter (ut ais) ac-
commodare, tanquã uelut obſtetrices excitari de nocte
ſolent, quũ mulieres parturiunt, ita hoc opus emenda-
ri non potuerit interdiu. Quid quòd eiuſdem Hadriani
dum æquitatem laudas, æquitatem ei Lesbiam uideris
attribuere, ad Lesbiam nimirum regulam alludẽs, quã
plumbeam fuiſſe meminit Ariſtoteles, non æquam ſem-
per, ſed ad rerum inæqualitates flexibilem. Nec me, mi
Dorpi, putes hæc eò dicere, quòd te putem tale quic-
quã ſenſiſſe, aut ſic deniq; uel in uiro tanto, uel tali ope
re fãmæ commendando luſiſſe. Nam & uirum multis
modis audio multum eximiæ laudis aſſequutum, & o-
pus ipſum cenſeo in ſuo certè genere perfectum. Sed
hæc omnia eò dico, ut oſtendam, nihil tam munitum
eſſe, in quo locum ſibi non poſſit inuenire calumnia,
quando tuis etiam ſcriptis tam accuratè, tam circum-
ſpectè limatis, tamen impetrandum eſt ut cum fauore
legantur. Quanquam Eraſmus, ne quiſquam prorſus
ullam occaſionem poſſet arripere, qua dicat eum in
omnes ea quæ tu obijcis ei, dixiſſe Theologos, uel eo
cauiſſe uidetur quod ait, Quotidie re ipſa experior,
quàm nihil habeant mentis, qui præter Sophiſticas nu-
gas nihil didicerunt. Non dicit, Quàm nihil habẽt men
tis oẽs Theologi: ſed neq;, Qui Sophiſticas nugas didi-
dicerũt: ſed, Qui nihil præterea. Quãobrẽ cùm ſic ſcri
bis: Porrò q; hypotheſin facias Eraſme, noſtros Theolo
gos ſolis ſophiſmatũ meditationib. eſſe occupatos, tota
erras uia. Hic tu mi Dorpi, tota erras uia, cũ hypothe-
ſin facis: Eraſmũ talẽ hypotheſin feciſſe de omnib. Theo

logis ueſtris,quã ille de uno tãtũ facit, aut altero: neq; quicquã dicit in quo ſit neceſſe oẽs Theologos ueſtros includi. Quare nec id quidẽ ad rẽ facit,quod protinus adieciſti,Dic age,quid nã eos quãuis ſanè poeſeos ignaros, arcebit ab Euangelijs,Paulinis epiſtolis,totaq; Bi=blia euoluẽda? Nihil ſanè Dorpi, modò ipſi nõ arcerẽt ſeſe: quod aliqui faciũt, qui uitã uniuerſam quæſtiũculis cõſecrantes,Bibliã certè uelut nihil ad rẽ pertineat, nunquã dignãtur inſpicere. Atq; ille aliquos huiuſmodi putat eſſe,nõ oẽs: ut intelligas, id quoq; te ſine cauſa ulla ſubnectere: Proferã ego multos hinc qui reiectis libris ſola memoriæ ui cũ quouis de textu Scripturæ certabũt. Caue credas Endymionis ſomniũ dormire Theologos,quo tempore uos literis inuigilatis: aut ingenio carere,quicunq; non poetantur, aut rhetorizant. Nemo, Dorpi, negat eſſe qui reiectis libris de Scripturæ textu certare poſſint. Imò plus ſatis ubiq; reperias eorum,qui libris non reiectis modò, ſed etiam nunquam inſpectis, cum quouis in Scripturis exercitatiſſimo ſint parati de quouis Scripturæ textu, non memoriæ, ſed Moriæ ui certare pertinaciſſimè.Neque negabo tamen,& apud uos & ubique eſſe,qui è Scripturis multa memoriter teneant: ex quibus eos qui non in hoc ſolùm collocarunt operam memoriæ ut mandarẽt, quod illiterati etiam monachi fratresq; faciunt, ſed uel multo magis ut intelligant, qui tantam ſermonis facultatẽ parauerunt ſibi, ut pernoſcendis Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, cæterorumq; id genus lucubrationibus pares eſſe poſſint:eos, inquam, ego in Theologorũ

albo

albo meritißimo iure collocandos puto, etiamsi uersus nunquam fecerint, tam herclè quàm si disputatiuncu-lis istis non totos centum annos insumpserint, ut ne di-cam, si in uniuersum neglexerint. Sed tu quoque, si uera uis fateri, non inficias ibis, ex Theologorum, qui uocantur, numero esse rursus aliquos, qui Scri-pturæ libros ita reijciant, ut reiectos nunquam resu-mant: qui ita sese totos Theologiæ huic disputatrici de-uoueant, ut non solùm non poetentur, ac rhetorizent, uerumetiam sanctißimos patres, antiquißimos quoq; Scripturarum interpretes propemodum floccifaciant, certè (quod satis cõstat) eorum in sacras literas enar-rationes negligant, unaq; ipsarum sacrarum literarum studium, postremò quæcunq; sunt optima, pijßima, maximè Christiana, uerisq; Theologis dignißima: ea inquam omnia, quòd sint (ut ipsi uocant) positiua, contemnant, neque eorum quicquam dignum putant, ubi ipsi neruos intendãt suos, homines ad quæstiuncu-las nati, res tanto uidelicet interuallo maiores: ex qui-bus ipsis tamẽ maximè quæstiones cõsectantur eiusmo-di, quæ uel ad fidei pietatem, uel ad morum cultum mi-nimè omniũ pertineant. Ego itaq; ut prius illud Theo-logorum genus ueneror ac suspicio, ita hoc posterius herclè non admodum magnipendo: aduersus quos ta-men nõ est consilium Poesim aut Rhetoricã defendere, quippe qui à Poesi Rhetoricaq; tã longè propemodum absim, quàm illi ipsi. Absunt autem ipsi tam longè ferè, quàm ipsa Theologia: à qua tam longè absunt, ut à nul-la re absint, præterquam à communi hominum sensu,

longius: uel ideo maximè, quòd ad insignem rerum omnium insciti㈠, accesſit om㈠ igenæ ſcientiæ peruerſa perſuaſio, qua ſibi adeò blandiuntur, ut omnium hominũ ſcripta, ac ipſas etiam ſacras literas, ut quicquam audierint quapiam occaſione prolatum, qui locum nunquã uiderint, nunquam librum inſpexerint, quid ea uerba præcedat, quid ſequatur neſciant, imò id ipſum quod citatur, ſit ne an non ſit, unde citatur ignorant: ſe tamen ſolos arbitrantur idoneos, qui protinus in quemcumq; libeat ſenſum interpretentur. Ex quo genere cùm in multos inciderim, unum ſaltem ex quo cæterorum indoles agnoſci poſſit, non pigebit herclè uelut ſpeciminis loco referre. Cœnaui olim apud Italum quendam mercatorem, non minus doctum, quàm diuitem (erat autem ditiſſimus.) fortè aderat in cœna religioſus quidam Theologus, diſputator egregius, qui recens è continente uenerat, ut quæſtiones aliquot quas præmeditatus aduexerat, Londini diſputaret, experturus uidelicet in ea diſceptandi palæſtra, quid Angli præſtare poſſent, ſimul nomen ſuum iam apud ſuos celebre, apud noſtros quoq; propagaturus. Is quas concluſiones (ut uocant) affixerit, tum quanquam bellè diſputatio proceſſerit homini, quãquã longum eſſet, nõ grauarer profectò narrare, ſi tam ad hanc rem pertinens foret, quàm feſtiuũ fuit. Cæterùm in cœna nihil à quoquam dici tam bene munitum aut libratum, tam circũſpectè potuit, quod non ille uix prolatum aliquo ſtatim ſyllogiſmo cõuelleret, quantũuis res de qua ſermo erat nihil ad Theologiam pertinens, ad Philoſophiam tantum-

Lepida hiſtoria.

tantundem, quantumuis deniq; ab uniuersa eius pro-
fessione esset alienum: nisi quòd initio cœnæ fecerat, ne
alienum esse quicquam ab eius professione posset (pro-
fessus est enim, sese in utrãq; partẽ de re quacũq; dispu
taturum.) Paulatim cœpit mercator ad quæstiones ma
gis Theologicas descendere. De usura proponebat, de
decimis quædam, de confessionibus, quæ in aliena paro
chia fratribus essent factæ. In omnibus nihil erat Theo-
logo pensi, utram sustineret partem: sed utrãcunq; ali-
quis asseruisset, illam oppugnabat: ac uicissim quancun
que alius negauerat, hanc ille protinus astruebat. Tan-
dem per iocum mercator sermonem de concubinis in-
iecit, cœpitq; defendere, minus mali unam quampiam
domi habere, quàm foris per multas discurrere. Ibi rur
sus Theologus instare, oppugnare ferociter, non quòd
usqueadeò concubinam uideretur odisse, sed ne cum
quoquam ei quicquam cõueniret, siue quòd hominem
fortassis uarietas oblectabat. Cæterùm asserebat sese
conclusionem famosam cuiusdam limpidissimi docto-
ris, qui fecit illum singularissimum librum qui intitula-
tur Directorium concubinariorum, plus eum peccare
qui unam domi cõcubinam, quàm qui decem foris me-
retrices haberet: idq; cùm ob malum exemplum, tũ ob
occasionẽ sæpius peccãdi cũ ea quæ domi sit. Respõdit
mercator, doctè meherclè, & acutè, quæ & lõgũ reci-
tare fuerit, et apud te superuacaneum. At cũ olfeciſſet,
Theologum non perinde in scripturis ãtq; in quæstiun
culis illis exercitatũ, cœpit hominẽ ludere, argumenta-
riq; interdũ per locos ab authoritate. Effingebat enim

extemporè ſententiolas quaſdam breues, ſuæ parti quæ uiderentur aſtipulari: cumq; ipſe omnes nuſquam antè auditas, pro libito fuiſſet commentus: hanc tamen ex epiſtola quapiam D. Pauli, illam ex Petri, rurſus aliam ex medio citabat Euangelio: idq; tam diligenter, ut ne capitulum unquam dum citabat omitteret, niſi quòd ſi quis liber in ſedecim capita diſtinguebatur, ille data opera citabat ex uiceſimo. Quid ille bonus Theologus interim? ad cætera certè ſtrenuè, & tanquam ſpinis ſeſe ſuis obuoluit. At pſonatas illas authoritates uix herclè huc atq; illuc uitabundus euaſit, ſed euaſit tamen: tantum ualet ars exercitatioq; diſſerendi. Nã cùm quid in ſacris continebatur literis, omnino neſciret: neq; dubitaret, quin quod inde citaretur, ibi eſſet, non deferre uerò cedereq; authoritati Scripturæ, nephas duceret, ac loco depelli, uinciq; turpiſsimum: tantis circũſeptus anguſtijs, uide obſecro qua aſtutia tãdẽ Protheus ille è mediis retibus elapſus eſt. Statim ut aliqua ſententia quæ nuſquã erat, tanquã è ſacris literis aduerſus eum citabatur: Bene citas, inquit, domine, ſed illũ textũ ego ſic intelligo: et iã interpretabatur nõ ſine aliqua diſtinctione bimẽbri, quorũ alterũ pro aduerſario ſtare diceret, altero ipſe effugeret. Quòd ſi quãdo mercator inſtabat moleſtius cõtẽdere, eiusq; textus nõ illũ uerũ eſſe ſenſum quẽ Theologus affirmabat, iurabat homo tam ſanctè, ut quiuis poſsit credere, Nicolaum de Lyra eum textum ſic interpretari. Profectò, mi Dorpi, in illa una cœna plus quàm uiginti poculenti textus, totidẽq; poculẽta gloſſemata, inter pocula, atq; ex poculis tanquam

tanquam è serpentis dentibus terrigenæ illi fratres, & nati sunt & perierunt. Quid tu ais ergo Dorpi? Tu istiusmodi homines sacrarum inanes literarum, quæstionibus illis Theologicis quantumcunq; distentos, Theologorum censes uocabulo insigniendos? Non opinor, quanquam hercle (ut uerè dicam) animi ambiguum tui hæc tua me uerba faciunt. Non persuadeas Erasmo, tibi eum demum esse Theologum, qui Bibliæ seriem ad literam intelligat, nec eum item, qui morales sensus æquè atq; alter Origenes, nouit eruere. Multa restant discenda, ut intellectu difficiliora, ita & utiliora gregi, pro quo mortuus est Christus. Alioqui quî sciemus ut sacramenta sunt administranda, quænam sint eorum formæ, quando absoluendus peccator, quãdo sit reijciendus, quid præceptum sit restitui, quid seruari possit: & innumera huiusmodi? Multũ nisi erro, longe q; minore opera bonam Bibliæ partem ediscere prius, quàm uel unius perplexitatis nodum discas dissoluere, cuiusmodi plurimi cotidie occurrunt, ubi uel in quatuor uerbis diutissimè hærendum est: nisi tu has etiam uoces Theologorum nænias, quæcunq; ad sacramenta pertineant, sine quibus tamen sancta Dei ecclesia catholica profitetur salutem hominis periclitari. Crede mihi, Dorpi, nisi tute hæc scriberes, nunquã adduci possem hæc te sentire, ut crederẽ: scilicet istæ neotericorum quæstiunculæ (nam de ijs agitur) non intellectu tãtùm difficiliores, sed gregi quoq;, pro quo mortuus est Christus, utiliores sunt quàm exactissima cognitio sacrarum literarum omnium. Hui ex quantulo cu-

lice quàm ingentem elephantem facis? Nam eam rem primùm tam difficilem putas, ut Erasmus minore opera bonam Bibliæ partem posset edíscere, quàm unius perplexitatis nodum díscat dissoluere, cuiusmodi plurimos quotidie in scirpo quærunt: ubi tam diu in tenaci, ne dicam sordido quatuor uerborum luto hærendũ est, dum posses amœnissimum ac saluberrimũ totius Bibliæ pratum à capite penè ad calcem sensim perambulare. Hactenus ergo periculum erat, ne quæstiunculas istas non didicisset: nunc ut uideo maius quippiã timendum est, ne tam longè supra captum eius sint, ut apprehendere ne sufficiat quidẽ. Quid ille possit, omitto quærere: uerùm hoc scio, quosdã nouisse me, ad cætera planè stipites, ingenio certè pistillo quouis obtusiores, qui in huiusmodi tamen argutijs nõ modò præuerint, sed sodales suos quoq; multo melioris ingenij, nec minoris industriæ, equis (ut aiunt) albis in disputando præcesserint: ita quouis importunè prorumpit audax & inuerecunda stultitia, quũ ingenuam animi indolem, & sanum plerunq; iudicium, nugandi remoratur pudor. Sed est profectò, Dorpi, quod meritò gaudere debes, nec tuis uiribus acceptũ, sed bonorũ omniũ largitori Deo referre: cuius eximia in te benignitate profluxit hæc tã rara fœlicitas ut in sacris literis omnia tibi tam facilia uideantur. Neq; enim in hoc libro quẽ signacula septem clauserunt, cuncta reperires aperta, nisi ille tibi agnus librũ resignasset, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sed hic ipse liber, Dorpi, qui tam facilis tibi uidetur, Hieronymo certè uisus est difficil-

ifficillimus: Augustinus putauit impenetrabilem: neq;
uisquam est antiquorũ omniũ, qui se fateri est ausus
ntelligere, ut cuius intellectum putant altissimo Dei
onsilio uel ob id ipsum profundius abstrusum esse, ut
urtosos oculos prouocaret, & semotis ac labore eruẽ
is obicibus segnia excitaret ingenia, quæ alioquin ob
ios expositosq; thesauros ipsa securitate torpescerẽt.
am (ut omittã) interim quàm non sit uulgaris erudi=
onis opus, quàm nõ cuiuslibet ingenij, quæ à moribus
nterdũ primo aspectu abhorreant, ea tamen cõmodè
d mores ac tã fœliciter appellere, ut nõ aliũde eò tra=
ta, sed ad ipsum nata uideãtur. Quã rẽ nõnulli nũc tã
neptè moliũtur ut cũ hactenus sint progressi, ut rẽ ab
ssius magis loco detraxerint, quàm ad suũ perduxe=
nt, quũ neq; in re consiliũ sit, neq; in uerbis Venus: fit
imirũ uti tota illa moralizatio (quã uocãt) sine ulla
ratia spirituq; frigescat. Sed hæc (ut dixi) omittã At
ertè ipsum literalẽ sensu tantũ continere difficultatis
uto, quantũ nescio an quisquã omniũ cõprehendere
ossit. Neq; enim cuiquã sentio literalẽ horũ uerborũ
nsum intellectũ esse, Dixit Dominus Domino meo, se
e à dextris meis: nisi ei qui ea Prophetam de ipso Chri
o uaticinatũ intelligat. quod, exceptis Prophetis, nec
dæorũ quisquã, quãquã in hos libros uniuersam ope
ũ suã collocabãt, intellexit, priusquã Christus eis hũc
us literæ sensum aperuit: qui tametsi Apostolis & di=
ipulis suis interpretatus est Scripturas (neq; enim,
uod sciam, quæstiunculas istas cum eis disputauit un=
uã) non ausim tamen affirmare, uniuersæ Scripturæ
sensus,

ſenſus,eis ipſis aut præſentem tradidiſſe, aut per Spiritum ſanctum poſtquam aſcendit infudiſſe.Nam ut multa ſunt ibi quæ de Chriſto prophetæ cecinerant,quorũ alios omnes ſubterfugit intellectus, quouſq; ea omnia ipſius uita,paſsio,reſurrectioq; declarauerant:ita mortalium impares eſſe uires puto ad indagandum,utrum adhuc in eiſdem lateant aut de finali iudicio, aut alijs de rebus nobis incogitabilibus,neq; ulli hominum aut hactenus cognita,aut antè cognoſcẽda myſteria, quàm euentus eadem temporibus ac momentis ſoli præuiſis inſcrutabili Dei prouidentiæ patefecerit. Sed eſto Dorpi,ſit Scriptura facilis,difficilesq; quæſtiones:nihil impedit tamen, quin illius cognitio harum poſsit eſſe diſciplina fructuoſior.Quanquam enim ſaltare, atq; in gyrum ſe colligere (quod ſaltatriculæ quidem ac circulatores faciunt) difficilius eſt, quàm ambulare, & dentibus panem facilius eſt quàm teſtacea fragmenta conterere: neminem tamen eſſe puto,qui rectos illos uulgaresq; naturæ uſus uelit huiuſmodi inanibus oſtentis permutare.Quamobrem utra res ſit difficilior, nõ admodum magni facio: at quòd utiliores etiam quàm ſacrarum cognitionem literarum, quæſtiunculas iſtas eſſe uis gregi,pro quo mortuus eſt Chriſtus, ferre profectò non poſſum.quas ſi cognoſcendas aſſereres,haud refragarer:ſi ueterum lucubrationibus exæquares, nõ tolerarem:nunc uerò cùm ancillas iſtas coquinarias ipſi Bibliæ ſacroſanctæ literarum omnium reginæ non conſers modò,ſed præfers etiam,dabis mihi Dorpi ueniam,continere meherclè non poſſum,quin illo Terentiano

tiano procul illas omnes abigam, Abite hinc in malam rem cum istac magnificentia fugitiuæ: adeò putatis uos aut uestra facta ignorarier? Neq; profectò satis admirari queo cùm ea uerba lego, quibus eas ita magnificè attollis, tanquam uti (apud poetas) in Atlantis humeros cœlum, ita in perplexas huiuscemodi quæstiuncu-las, hoc est arundinem, in uniuersum prorsus inclinata incumbat Ecclesia, alioquin uidelicet periclitatura ne tota semel collaberetur in cineres. Ais enim, Alioqui quî sciemus quomodo sint sacramenta administranda, quæ nam sint eorum formæ, quando absoluendus peccator, quando reijciendus: quid præceptum sit restitui, quid seruari possit? Ita ne putas Dorpi, ista quæ tu nusquam alibi quàm apud Neotericos quæstionistas inuenire uis, antiquos omnes sanctissimos patres nec minus etiam doctos ignorasse omnia? Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, ad sacramentorum formas cæcutiebant? Ergo tota Ecclesia plus quàm mille annos (nam plus quàm mille anni à passione Christi numerantur ad Petri Lombardi tempora, è cuius sententijs, uelut ex equo Troiano, uniuersum istud quæstionum agmen erupit) tot annos ergo, imò tot sæcula uniuersa Christi Ecclesia aut sacramẽtis caruit? aut ista non habuit? Quando recipiendus peccator, quando reijciendus, tãdiu fuit incognitum? & item quid præceptum esset restitui, nesciebant? Nam quid seruari posset, concesserim apud ueteres non fuisse tam acutè, quàm apud istos disputatum. Sed ut Zacheus ueritus ne malè parta parcè redderet, quadruplum se redditurum professus est: ita

Petri Lombardi Sententiæ.

ueteres

ueteres illi patres, ut uel plus satis quisque restitueret hortabantur. Non erant illi fateor hac in re, quàm isti sunt, tam in definiendo ac distinguendo curiosi. Sed ego tamen illorum (ut Terentius ait) æmulari malo negligentiam potius, quàm istorum obscuram diligentiã: apud quos anxiè res disputatur, & quæritur non tam quid restitui debeat, quàm quid seruari possit: nõ quàm procul à peccato sit abscedendum, sed quàm propè ad peccatum sine peccato possit accedi. Iam qui consiliũ comuasatori dat, nimirũ tanquam alienæ pecuniæ frugi dispensator, obseruat ut in reddendo citrà subsistat potius uel mille passus, quàm ultrà latum (ut aiunt) unguem promoueat. Ego certè mi Dorpi, nec te (ut puto) refragante contenderim, quæcunq; sunt ad salutẽ necessaria, id est, sine quibus salui esse non possumus, ea primùm ab ipsis sacris literis, deinde priscis eorum interpretibus, ad hæc cõmuni ab antiquis patribus quasi per manus tradita consuetudine, postremò sacris Ecclesiæ sanctionibus, abũdè nobis tradita. Quòd si quid suprà quàm in his est, homines isti acuti curiosius addiderunt, ut multa concedã cõmoda esse atq; utilia: ita planè eius esse generis puto omnia, ut sine eis uiui possit. At fortasse dices, nõ omnia apud ueteres tã inuentu prompta, tamq; in numerato esse, quàm apud istos recentiores, qui omnia cognata quasiq; similia in capita quædã, ueluti in suã quodq; tribũ, descripserũt. In hac re Dorpi fortasse accedo tibi, fateorq; nonnihil esse cõmodi, uelut in domestica supellectile, sic in re literaria quoq; ita seorsum habere singula quæq; distincta,

ut ad

ut ad quodcũq; uelis, illicò manum poßis abſq; errore
porrigere Eſt iſtud quidẽ, ut dixi, cõmodũ: uerùm hoc
tanto cõmodo quidã tam utuntur incõmodè, ut prope
modũ præſtitiſſe uideatur, hoc ipſo etiam cõmodo ca-
ruiſſe. Neq; aliud quicquã magis in cauſa fuiſſe puto,
quare uetuſtißimus quiſq; ſacrarũ literarũ interpres à
tam multis tam diu neglectui habeatur, quàm quòd in-
fœliciũ ingeniorũ corrupta iudicia primùm ſibi, dein-
de alijs quoq; perſuaſere, nihil uſquã eſſe mellis, quod
non in illos ſummularũ alueos congeſtũ ſit. Ideóq; fit
ut illis contenti ſolis, cætera omnia per incuriã cõtem-
nant. In eius animi quendã etiã ipſe iam olim in quadã
bibliopolæ taberna incidi. Erat enim ſenex, & qui al-
terum (ut aiunt) pedẽ habebat in ſepulchro, & certè
non multo pòſt utrumq; : iam Doctoratus (quẽ uocãt)
honore plus quàm annos triginta fuerat inſignitus. Di
co fortè apud eum, beatum Auguſtinũ aliquando pu-
taſſe, dæmonas omneis ſubſtantias eſſe corporeas. Ibi il
le ſtatim ſupercilium contrahere, & temeritatẽ meam
rugoſa fronte compeſcere. Tum ego, Nõ dico (inquã)
hoc ipſe, pater: nec Auguſtinum in ea re defendo. Ho-
mo erat, errare potuit: credo ei quantum cui plurima,
sed nemini uni omnia. Iã uerò cœpit homo excandeſce
re, uel ob id præcipuè, quòd tanto patri calumniam tã
am intenderẽ Num putas me (inquit) nõ legiſſe Augu
ſtinũ? Imò (inquit) priuſquã tu naſcereris. Me iam ſuis
cuis dictis protelaſſet, niſi commodè fuiſſet paratus
ελ. Nam ut erat in taberna, ſumo in manus libellũ
Auguſtini De diuinatione dæmonum, uerto ad locum,

Mori cum Theologo ſa ne diſcepta- tio.

atq;

atq; oſtendo. ubi locum ſemel atq; iterum legit, ac ter-
tia demum lectione me adiuuante cœpiſſet intelligere,
tandem admirabundus: Certè (inquit) ualde miror
quòd Auguſtinus dicit ſic in iſto libro: quia certè non
dicit ſic in Magiſtro ſententiarum, qui eſt liber magis
magiſtralis quàm iſte. Qui ſunt ex hac farragine, qui
neq; ueterum quenquam, neq; Scripturarum quicquã
legunt, niſi in ſententijs, & earum cõmentarijs: hi per-
inde mihi uidentur facere, ac ſi quis authoribus omni-
bus qui Latinè ſcripſerunt omiſſis, conſtructionũ præ
ceptis ab Alexandro petitis, reliquum ex Perotti Cor-
nucopia, & Calepino conentur ediſcere, quòd perſua
ſum habeat, in his omnia Latinæ linguæ uocabula ſeſe
reperturum: & profectò reperiet plurima, eademq; e-
lectiſſima: nempe ut apud recentiores Theologos, prio
rum dicta authoritatis loco leguntur inſerta, ita hic
quoq; ueteres poetæ atq; oratores, aliquot etiam qui
nunc nec extant quidem. Sed neq; hæc unquam faciunt
Latinum, nec illa mi Dorpi Theologum, ſi ſola ſint, e-
tiam ſi decem millibus ſpinoſiſſimarum quæſtionum
fuerit inſtructus, quibus miror cùm ſit talis, qua in re
poſſit uſui eſſe, diſputando fortaſſe aduerſus hæreticos:
nam hoc nomine præcipuè ſeſe ſolent uenditare. At hi
aut docti ſunt, aut indocti. Si indocti (ut eſt multo ma
xima pars) neq; acumina iſta, quibus ſolus ualet, neq;
uerba tam inſueta, quibus iſte ſolus aſſueuit, intelliget.
Neceſſe eſt ergo talem diſputationem tantum fructus
conſequi, quantum, ſi quis Turcam quempiam patriæ
duntaxat linguæ peritum, compoſita oratione, ſermo-
ne Gal-

ne Gallico (nam eum solum elegantem Galli putant) exhortetur ad fidem. Sin docti hæretici, idq; in illis ipsis quæstionibus (neq; enim ferè accidit ut aliàs sint hæretici) quando iam redarguentur, quis erit disputandi finis, quum ex illis ipsis quæstionibus, quibus oppugnantur, eisdem quoq; referendi ministratur inexhausta materia: ut propemodũ eis accidere uideatur, quod nudis inter aceruos lapidum pugnãtibus, ut quo feriat neutri desit, quo se defendat neuter habeat: nempe quidam qui in scholis inter primos legũtur, & sunt non minus quàm habentur acuti: ut omittam interim quòd quasdam quæstiones de Deo tam ridiculas excogitarunt, ut putes ridere, propositiones tam blasphemas, ut censeas irridere. Certè contra fidem tam gnauiter obijciunt, tam segniter obiecta dissoluunt, ut præuaricatores agere, & fidẽ ioco tueri, seriò oppugnare uideantur. Hæretici ergo cum talibus compositi, quales antea dixi Theologos, cùm sint in eodem docti ludo, quando succumbent? non citò herclè opinor, si non unum magis lignorum fasciculũ uererẽtur, quàm multos syllogismorum fasces pertimescerent. Sed idoneus erit saltem qui concionetur ad populum. Hercules hoc ipsum est quod aiunt, Bouem ad Ceroma. Nam cùm nihil didicerit præter quæstiones, quæ sunt ad aures populi perquàm insolentes, minimeq; omniũ idoneæ, edi scendus est ei nimirũ sermo quispiã ex sermonibus Discipuli, aut Veni mecũ, aut Dormi securè, res per se ineptæ: quas dũ homo tractat ineptior, utpote nec ad id munus assuetum, & qui totã illã uerborũ congeriẽ ex

alieno ſtomacho declamet, neceſſe eſt ut concio tota frẽ geſcat. Quamobrem planè non uideo quæſtiones iſtæ quid faciunt ei quem ſolæ poſsident, niſi quòd eum ad cætera omnia reddunt inutilẽ: ut cui ſi quid ex his proponatur ſubtilibus magis, quàm ſolidis diſputationibus, in quibus ſe antè millies exercuit, iã domi ſuæ eſt, iam criſtas erigit uelut gallus, qui in ſuo ſterquilinio ſuperbit. At extra illa ſepta, ſi paulo producatur lõgius, ignota rerum omnium facies tenebras ac uertiginem offundit. Nec etiam Dialectica, rerum cæcitate labanti, quantumuis fortis, quãtumuis acuta ſuccurrit, quæ ut cognita rerum natura uarias inde ſpecies, multas argumentorum formas elicit, ita rebus ignoratis ipſis ipſas captiunculas, quas & penitùs & ſolas per tot annos imbibit, quum ſeſe iam ſenex è ſcholaſticorum contubernio, ubi eadem aſsiduè uentilantur, quapiam occaſione ſubduxerit, iam intra biennium uniuerſa illa acumina, numeroſa nimium uidelicet, euanida, nullo rerũ ſubnixa pondere, tanquam nebula fumusq; diſsparent: idemq; nimirum uſuuenit ipſi, quod de anima pueri ex Ariſtotele ſubinde citari ſolet, ut ipſius anima fiat deniq; uelut tabula raſa, in qua nihil omnino depingitur: & mirũ in modum uerſa rerũ uice cõtingit, ut qui prius omnes ſapientiæ numeros in argumentoſa loquacitate poſuerat, iam ſenex infantiſsimus omnibus riſui ſoret, niſi ſtulticiæ ſuæ ſupercilioſum ſilentium ſapientiæ loco prætexeret. Imò potius hoc ipſo ridiculus, quòd qui fuerat Stentore modò clamoſior, nunc uitio tam longè diuerſo taciturnior piſce reddatur, &

inter

inter loquentes ſedeat Mercurij ſtatuæ truncoq; ſimillimus Hermæ. Deniq;, ut quid ego hac de re tota ſentio ſemel intelligas, neq; Theologos omnes taxo, neq; imperitorum quæſtiones omneis condemno, uerum eas quæ nihil ad rem pertinent, quæ ſunt huiuſmodi, ut neq; quicquam eruditioni conferant, & multum impietati detrahant: eas inquam nõ improbandas modò, ſed deſpuendas quoq; cenſeo. Cæteras uerò, quæ tractant aut humana grauiter, aut diuina reuerenter, tum utrumq; adhibita modeſtia qua ueritatem inueſtigare ſeſe magis quàm altercari probent: modò ne quenquã ſibi totum uendicent, neq; quenquam nimis diu detineant, & ſuo ſe pede metiantur, neq; ſe melioribus conferant, nedum anteferant: has inquam ſic inſtitutas, admodum libenter amplector, hactenus tamen, ut eas tales eſſe fatear, quibus non inutiliter exerceantur ingenia: tales eſſe pernegem, in quibus ſalus uniuerſæ recũbat atq; innitatur eccleſiæ. Iam Theologos non eos uitupero, qui has degustarunt, imò laudo etiam qui ad altiorem ſacrarum literarum peritiam, ad meliorẽ priſcorum, & ſanctiſſimorum, & doctiſſimorum patrũ eruditionem, has quoque non abijciendas acceſſiones adiecerunt. Verùm huiuſmodi Theologos (ut ex animo dicam) non probo, qui quæſtionibus cuiuſq; generis non ineneſcunt modò ſed immoriuntur quoq;, qui ſeu ingenij ſterilitate quadã impediti, ſeu puerili ſcholaſticorũ plauſu incitati, neglectis antiquorũ omniũ literis, poſthabitis etiã ipſis quorum ſe doctores profitentur Euangelijs, nihil omnino præter quæſtiunculas

didicerunt, partim per se inanes his qui cæterarũ rerũ omnium inanes ipsi sunt: idq; iam senes, atq; ideo deplorati, qui neq; Scripturas cõmodè tractare incognitis ueterum scriptis queant, neq; ad eas cognoscendas (qua nũc sunt Latinæ linguæ penuria) pares esse possint: redire uerò ad Grãmaticã, atq; inter pueros, imò uerò à pueris etiã discere, hoc non solùm dispudet, sed etiã serũ est. Neq; mirũ est tamen, esse aliquos in tanto Theologorũ numero tales. Nam quis ordo obsepiri tã diligenter potest, ut non ambitione, precio, gratia, aut alijs malis artibus aliquis indignus irrepat, qui cũ sit in editũ receptus, quàm potest plurimos sui similes in eundem locum suo suffragio subleuat? Ita fit ut nullus ordo sit qui non indignis abundet. Nã ut in Senatu Romano fuerunt, quorum maiestatem nulli reges æquabant: ita rursus erant quidam adeò tenues atq; inglorij, ut miserè inter spectacula uulgi compressu elisi perierint. Quanquam ut nec illorum fulgori istorum humilitas offuit, nec istorum tenuitatem Senatorium nomen exemit contemptui: ita nec indignis Theologis istorum nomen eripit contumeliæ, nec eorum contemptus, aut erga singulos qui uerè sunt, honoris quicquã adimit, aut erga uniuersos quicquã reuerentiæ ac maiestatis imminuit: cuius ego certè tam conseruandæ atque ampliandæ sum cupidus, quàm quisquam uiuit etiam cupidissimus. Nam de Erasmo stultum fuerit idẽ polliceri, quum nemo nesciat, in sacrum Theologorũ ordinem nihil perperam, aut dici aut fingi posse, ut non propriè ac peculiariter ipsius agatur negocium.

Habes

Habes igitur hac in re animum mi Dorpi meum, nec dubito herclè quin etiam (si tuis es quem ego mecum fingo) tuum. quem si probas, esse Erasmi puta: sin minus, tantum meum, imò nec meum diutius quàm tu uoles futurum. Neq; enim quicquam animo est unquam tam obstinatè obfirmatum meo, ut non paratus sim eo iubente mutare, quem sciã nunquã quicquam sine ratione iussurum. Sed hæc hactenus. Ad reliquas epistolæ tuæ partes ero tanto breuior, quanto in hac fui uel æquo uerbosior: utrumq; etiam meritò. Nã ut ea de quibus antè disserui, Erasmus nunquam uidit, ita de quibus deinceps sum dicturus, & ipse scripsit, & se diligẽtius pollicetur scripturum: tum quædã sunt huiusmodi ut in his diuus etiam Hieronymus non suo solùm exemplo quasi præiudicio Erasmi partem tueatur, sed totã litem quoq; tanquam edita in scriptis sententia, secundum eum pronũciauerit. Nec enim quicquam est quod tu ne quicquam in Scriptura mutetur, è Græcorum fide codicum prohibes: quod non olim aduersus beatum Hieronymum & obiectũ sit, & ab eo ualidissimè confutatum. Nisi hoc uideri nouum uis, quòd translationibus, ut ais, quæ multæ olim fuerant, eiectis omnibus ne uarietate codicum fideles uacillarent, hanc unã à sanctis patribus acceptam, ab Hieronymo castigatam, atque ad nos usq; transmissam comprobauit Ecclesia: nõ uno aliquo consilio, sed perpetua consuetudine ad eã recurrendi, quoties in ullo consilio de fide nodus incidisset. Neq; enim alioquin fieri potuisse ut cæteræ omnes interierint, atq; hæc ad nos sola peruenerit, nisi id

non fortè accidiſſet, ſed adhibita à maioribus noſtris induſtria fuiſſet curatum. Primùm mi Dorpi, nemini dubium eſſe puto, quin hæc ipſa editio ante Hieronymi tempora (neq; enim alioquin ipſe hanc potiſſimum caſtigaſſet) & recepta ſit ab Eccleſia, & aßiduo citandi uſu comprobata: quod ego uel ſolũ in cauſa fuiſſe puto, quare ad nos uſq; ſola durauerit. Cur ergo Hieronymus auſus eſt mutare quicquam, idq; nõ aliijs modò & optimis & ſanctiſſimis uiris approbantibus factum, ſed ipſo quoq; Auguſtino adhortante ut fieret? Mutauit uerò Hieronymus, ut ipſe fatetur, ſi quid in ſenſu fuit, quo Latinus codex diſcreparet à Græco: hoc ille putauit utilius, quàm ea quæ tu Eraſmo ſuades ut faciat, uidelicet ut ea tantum annotet quæ commodius ac ſignificantius interpres uertere potuiſſet, ſenſum uerò ſi quando diſcrepet, manere patiatur, nec mẽdæ manifeſtæ Latinos admoneat. Quod Diuus Hieronymus non uſqueadeò curandũ cenſuit, eius tu præcipuam curam habendam putas: quod ille iudicauit potißimum, ab eo tu potißimum deterres. Sed hic occurris ac fateris, id ab Hieronymo rectè factum, quòd uidelicet tunc opus erat, dum adhuc uulgata hæc editio nõ ſatis eſſet emendata: at nunc repurgatis uitijs ſuperuacaneum iterum purgandi laborem fore. Nam ſi opus tam nunc eſſet, quàm tunc erat, non eſt ratio cur minus bene mereretur, à quo nunc idem denuò fieret, quod tunc Hieronymus fecit. Primum, neminem eſſe omniũ puto (dicam enim audacius) neq; Hieronymum quidem ipſum, qui profiteri auſus ſit, ſe tam certum ſui, ut in uer-

in uertendo nihil eum posßit omnino subterfugere (usqueadeò non deerit uel mediocribus interdũ post meliores etiam in quo uersentur utiliter.) Ergo quis uertendi finis erit, inquis? facillimus: si euenerit, ut quisquam tam cõmodè uerterit, aut ab alio nõ optimè uersum, alius ita correxit, ut his manentibus integris, non inueniant posteri quod mutandum censeant. At periculum est interim, ne uariæ translationes dubios faciãt animos fidelium, utram credere debeant ueriorẽ: quod ipsum in causa fuisse censes, ut reliquæ omnes de industria reiectæ sint, hac una seruata, ne fideles uacillarẽt. qua in re usqueadeò ego abs te dissentio, ut quod tu maiorum curæ tribuis, ego temporum assignem incuriæ, qua nimirum non illæ tantum translationes, sed multa etiam alia perière. Alioquin etiam si unam in ecclesijs tenendam recepissent, reliquas tamen quid necesse fuit abijcere, ex quibus non erat periculum ne fideles uacillarent? Imò quemadmodum nunc Euangelistarũ uaria narratione, series rerũ in luculẽtiorẽ peruenit noticiã, ita tũ ex diuersorũ collatione interpretũ studioso lectori daretur occasio, si quẽ aut uerbũ fefellisset æquiuocum, aut orationis decepisset amphibologia, aut sermonis proprietas imposuisset, ex reliquis conijciẽdi quid uerũ sit. Quod sanè utilissimũ esse & Augustinus sentit, & Origenes experimento didicit, & Iacobus Faber Psalterij quinctuplicis editione docuit. Atq; hæc ideo dixi, ut ostenderem etiam si diui Hieronymi labor adhuc maneret integer, non illum tamen reprehendũ esse, quisquis, si quid ab illo quoq; præteritũ inuenisset,

hoc ipſe uelut relictas à meſſore ſpicas colligeret. Nũc uerò quis non putet codices Latinos nihilominus atq; olim è Græcis eſſe corrigendos, quum ita ſint rurſus infecti mendis, ut ne ueſtigia quidem Hieronymianæ emẽdatiõis appareãt? Quod uſqueadeò in cõfeſſo eſt, ut ipſe tu quoq; qui id maximè negas, idem fatearis tamẽ. Nam cum ideo maximè contendas, corrigendi laborẽ fruſtra ſumi, quòd Hieronymi caſtigationes aſſeris magna patrum diligentia ſeruatas eſſe integras: tum in proximo ferè uerſu ſubdidiſti, Reſponde iam Eraſme, utram probet editionem Eccleſia? Græcam ne, qua nõ utitur, an Latinam, quam ſolam citat, quoties ex ſacra Scriptura aliquid definiẽdum eſt, uel præterito Hieronymo, ſi quando aliter legat, quod quidem non rarò contingit? Imò tu nunc reſponde Dorpi, ſi ut ipſe dicis, & uerè dicis, non rarò legat aliter Hieronymus quàm uulgaris habet editio, qũo poteſt eſſe uerũ qd' antè dixiſti, eãdẽ editionẽ ita manere correctã ut ille correxerat? Neq; enim quẽquam arbitror eſſe crediturũ, illum quicquam cõtra ſuã ipſius correctionẽ propoſuiſſe legendum. Tam ergo nunc opus correctione eſt, quàm olim fuit. An uerò tantundem liceat, hoc reſtat inquirendum. Quanquã nec inquirendũ hoc, nec dubitandũ uidetur, quin emendati codices tam nunc ſint Eccleſiæ utiles, quàm olim fuerunt. Sed Eccleſia nunc, inquis, iſtam editionem comprobauit. Atqui eadem Eccleſia eodem modo eandem editionem ante Hieronymi correctiones approbauerat: id quod iã antè reſpõdi. Quã quã nõ pigebit eandẽ orationẽ tuã, quã tu tam inuictã cenſes,

censes, denuò excutere, ne me præteruehi quicquã dis-
simulanter putes. Videris ergo mihi sic colligere. Au-
gustinus nec Euangelio duxit esse credendum, nisi Ec-
clesiæ compelleret authoritas. At Ecclesia comproba-
uit in hac translatione uerum esse Euangelium. Conse-
quitur ergo, si quid sit in Græcis codicibus diuersum,
ut uerum in illis Euangelium esse non possit. Hæc est
(quantum perspicio) argumentationis tuæ summa,
quæ mihi uidetur eiusmodi, quam non sit difficile solue
re. Nam primum Ecclesia sic in Latinis codicibus con-
tineri credit Euangelium, ut fateatur tamen è Græco
translatum. Credit ergo translationi. Sed magis arche
typo credit, Euangelium in Græcis esse uerum: in Lati-
nis uerum esse credit eatenus, quatenus fidit interpre-
ti, in quo (ut opinor) nunquam tantam habet fiduciã,
quin eum labi cognoscat humana fragilitate potuisse.
At in concilijs citatur ex Latino codice, quasi ideo fece
rint, ut de industria fidem archetypis abrogẽt Græcis.
Apostoli nónne citabant ex Prophetis secundũ transla
tionem Septuaginta interpretũ, omissa interim Hebrai
ci textus ueritate, dum Græcis scriberent? nec ideo ta-
men Hieronymus factum putauit esse præiudiciũ, qua-
si Græca translatio quàm Hebraica litera Apostolorũ
censeretur authoritate syncerior. Ego certè hoc persua
deo mihi, idq; (ut opinor) uerè, quicquid ab Apostolis
nobis traditum est, non esse iam à quouis melius uer-
sum, quàm ab ipsis Apostolis præscriptum. Ideoq; fit,
ut quotiens in Latinis codicibus occurrat quicquam
quod aut contra fidem aut mores facere uideatur, Scri-

pturarum interpretes aut ex alijs alibi uerbis, quid illud ſibi uelit dubiũ expoſcantur, ad unius Euangeliũ fidei, quod per uniuerſam Eccleſiã in corda fideliũ infuſum eſt, quod etiã prius quàm ſcriberetur à quoquam, Apoſtolis à Chriſto, ab Apoſtolis uniuerſo mũdo prædicatũ eſt: dubios huiuſmodi ſermones applicant, atq; ad inflexibilẽ ueritatis regulã examinãt, ad quã ſi nõ ſatis adaptare queunt, aut ſeſe nõ intelligere, aut mendoſum eſſe codicẽ nõ dubitant: cuius morbi medelã cenſent aut à diuerſis interpretationibus, tãquã medicis, imploranda, quod tibi iã periculoſum uidebatur: aut uelut à fonte quodã ab ea lingua repetendã, unde ea ſcriptura in Latinum fluxit eloquium. Verùm tu mi Dorpi cõcedis, olim rectè feciſſe eos qui Latinos quanquã ab Eccleſia receptos atq; approbatos codices, è Græcis emendauerint: ſed idem tamen negas nunc rectè fieri, propterea quòd ueriſimile ſit, ipſorum libros Græcorum aut de induſtria fuiſſe deprauatos ab ipſis, iã olim ab eccleſia Romana deſciſcentibus, aut poſtea ſaltẽ per incuriã uitiatos. Neq; enim eſſe credibile, ſi Latinorũ quibus perpetua fides fuit, codices paulatim tamen labefactati ſunt, incorruptos adhuc reſtare Græcorũ, apud quos ipſa iam olim fides corrupta ſit. Hæc ratio Dorpi non flexit Hieronymũ, quo minus Inſtrumẽtũ Vetus ex Hebræo ſermone trãsferret: quãquã ſi quid hic ualere debet, ibi magis debuiſſet, quum nemo neſciat, Iudæos ex profeſſo infeſtiores fuiſſe hoſtes Chriſtianis, ut quib. in uniuerſo repugnabãt, quàm Græcos Latinis, quibus cũ cõmuni Chriſtianorũ nomine cõuenerant, licet in quibuſdam

busdam dissenserint. Et profectò (ut uerè dicã) uidetur mihi neutiquam credibile, ullã gentem in deprauandos libros unquã conspirare uoluisse, ut ne dicã, nec potuisse quidẽ. Quæ enim spes esse potuisset, neminẽ ab ea re alieno animo fore, aut clàm id fore cõsilium, quod si rescisceretur (ut erat necesse quũ à Iudæis ad Christũ, à Græcis ad Latinos aliqui nullo non die profugerent) nõne prævidebãt fore quũ nihil assequerẽtur, suæ præterea parti sese præiudicũ allaturos? si se faterentur eã fouere causam, quã sibi cõscij essent non aliter posse se, quàm codicum deprauatione defendere. Sed de Iudæis Hieronymus uiderit. Græcos certè ab hac falsitatis suspicione liberat uel istud, quòd in his de quibus eis nobiscũ fuit cõtrouersia, eorũ libri cũ nostris cõsentiunt, nec de litera unquã, sed de intellectu literæ quæstio fuit: quanquam nemini potest esse dubiũ, eos si mutare uoluissent quicquam, non ea primùm modò, sed sola quoque fuisse mutaturos, quæ pro nobis, contra eos tamen faciunt: quæ si falsassent, non fuisset causa cur in alijs idem facturi putarentur. Nunc uerò quid comminisci quisquam possit, cur alia falsare uoluissent, cùm hæc ipsa reliquerint integra, quæ uel sola falsare uoluissent. Sed incuria saltem initiatos esse credi potest, præsertim si hoc nostris contigit, quibus ueri simile est libros fidei, sicut fidem ipsam, maiori semper curæ fuisse. Possem hic opponere non Hieronymum modò, sed Augustinum quoq; , quorum uterq; censet emendatiores esse Græcos codices, quàm Latinos. Sed ratione malo q̃ authoritate contendere. Hoc certè assero, neminem

esse

esse tam cuiusquam libri incurioſum, ut ita tranſcribendum locet, tanquã penſi non ſit habiturus, uitioſum ne an emendatum referat: quum alioquin poßit operæ & impenſis parcere, ſi omnino ne ſcribatur curet. Perſuadeo ergo mihi, *Græcos etiam curaſſe ut diligentia in tranſcribendis ipſorum libris adhiberetur, quod nemo dubitauerit qui libros eorum diligenter inſpexit.* Hoc *præterea rurſus affirmo, apiculos, diſtinctiones, & accentuum notas in cauſa eſſe, quo minus facile apud eos in ſcribẽdo erretur: nec ab hoc affirmando deterreor, quòd tu hoc argumentũ in aduerſam partẽ retorſiſti: propterea quòd (ut ais) facilius erratur ubi multa ſunt obſeruanda. Verùm ego contrà cenſeo, ibi minus facilè errari ubi facile erratur, ut ego quoq; Dialecticorũ more ænigma proponam. Verùm ſic opinor tamen, imò ſic experior, quemadmodũ in planicie dum feſtinamus intrepidè, ubi nemo caſum expectat, ſæpe labimur, quũ à præcipitio ſalui ſenſim nec niſi certo atq; explorato greſſu deſcendamus: haud aliter euenire ſcribendo, ut ad exemplar perplexum ſcriptor eo tranſcribat uerius, quo uidelicet attentius, quũ ex pulchro codice ipſa ſecuritate labatur. Quanquam & noſtros uitiatos eſſe, & eos remanſiſſe ſynceros, uel hinc eluceſcit, q, in noſtris eadem nunc uitia deprehendimus, quæ* Hieronymus *olim cenſuit emendanda. In illis eadem adhuc uidebis uerba, ex quibus ea* Hieronymũ *conſtat emendaſſe. Ergo quas ille mendas olim eiecit, nunc non licebit ex ijſdem codicibus rurſum expungere? & quũ religiones quas uocant omnes, fas ſit ſæpius renaſcentibus uitijs*

uitijs reformare, libros ſemel purgatos repullulantibus mendis nefas repurgare docemus? Iam quòd quæris quid ſit quod Latinos codices nõ ſinat incorruptos, deinde tibi ipſi reſpondes, quid niſi chalcographorum incuria pariter & imperitia? & illicò ſubiungis: Vide iam utros inuenies rariores? qui Græcis imprimendis ſint idonei, an qui Latinis: & ſcies utros codices cenſere debeas caſtigatiores. Quid tu his uerbis Dorpi uelis, nõ intelligo. Neq; enim te uereri puto, ne in annotatiõibus in Scripturas Eraſmus impreſsis utatur libris: quum neq; ſcriptorum codicum deſit copia, neq; in eã rem impreſsis uti, etiam ſi uelit, poſsit, cũ Nouum Teſtamentum, in quod eius deſudat labor, nunquam hactenus quod ſciam, Græcè chalcographorum typis excuſum ſit. Quòd ſi hoc uoluiſti dicere, quum chalcographi Græcas imprimant literas quàm Latinas depra uatius, idem in ueteribus etiam utriuſq; linguæ ſcriptoribus accidiſſe. Semoueamus iſtos Dorpi, qui literas ſic Latinas imprimunt, ut Græcæ magis quàm Latinæ: ſic uiciſsim Græcas, ut Arabicæ magis quàm Græcæ uideantur. Comparemus in utroq; genere qui utrunq; poſſunt, cuiuſmodi Aldus Manutius Romanus erat in primis, & nunc Ioannes Frobenius Baſilienſis: hos atque eiuſmodi chalcographos audeo affirmare, quod ipſe quoq; experimentis cõperio, uerius ac ſyncerius Græca quàm ipſa Latina referre. Quod ipſum multaq; itidem alia ad hanc rem faciẽtia, multo certius ipſe legendo quàm audiendo intelliges, ſi te quoq; aliquando ad Græcã linguã pernoſcendã cõuerteris: id quod ualde opto.

opto. nam ſuaſurus fruſtra ſim, quod nec Eraſmus perſuauit, aduerſum quem, imò temet aduerſus ipſum ſedulò te defendis, ne cogare uidelicet ex Græcarum cognitione literarum proficere. Quamobrem ut ad eas te literas pro animo iſtoc tuo tam aduerſus eas offirmato, hortari ſuperſedeo, ita pro meo in te amore optare tibi non deſinam: nec ſpem tamen unquã depono, fore aliquando, nec id quidem haud multo pòſt, ut ceſſantibus hac de re diſputationibus, in quibus aſſidua tua illa in ſcholis uictoria, nõ patitur te libenter cedere, quod (ut uideo) iã nemo poteſt alius, ipſe nimirum perſuadeas tibi, cùm iſtos imperatores tuos quib. nũc militas, quorumcũq; interim gratiam tã magnæ eruditionis parti præfers, aut maturiore iudicio neglexeris: aut certè etiam illis ipſis utile & tibi & eorum conſilijs fore perſuaſeris, quo uidelicet Græciſtas iſtos ſuis ipſorum gladijs confodias, maioreq; aduerſus eos authoritate diſſeras quàm nũc, cùm de re tibi tã in totũ ignorata diſputas. Qua de re tamẽ cũ perinde ſcribas, ac ſi ſuperuacaneã putes operã quæ in Græcas literas impẽditur: mihi profectò non perſuades, ea te ſentire quæ ſcribis. Neq; enim ſimile ueri ſit, te uel ea prudẽtia cõmoditates eius linguæ non uidere, uel eo in bonas artes omneis ſtudio nõ cõcupiſcere, præſertim cũ abs te quoq; dũ negligendã diſputas, propemodũ afferãtur cauſæ, quibus incitari maximè ad eã cõſequẽdã poſſis. Nã ſi (ut tute ueriſſimè certè ac ſapientiſſimè dixiſti) unaquæq; lingua ea præcipuè dote præſtat atq; excellit alias, ſi cõtingat ei ut maiorẽ bonarũ diſciplinarũ theſaurũ in ſuis literis uelut

uelut arculis cõtineat. Quis hac una ratiõe tua neſciat, Græcã eſſe eã quæ ſummopere ſit cũ ab uniuerſis mortalibus, tũ uerò ſeorſum à Chriſtianis amplectẽda, utpote à qua & oẽs diſciplinæ reliquæ, & Nouũ Teſtamentũ ferè totũ nobis fœliciſſimè ſucceſſit: niſi tu illam hoc translationũ cotidiano prouẽtu uelut aſſiduo partu, ef fœtã nũc tandẽ atq; exhauſtã putas. At primùm ex his ipſis cõmentatoribus Ariſtotelis, quos tu in illa oratione cõmemoras, quæ ſiue ut Laurẽtium uituperes, ſiue ut laudes Ariſtotelem (nam utrũq; acriter ex æquo facis) elegantiſſimè certè ſcripſiſti, Alexandro inquam, Themiſtio, Ammonio, Simplicio, Philopono, Olympiodoro: quotuſquiſq; ex his inquã eſt, excepto uno Themiſtio, qui non adhuc ſua tantum lingua legatur, niſi quòd Alexandri problemata in Latinũ uenêre ſermonẽ. Ex reliquis ſi quid Latinè legitur (neq; enim ignoro, haberi & Alexãdri, & Simplicij fragmẽta) id totũ eius generis eſt, ac tã parum Latinũ, ut à Latinis propemodum minus quàm ipſa Græca intelligantur. Neq; iã de Poetis aut Oratoribus dico quicquã, ſed neq; de alijs Philoſophis, aut alijs etiã eiuſdẽ Ariſtotelis cõmentatoribus uerbũ facio ullũ: quãquam uel unus Ioannes Grãmaticus tantũ habet acuminis, tantum eruditionis, præſertim Ariſtotelicæ, ut ſi cũ eo poſſis ipſius lingua loqui, reduceret te, ſatis ſcio, unus ille cũ Grammaticis omnibus quibus nũc parũ propitius uideris, in gratiã. At ex antiquis Chriſtianæ doctrinæ ſcriptoribus, cùm multo maximã partẽ Græcè cõſtet ſcripſiſſe, ppauci ꝑ tanto numero uerſi ſunt: quidã uerò ita uerſi, ut potius

uideantur

uideantur ſubuerſi. Ad Ariſtotelẽ ipſum uenio, quẽ & ego ut ſupra multos, ita cũ multis amo, quem tu in memorata oratione tua uideris non ſupra multos modò, ſed pro multis quoq;, atq; adeò pro omnibus amplecti. Hic ergo ipſe nõ poterit totus tibi ſine Græcarũ peritia literarũ innoteſcere. Nam ut omittã illud, nihil eius tam commodè uerſum eſt, ut nõ idem ipſum ſuis ipſius uerbis acceptum in pectus influat potẽtius. Et illud itẽ, quòd quædam opera eius adhuc Græca feruntur, quorum titulos neſcio an Latini habeant. Certè ex his ipſis operibus quæ nunc habent, ſic habent quædam, ut etiã non habeant. æqua ſorte ipſum etiam Meteorologicorũ opus tam conſtat eſſe, quàm dolendũ eſt: quũ neſcio an ullus ex tam multis eius uiri laboribus dignior ſcitu ſit, aut ipſa rerum natura ab ulla ſui parte mirabilior, quàm ab ea quæ ut nobis proxima circũfuſaq; undiq;, ita magis ignorata atq; incerta eſt, quàm aſtrorum poſitio, motusq; ſyderum, quæ tã porrò ſemota ſunt. Sed hoc opus tamen ſpero propediẽ fore, ut à Thoma Linacro noſtrate, illuſtriſſimi Regis noſtri medico, Latinis donetur auribus, utpote cuius iam nũc duos libros abſoluit: perfeciſſetq; nimirum opus, atq; edidiſſet uniuerſum, niſi Galenus eum exoraſſet, ut quũ dux atq; imperator Medicæ rei ſit, uel ſepoſito interim Ariſtotele, Latinus eius opera prior ipſe redderetur. Prodibit ergo Ariſtoteles aliquanto ſerius, ſed prodibit tamen nihilo incultior: præterea nec incomitatus. nam Alexãdri Aphrodiſæi commentarios, in idem opus unà uertit, initurus apud Latinos oẽs immortalem gratiã: in quorũ

non

non uulgarem utilitatẽ, Philosophi præstantißimi operi tã egregio præstãtißimũ interpretẽ sic adiunxerit, ut eius labore demum ab Latinis posßit intelligi: quod hactenus à nemine (ut ego certè suspicor) qui Græcè nescierit, intellectum est. Nam quum ipse iam olim idẽ Aristotelis opus audirem Græcè, eodem mihi perlegente atq; interpretante Linacro, libuit interdũ experiendi gratia uulgatam etiam translationem inspicere: è cuius lectione mentem illicò subijt eiusdem Philosophi de Physicis suis dictũ. Nam ut illa sic ait edita, ut tamẽ edita non sint: ita hæc quoq; sic uersa uidebantur, ut nullo pacto uersa uiderentur, usqueadeò, ut quæ Græcè callebam probè, eadem ipsa uersa non intelligerem. Neq; est quòd à Latinis interpretibus sperari posßit auxiliũ, quum Albertus quoq;, quem ad æmulationem Alexandri Magni, Magnum uocant, quiq; se Periphrasten Aristotelis profitetur: Paraphrastes uerius uerò in eo opere iudicari debeat, ita cum sit eius officium Aristotelis sensum alijs uerbis referre, affert prorsus (ut aiunt) ex diametro diuersa. At Gaitanus (nã is quoq; facit commẽtarios) describit nobis, unus terræ pugillus in quot pugillos aquæ liquescit, & aquæ item pugillus unus in quot pugillos aeris dissoluitur, & quò non ulterius ad eundem modum progreditur? Sed tamen dum has tam immensurabiles mensuras metitur, ad Aristotelis interim sensum ne gry quidẽ. Infinitum mi Dorpi fuerit explicare, quàm multa desunt ei cui Græca desunt. Neque tamẽ ignoro, et alios multos, et te in primis ipsum, sine Græcis literis ipsam doctrinæ arcẽ uersus eousque

Albertus Magnus.

Gaitanus.

 prouectum,

prouectum, quò multi non posſint etiam Græcè docti ſudantes atq; anhelantes aſcendere. Sed hoc unũ tamen auſim affirmare: ſi cæteris diſciplinis tuis tu Græcas præterea literas adieceris, quantũ nunc alios & Græcè peritos exuperas, tantũ tunc te etiã ipſum ſuperabis. Sed de his hactenus. De Moria, quoniam Eraſmus, qui eam olim meo patrocinio commendauit, eandẽ rurſus tuendam ſuſcepit, tibi non eſt neceſſe multa diſſerere, quũ res alioqui per ſe facilis reddita ſit, partito labore facilior. Itaq; nõ dubito quin ille ſit ea dicturus, imò in illa breui epiſtola iã nunc dixit, quæ ſufficere apud omnes debent: ita ego quæ dicã, quantulumcũq; apud alios ualitura ſint, apud te (ut opinor) inualida eſſe non poſſunt. Et primùm miror, quid hæc ſibi tua uerba uolunt, Ecce repentè infauſta Moria tãquã Dauus interturbabat omnia. At quomodo nunc repentè? quaſi nũc primum Moria repentè prodierit, quæ iam plus annis ſeptem ſepties interim nouis excuſa formis in clariſſima luce uerſata, in omniũ ſinus recepta ſit. Aut quamobrem quæſo infauſta? quæ quàm fœlicibus auſpicijs proceſſerit, non ne uel hoc abundè demonſtrat, quòd non debuiſſet toties in tot exemplaria diffundi, niſi tã multos inueniſſet quibus impenſè placuiſſet? nec hos ex ſece uulgi: neq; enim eas merces facile diſtractas eſſe mirarer quæ placerent indoctis, quorum ubiq; turba ſcaturit, ſed doctiſſimis. Nam eã niſi doctis placere uel hoc indicio eſt, q, non niſi docti intelligũt: quod ipſum fortaſſe fuit in cauſa, ut hi duo aut tres Theologi, quos Moria cõmouit, iraſcerẽtur, quòd ab alijs perſuaſi credunt,

dunt, plus ab ea ipsa dictũ, quàm dictũ sit: alioqui fors non succensuri, si ea ipsa quæ dicuntur ipsi intelligerẽt. Sed tu mi Dorpi, putás nullos rideri potuisse Theologos, quãquã tales eos esse quales Moria ioco describit, ipse propemodũ seriò fateris, quũ ais, Asperæ facetiæ, quibus multũ ueri admixtũ est, acrẽ sui memoriã relinquunt. Verũ est hercle quod dicis. Non tam acriter has tulissent facetias isti Theologistæ, nisi quàm erant asperæ, tam etiam ueræ fuissent. Ergo cùm tales sint, quales ipse fatearis esse, probas? non opinor. uituperas ergo? apud te certè scio facis; faceresq; palàm, nisi in animũ induxisses tuum, nemini esse aduersus: & ita te comparare statuisses, ut te omnes prorsus cuiuscunque modi sint, docti indocti, boni maliq;, laudent, cui (ut ais) uolupe sit, si uel catelli cauda uelut amicitiæ symbolo blãdiantur. Facis tu profectò mi Dorpi cautius: sed nec ille tamẽ deterius, qui in malos apertè ac simpliciter, quod Gerardus facit Nouiomagus, inuehitur: quanto minus qui, quod Erasmus facit, sumpta Moriæ persona, & prudenter magis, & minus licenter iocatur, cuius cùm iocos salesq; non feras, & παλινῳδίαν cum uelis: in Satyris Nouiomagi tamen (ut scribis) nihil inueneris quod mutari uelles: quum tamẽ illæ Satyræ sint mordaciores ubi sunt leniſsimæ, quàm Moria ubi mordet maximè, meritoq;: nam id Poeseos natura poscit, quæ nisi sit acerba, non est Satyra. Itaq; operæprecium est audire, quàm Satyricè in Monachos ubiq; ac fratres inuehitur, ut illorũ superbiã, luxũ, inscitiã, cõpotatiões, ingluuiẽ, libidines, hypocrisinq; describit, nõ minus elegãter

Gerard. Nouiomagus.

quàm acerbè, nec minus etiam meritò. Nam licet multi illis sint opprobrijs indigni, non desunt tamen aliqui, in quos singula quadrant, quidam etiam in quos uniuersa concurrant. Quamobrem non miror, nihil in eis reperisse te quod mutari uelles, sicuti nec ego certè. Sed hoc miror, cur abs te nõ posit impetrare Moria ut impunè iocaretur in Theologos, quum illæ abs te obtineant Satyræ ut tam acriter obiurgent religiosos, atque in his Theologos etiã. Sed omitto Gerardi Satyras. Si quis tuas mi Dorpi excutiat epistolas, nihil' ne reperire posit quo tu ullum hominum genus aliquo mordaci dicto perstrinxeris? An illud edentulum prorsus esse putas, quo in memorata epistola ad Menardum Abbatẽ, respergis Antistites: qui dum illum laudas, alios hoc pacto deploras, Heu me, heu miseros eos, qui non religiosos agunt, sed caballis stipati, Cæsaris triumphos nobis referunt: quos satius foret humi repere, quàm inferos equites properare ni pedites timeant serius illuc peruenire. Hæc mihi Dorpi tam mordax facetia usqueadeò tibi blandita uidetur, ut ideo de equis potissimùm locutus uideare, ne tam bonum dictũ perderes: alioqui opinor uides, nõ usqueadeò magnum facinus esse, si abbates equitent, & bestijs in quos creati sunt usus utantur. Audiui etiã, nec alios Antistites equitare semper, & illum tuũ interim, ut in illũ etiam ipsum penè iocus tuus recidat, à quo eum cupis in alios auertere. Sed ita sua cuiq; blanditur ratio, tam bene suus cuiq; crepitus olet, ut cum ad aliorum iocos frontem contrahimus, ut uelut asperos non patimur: nostros neq; magis festiuos,

&

& magis mordaces amplectamur. Sed hæc in religiosos Antistites iocatum te negabis, uerùm deploraſſe potius, præſertim cum ab illa inauſpicata interiectione auſpicaris, Heu. Ego certè quacunq; figura proferatur iocum, puto quod ita dicitur, ut nemo ſine riſu audiat. Quanquam quid refert ioco an ſeriò mordeas? imò refert adeò, quum nemo ferè ſit qui iocoſo in ſe dicto non arrideat, nemo ſit qui ferat. Alioquin ſi deplorare licitum, iocari uetitum putas, facile Moriæ fuerit toti orationi iocoſè interiectionem dolendi proponere, & mutata figura Theologos eoſdem, quos antè deriſit, ijſdē uerbis denuò deplorare. Neque enim facilè decernas, utrum deplorandi magis, an ridendi ſint. Sed in Antiſtites fortaſſe quiduis licere debet, etiam mediocres: at in Theologos utut ſint, licere debet nihil. Nam eò ferè tendunt, quæ in hac nouiſſima ad Eraſmum ſcribis epiſtola. ais enim, Miraris tantos conciuiſſe motus tuam Moriam quæ pluribus placet, non Theologis modò, ſed epiſcopis etiam. Atqui ego te demiror Eraſme, quî pluris facias epiſcoporum in hac re iudicium, quàm Theologorum. Siquidem epiſcoporum noſtri ſeculi uitam, mores, eruditionem dicam, an inſcitiam, noueris: quorum ut ſunt certè nonnulli tanto digni faſtigio, ita mira eſt paucitas. Hic tu Dorpi, cùm Theologos ægrè leuiſſimo ioco patiaris aſpergi, Epiſcopos apertis opprobrijs magna cum authoritate perfundis, ut in quibus non tantum eruditionem requiris, & carpis inſcitiã, ſed uitam quoq; ac mores contumelioſè cõdemnas. Sed Theologos plurimũ refert (ut ais) integræ apud

populum esse authoritatis: quasi nihil referat, apud populum quales æstimentur Episcopi, qui quẽ locũ teneant in Ecclesia Christi, quàm longè supra Theologos tuos, non est ignotum tibi, qui Pontifices liquidissimè nouisti in Apostolorum successisse locum. Neq; cautius prospexisse putes tibi, quòd nonnullos feceris episcopos tanto dignos esse fastigio: cùm nec ipse Moriã credas indignorum uitia dignis imputare Theologis, quæ tamen uel hoc te uincit, quòd nihil impedit per eã multos dignos esse Theologos. At Episcoporum per te bonorum nõ modò paucitas, sed etiam mira paucitas. Sed donemus hoc tibi, nihil esse mali, Pontifices uel ridere dicterijs, uel maledictis incessere, modò ne sacrosanctos Theologorum magistratus attingas. Quid ad hoc dicis? quòd illos ipsos Theologos non nomine quidem, sed descriptione tam euidente, ut non ullo nomine designari potuissent expressius, ita mordes ut penè laceres in proœmio quod in Pyrgopolinicem Plauti fabulam lepidissimè conscripsisti. Verùm interim Plauti me nomen admonuit eorum quæ tu sparsim per epistolam tuam cùm in cæteros poetas, tum in Terentium nominatim ex Augustini uerbis congeris: quæ res longiorem disquisitionem flagitat, quàm ut à me in hac disputetur epistola. Sed hoc tamen abs te quæro, utrum ibi illis hoc uoluisse uidetur Augustinus, Christianis uidelicet non esse legendum Terentium. Quòd si ab eo perdiscendo non deterreat, nihil aduersus poetarum lectiones facit ille locus. Sin Augustinum id egisse putas, ut à poeseos studio Christianos auerteret,

rursus

rursus abs te percunctor, ipsé ne Terentium adhuc docendum censeas? Quòd si censes, quid attinet id tam citare diligenter, cui non putes esse parendum? Sin docendum neges, ab Augustino uidelicet persuasus: miror profectò quo pacto acciderit, ut tandem nunc primùm tam serò persuaserit ille, quem te non dubito tam diu antea legisse: nec interea tamen abstinuisse à legendo Plauto, nec à legendo tãtum, sed nec à docendo, exhibendo, agendoq; publicè, Poeta nihil quàm Terẽtius castiore, imò ne tam casto quidem. Quid quòd eiusdem Militem glorioſum facetissimo prologo locupletasti? Aululariæ uerò non proœmium modò, sed qui comœdiæ defuerat finẽ adiecisti: qui mihi, seu sermõis elegantia spectetur, siue sales, sales uerè Plautini, nulla parte totius comœdiæ uidetur inferior. Cuius rei uel hi ipsi uersus erunt indicio, quibus (ut dixi) Theologos istos amusos quos nũc tueris, ita bellè describis, ut nemo derideat salsius, nemo insectetur uehementius. Nam quid his carminibus (referam enim) uel magis facetũ posśit esse, uel magis elegans?

Primùm omnium qui sunt amusi, & literis
Non proletarijs malè inaugurati, eos
Ablegat hinc in maximam malam crucem.
Siquidem stomachabundi oblatratores facere
Pergant etiamdum, quod nunquam non factitant,
Clamoribus ampullosis infremere, &
Venena liuoris effunditare sui,
Et obloqui, & obgannire, & dentibus omnia
Arrodere carniuoracibus, & sicut canes

Solent, quibuslibet allatrare ſibi obuijs.
Eos homines (ſiquidem & ipſi homines)
Quum illiterati ſint, quum ſint agrarij,
Mihi ſedulò iußit Plautus hinc abigere.
Sin fortè ſint profectò, niſi comprimant ſibi os,
Nihil quoq; graxint, minatus eſt fore ulmeos,
Vbi hoſpitio excipientur Acherontico.
En mi Dorpi, quàm neq; poetis abſtinendum putaſti, et amuſos illos Theologos quàm bene ſuis coloribus depinxiſti? Quòd ſi te neges tunc fuiſſe Theologum (ſiquidem ſcripta ſunt abhinc ſeptennium) certè uix ſeſquiannus eſt elapſus, quòd eadem recollecta edidiſti, iam certè Theologus: quadriennio poſt habitam luculentißimam orationem tuam de aſſumptione Deiparæ Virginis. Quid ergo refert an Theologus effeceris, an prius facta, Theologus edendo comprobaueris? imò refert adeò. Nam ad ſcribendum impetu plerunque trahimur: intermiſſa quum retractamus, certum adhibetur iudicium. Ergo mi Dorpi, dum è dentatis Gerardi Satyris, quibus Monachorum ſpurciſſima deſcribit uitia, nihil mutandum cenſes: dum ipſe religioſorum Antiſtitum ſic miſereris ut rideas, ſic rides ut mordeas, cæterorum Epiſcoporum, præterquam mirè paucorũ, inſcitiã, uitã ac mores acerbè uituperas: dũ Theologos iſtos ipſos, quorũ in moriã, Moriam iocari nefas ducis, ipſe amuſos uocas, oblatratores, ſtomachabundos, literis nõ proletarijs malè inauguratos, ampullosis infrementes clamorib uenena liuida effundentes, obloquentes, obgannientes, dentibus omnia carniuoracibus

racibus arrodentes, in obuios quosq; , sicut canes solẽt, allatrantes, illiteratos, agrarios, postremò uix homines, in maximam malam crucem censes ablegandos. Dum hæc mi Dorpi facis, quomodo tibi non uenerũt in mentem tua illa tam bene consulta consilia, quibus Erasmum nunc tam amicè ac tam prudẽter admones? ubi tunc illud Sallustij, Extremæ esse dementiæ nihil aliud quàm odium se fatigando quærere? ubi tunc illud Cornelij Taciti, Asperæ facetiæ quibus multum ueri admixtum est, acrem sui memoriã relinquunt? quo tunc fugiat illud Epicteti, Ne putes omnibus iucunda auditu? Profectò mi Dorpi charissime, sic est à natura comparatum, ut modum semper ab alijs exigamus, libertatem omnes indulgeamus nobis. Noui ego qui Reuchlinum, Deus bone quem uirum? non satis æquo animo ferrent, quòd in æmulos suos, uidelicet imperitissimos doctissimus, in stupidissimos uir prudentissimus, in uanissimos nebulones homo integerrimus, ab ijsdem in tantum lacessitus iniuria, ut si manu se uindicasset, ignoscendum ei uideretur: noui inquam qui non ferrent, quanquam eius etiam studiosi, quòd stilo contra illos liberè, ac magis liberè tamen, quàm uerè affectus suos effunderet. Noui itidem eos ipsos qui hæc non ferebant, paulo pòst tamen in rebus & minoris momenti, neq; ad se tam propriè pertinentibus, multo etiam atrocius excandescere. Tanto nimirum procliuius est alienis affectibus quemq; temperare, quàm suis. Ergo non licuit, inquis, mihi uel Satyras atq; Episcopos quoque uel ioco uel seriò dicere? modò uera, neq; nomina- Io. Reuchlinus.

to quoquam. Imò uerò mi Dorpi uſqueadeò licuiſſe tibi cenſeo quod feciſti facere, ut mihi nihil unquam in uita melius feciſſe uidearis, modò ea ne deſit æquitas, qua tibi quod laudi ducis, idem in alio non uitio uerteris. Iſtud ergo totum de Moria, mea (mi Dorpi) ſententia, & ſine cauſa mones, quum nihil ſit quod moneri debeat, & ſi quid eſſet, poſt tot annos etiam ſerò mones. Nam quod in calce prioris epiſtolæ tuæ poſuiſti, reconciliatum iri Theologis iſtis Eraſmum, quos Moria commouit, ſi Moriæ laudibus Sapientiæ laudẽ opponeret, mediocrem mihi riſum mediuſfidius excuſſit. Sapiunt ſcilicet, ſi hoc Moriæ encomio Moriam ſic putant eſſe laudatam, ut laudari cupiant eadem figura ſapientiam. Quod ſi cenſent, quid iraſcuntur? cùm ſint ipſi quoq; à tam laudata Moria tam abundè laudati. Præterea non uideo, quo pacto ueris ſapientiæ laudibus iſtorum in ſe inuidiam Eraſmus lenire poſſit, quin potius uelit nolit multo acerbiorem redderet: quippe cùm eos tam ex ſapientiæ contubernio, cogeretur eijcere, quàm nunc coactus inter peritiſſimos Moriæ myſtas aſcribere. Hæc ſcribenti mihi ſuperuenerunt literæ, quibus ad ſe meus me Princeps reuocat. Hæ me adhuc ſcripturientem coegerunt, ut ſiſterem aliquando, atq; iſtam finirem uel inuitus epiſtolam: quæ cùm tam longa ſit, ut breuior fortaſſe fuerit, ſcriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes: neſcio tamen quo tecum colloquendi ſtudio adhuc cupiebat increſcere. Quanquam iam nunc nihil intactum reliquimus, certè, quod ſciam, nihil per diſſimulationem prætermiſimus. Neq; enim

iſtud

istud reor expectaturum quenquam, ut Moriam à blasphemiarum atq; impietatis etiam suspicione defenderem, tanquam ea Christi religio malè audierit. Nam hoc & in prioribus literis tuis ita posuisti, ut planè te ostenderes contra animi tui sensum alienã referre sententiam: & in hac epistola posteriore, cùm cætera omnia, quanquã illa quoq; magna ex parte non tua, tũ in quibus hærere aliquis potuit color pro hoc ingenio atq; hac doctrina tua, magnificè atq; ampliter excolueris: hanc tamen de impietate calumniam cõsultò, uelut impiam ipsam sacrilegamq;, ac nõ manifestariam modò, uerùm futilem quoq; atq; ineptam prorsus omisisti. Ea ergo de re nihil erat mihi dicendum, de cæteris dixisse me puto. Nihil ergo restabat aliud de quo tractare uoluerã. Sed nisi Principis me interpellassent literæ, scripturus fortasse fui ijsdem de rebus plenius. Verùm ut non ingrata est hæc epistolæ complicandæ necessitas, quòd uereor ne qua nunc est longitudine, tibi possit esse molestiæ: ita non lætor ademptam mihi facultatem, qua hæc eadem liceat sub incudem reuocare, atq; hunc rudem & informem fœtum meum sæpius lambendo refingere: quod facere profectò animus erat, ad te doctissime Dorpi ut cultior aliquanto ueniret, cui me meaq; omnia probata esse cupio: quorum nunc ruditati non adeo solum ueniam dabis, quòd properus iste discessus effecit, ne mihi uel relegere liceret: sed ob id quoque quòd ista scribenti mihi non modò libraria nulla, sed nec liber ferè ullus affuit. Quanquam ne nunc quidem ingrata tibi qualiacunque fore in tua

humã-

humanitate prima ſpes eſt, ſecunda in mei ipſius induſtria, qua me ſedulò cauiſſe cõfido, ne quicquam in his eſſet quod tuas aures meritò poſsit offendere, niſi mihi (ut homo ſum) meorum amor impoſuit. Quòd ſi uſquam incidat culpam admonitus, agnoſcam ingenuè, nec tuebor meam: nempe ut quos amo ſi quid eorum interſit non grauatim admoneo, ſic ab amicis ipſe admoneri ualde mediusfidius gaudeo. Neq; hoc me fugit tamen, Eraſmo quædam ex ſtomacho te non obieciſſe tuo, ſed ab alijs accepta potius pertuliſſe: ut tu uiciſsim intelligas, me multa his in literis, illis per te potius reſpondiſſe, quàm tibi, quem ego non ſolum ut amantiſsimum diligo, & doctiſsimum ſuſpicio, uerumetiam ut optimum uirum reuereor. Vale chariſsime Dorpi, ueréq; tibi perſuade, neminem eſſe tui magis uel in Holãdia tua ſtudioſum, quàm ſit Morus apud toto diuiſos ab orbe Britannos, ut cui non minus charus es quàm ipſi es Eraſmo. Nam charior eſſe non potes, ne mihi quidem.

Iterum uale. Bru-
gis.

THOMAS MORVS D. ERASMO ROTERODAMO uiro optimo atq; doctiss. S. P.

QVID uidisti unquam Erasme optime atque doctissime, suauiorem quenquam quàm sit hic noster Brixius? qui simulatq; ipsi quicquã dissimulare libet, reliquos idem mortales omnes satis elatum putat. Nam quando homo quantumuis stupidus non sentire non potuit, quàm esset absurdum, odiosum, infame, sine causa quenquam iurgijs & conuicijs impetere: iterum atq; iterum narrat, instigit, inculcat, epigrammatibus meis prouocatum se defendentis tantum partes obtinere, ut diris & execrationibus impetitus, non nisi iocis contrà, salibus & facetijs repetat aduersarium. Cæterùm de petulantia, mendacijs, probris, quibus omnem prius prouocarat Angliam, uerbum interim nullũ, ut nec de eo quidẽ, quòd quæ simultas olim inter nos agitata fuit in medijs belli tumultibus, eam ille iam olim mortuam, nunc demum in summa pace redintegrat. Et sic agit homo Phormia na confidentia, ut quum suã causam facile sentire possit, nulli non esse damnatam, qui quidem rem pernorit: tamen uelut eam bene ac dilucidè quibus oportuit iudicibus approbasset, iam suo iure scilicet quiduis debacchetur in me, & totam pectoris sui sentinam lepidus &

Et hæc nunc primùm edita.

dus & facetus exhauriat: qui postquam unum atq; alterum epigramma scriptum ioco, statuit habendum esse pro diris, tāquam dixisse modò, fòret omnibus prorsus persuasisse: simul persuasit sibi rem se plausibilem facturum, si paucos uersus & aduersus petulantissimū eius libellum & in bellico tumultu ludentes olim, nunc demq; tot annis post factam ac firmatam pacē, in quanta nunquam fuit ullorum populorum concordia, libro uirulentissimo rependeret: sperans uidelicet neq; tam oculatum fòre quenquam, ut id posset cernere ad quod ipsi libet conniuere, neq; tam importunè sæuerum iudicem, ut aliud exigat probamentum quàm narrantem Brixium, præsertim suæ causæ æquitatem tanta cum fiducia iactantem. At mihi certè uisus esset aliquanto minus impudens, si has ad populum tātum phaleras exposuisset: in quo reperire potuisset aliquos quibus res adhuc esset incognita, multos quibus alteruter nostrûm, quosdam quibus uel iniquè placent rixæ, ac non hoc pacto bos eiusmodi sese iactaret ephippijs apud te, qui non tantum proram puppimq; certaminis (nisi non legisti Chordigeram: nam cætera legisse te scio) uerumetiam certatores ipsos intus, quod aiunt, & in cute nostri: tum cui sciat eiusmodi rixas etiamsi quæ iusta sint exortæ causa, tamen pro tui ingenij candore atq; humanitate odiosas inuisasq; esse, nedum hanc illius ineptissimam, iniustissimam, inhumanissimam, & quam abs te uidisset epistola ad se missa, uelut præiudicio damnatam, adiectis etiam tuæ sententiæ causis, altera in honorem utriusq; ciuiliter magis excogitata quàm uerè,

uerè, quasi nos essemus hi quos literarum interesit concordes esse : altera certè iustissima, quòd quæ olim flagrante lusimus bello, ea nunc facta pace conueniat obliterari. Ex his causis illam quæ ciuilior erat quàm uerior, quanquam de me contemptius admittit, de se tamen candidus atque modestus agnoscit : alteram illam quæ tam uera fuit ut negari non posset, dissimulanter præterijt, ac rursus ob oculos fundit prouocationis puluerem, qua se lacessitum à nobis & prius prædicat, & hostiliter. Et profectò si Brixius, ut totus est in Metaphoris comicis, ab epigrammate meo uelut ab epitasi iubeat hanc auspicari fabulam, negare non possum quem ipse prouocauerim. Sin communi more patietur addi suo loco protasim, non erit opinor ambiguum, quòd nihil habeat comicum illius turbulenta catastrophe. Nam primum quis non admiretur insignem impudentiam toties occlamantis prius lacessitum se : quum sciat interim, suam passim prostare Chordigeram, quam non fuissem prosequutus epigrammate, nisi nostram gentem totam mendacibus impetisset conuicijs. Qua in re quid comminisci potest quod isti prætendat calumniæ ? an quòd epigrammata mea præcesserint eius libellum, quum non ad aliud quàm ad eius libelli ludant insciti am, furta, mendacia ? Aut, ut est acutus rhetorculus, contendet in Chordigera nihil esse conuitij ? At idem quamtũuis impudens, non negabit in primo limine Chordigeræ omnes fœdifragos uocare se, & petulãter appellare periuros. Et tamẽ audet

præfari,

præfari, oliuam ſeſe medijs in armis geſsiſſe, homo nimirum ſic affectus ergà mendacia, ut periurium quoq; & fœdifragium habeat in blanditijs. An nihil ad me pertinuiſſe cenſet, mendacijs & calumnijs ab illo laceſſitam patriam, quòd ipſe non attingar nominatim? Nã id uidetur innuere, quaſi non hac ratione, atq; adeò eadem præclara oratione latroni liceat in ius uocare uiatorem, à quo ſit fortaſſe repulſus inclementius, quũ non illum impeteret, ſed inſidias tentaret pecuniæ. At fortaſsis etiamſi non in illum prius, ſaltem ſcripſi acerbius. Eſt enim & in ulciſcendo modus. At ego Polyphemi barbariem imitatus præ ſtomachi rabie Brixium, alterum uidelicet Vlyſſem, diris & execrationibus inſectatus ſum. Ita ſanè diſputat, nihil habens penſi quàm falſò. Nam eo ſolatur ſe, quòd ſperat fore multos quibus cùm rem totam non didicerint, iſta facilè perſuaſerit, atq; ita ſine pugna uicerit: apud te uerò & ſi qui ſint conſcij, ſatis habet ſi conſequatur id laudis genus, Ni cauſam noſſem, putarem uera hunc loqui. At ego aut ueritate me tuebor, aut uinci potius uolo, quàm iudicis ignoratione uincere. Quamobrem non imitabor hac ſanè parte Brixium, qui uerſus meos in Abyngdonium (quos per iocum effutiueram ut cuiuſdam aſininas auriculas demulcerem, quòd ei nihil placeret abſq; conſonantijs rhythmicis) in extremo limite inſanæ ſyluæ ſuæ collocauit, ademptis duobus epigrãmatis meis in idem argumentum, quibus illorum iocus uerſuũ aperiebatur. Quare nihil efficere potuit magis ſycophanticum. At ego certè contrà faciam. Nam & Chordigeram cu-

ram curabimus excudendam, & Epigrammata noſtra ſubiũgemus. Quin adijciemus & Syluam eius, ne quid cauſetur ademptum: atq; hoc pacto ſpero me facturũ, ne ſit arduum atq; accliue literatis omnibus iudicare, an tam bonam habeat cauſam quàm habere ſe iactat atq; gloriatur Brixius. Nam cùm nos periuros appellaſſet ac fœdifragos, cum totam rei ſeriem in ſuorũ gratiam ac noſtrum probrum, ut ipſe uocat, fictionibus, ut res uerè habet, impudentibus inuertiſſet mendacijs, eademq; omnia tam abſurdè tractaſſet, ut nihil unquam quiſquam tractarit abſurdius, ita uerſibus obueſtiuiſſet alienis, ut Valeriæ Probæ te putares legere centonas, niſi quòd eas illa concinnè coaptauit, Brixius ita conſarcinarat ineptè, ut commiſſuræ tanquam cicatricoſum uulnus extet in modum, aut uelut arida ſiti tellus hiulcet: ego non aliud illis Epigrammatis quibus ſe queritur tam capitaliter offenſum, quàm in ea quæ dixi uitia luſi, & certè nihil opinor acerbè: eoq; uehementer admiror in quo meorum Epigrammatum reperiat illas diras atq; execrationes, quas homo lepidus, ut iactat, conuertit in iocos. An illud execrationes appellat ac diras, quòd in uno meorum Epigrammatum per iocum excuſans eius mendacia, quaſi nemo redierit è Chordigera domum, qui rem ut erat geſta doceret, eũ adieci dignum fuiſſe Brixium qui fuiſſet in ipſa naue, ut ſuis oculis rem uideret quam eſſet ſcripturus: ne ad eum modum tam turpiter mentiri cogeretur, & falſa pro ueris commendare memoriæ? Extra hoc unum certus ſum, nihil unquam reperturũ Brixiũ, in quod poſ-

ſit tendere ullam uel dirarum uel execrationis calum=niam. Quanquam in hoc ipſo aut calumniatur egregiè, aut certè quid execratio, quid diræ ſignificent, egregiè ſeſe declarat inſcium. Erit fortaſſe qui mordaculum putet (& tamen idem ſi Brixij expenderit parum Chordigeram, ſpero non difficulter ignoſcet) execrationes aut diras haud ſanè quiſquam erit qui uocet, qui quidem Latinè ſciet: utpote ad quas nec illud quidem

Libro 11. *Martialis noſtro tam lõgè mordacius accedit in Theodorum uatem, Brixio uati fortaſſe non abſimilem, de quo poeta magnum fuiſſe facinus ac Deorum crimen exclamat, quum Theodori penates ignis abſumeret,*

Non arſere ſimul quòd domus & dominus.

Ego uerò, etiamſi dignum duxi Brixium, qui, quo uitare tam impudenter mentiendi neceſsitatem poſſet, in media fuiſſet Chordigera: non optaui tamen iſtud ei, nec ignem imprecatus ſum, quẽ effugerunt etiam multi qui fuerunt in naue. Neq; enim quiſq; ſtatim imprecatur ea cuilibet, quibus illum cenſet ac pronunciat dignum. Nam & Brixius opinor fures dignos ducit ſuſpẽdio, dignos ducit adulteros, dignos hauddubiè periuros, à quibus haud ita multis abſunt paraſangis mendaces: nec tamen reor uſqueadeò immitis eſt, ut ijs õmnibus, tantæ nimirum parti mortalium, ſemel imprecetur interitum. Quod uoti genus ut inclementiſsimum fuerit, ita nec ipſi fortaſſe Brixio ſatis tutum. At præter illud epigramma ſuperſunt nouem, quorum in primo (id quod etiam uerũ eſt) admoneo ſimpliciter, ademptũ iri ſcriptoribus omnibus fidẽ, ſi aſſueſcãt ipſius

excm=

exemplo non ex fide sed ex affectu scribere. duobus in id ludo, quòd Herueum fecerit tam prodigiosè pugnãtem: uno iocatus sum in Brixij & iactantiam simul & incogitantiam, qui præter alia multa perquàm uehementer absurda, finxerit Herueum de ipso uaticinantem, uelut alumno Phœbi, & ut id fieri posset, fecerit illum in medijs flammis diu concionantem tanquam in summo ocio. Porrò quòd cum seruati sint ex utraque naue multi, succurrentibus nostrorum nauiculis aliquot, ille maluerit uniuersos prorsus exurere, quàm relictum esse quenquam à quo uideri potuisset audiuisse quæ scriberet. Vno alluſi ad eos uersus, quos Brixius effinxit in cenotaphium Heruei. Duobus ad id luſi, quòd Brixius Chordigeram suam ueterum poetarum furto surreptis uersibus exornasset: duobus ostendi, me mentis & ingenij plusculum in Chordigera cùm in inuentione rerum tum in dispositione requirere. Hæc cum scripserim & lacessitus, & turbulentis temporibus, & uerè tamen: nunquam uel edidi uel ostendi sola, sed ita coniuncta cum alijs, ut lectoris cogitatio uel plurimùm auerteretur ab illis, uel non tota certè detineretur in illis: cùm eius Antimorus contrà nihil profiteatur aliud, quàm in meum nomen non minus delira quàm contumelioſa conuitia. Postremò cùm accepissem id agi ut excuderentur Epigrammata mea Basileæ, scis ipse quid egerim, ut ea quæ in Brixium scripseram, unà cum nonnullis omitterentur: quòd quædam mihi nõ satis sæuera uidebantur etiamsi procul absint ab ea obscœnitate, qua fermè sola

quorundam Epigrammata uideo commẽdari quibuſ=dam:& ſimul neminem uolebam quantumuis iuſta de cauſa tãtillum à me perſtringi nominatim. Qua in re, quod ad Brixium attinet,meum conatum fruſtratũ eſſe uehementer gaudeo:adeò ſe declarat dignum,in quẽ longè alia ſcriberentur.Nam in illis quibus non minus crebrò inculcat quàm falſò, ſe prouocatum prius, & tot probris,tot conuitijs, tot maledictis, tot diris, tot execrationibus offenſum capitaliter, ſi ea quæ recenſet inuenerit,quanquam ut tum res erant,& illius merita, meum factum potuiſſem omniũ gentium iure defendere:tamen agnoſcam profectò Cyclopis illam Polyphemi barbariem,quã mihi Brixius impingit.Quòd ſi contrà non inuenerit illic ea quæ cauſatur, tũc æquũ cenſeo ut agnoſcat Brixius,eum locum quo de diris objicit atq; execrationibus, ab ipſo fictum totum, ut eſſet ſedes in quam Polyphemum uaſtum ſanè gigantẽ poſſet admittere: quando adeò illi tam lepida blandiebatur inuentio, ut potius quàm cogeretur excludere, fingendum quippiã duxerit,in quod poſſet aliquid facetè dicere.Verùm ni cæcior eſſet ipſo Polyphemo Brixius, facile profectò cerneret,eam rem non admodum multum illi parituram gloriæ,ſi diſſimulanter præteriens quod in eũ dicitur,alia contra ſe ſubornet ipſe, quæ cõmodè poſſit uincere.Scripſerã Epigramma in quendã noſtratẽ, qui ridiculè cũ nobis bellũ eſſet cum Gallis, in Gallicos mores totus abierat.Alio loco quoniã Brixius nos appellarat fœdifragos atq; periuros, tetigerã obiter noſtram cauſam in Gallico bello fuiſſe piam & officio-

officiosam in Ecclesiam Christi, cuius uicario sumus o= pitulati: Gallorum contrà, quòd fouerent schisma, & oppugnarent Pontificem. Quod ipsum neq; nunc di= sputo rursus, neq; olim me uolente prodijt. Et tamen si finxisset Brixius (cui tam impensè placet fingere) com motum illis locis fuisse sese, potuisset homini fortassis ignosci facilius: ut cui uideretur imposuisse falsa quædã honesti species, nempe amor importunus in patriam, quo uideretur uel uerè in eam dicta non perpeti, uel certè fœderibus condonata uendicare. Nunc uerò stu= pidissimè delegit eam causam, in qua & eosdem habet obices quos haberet illic, nempe ipsum scripsisse prius, præbuisse occasionem, impegisse falsa, litem esse iudica tam, imò peremptam atq; abolitam fœderibus publi= cis. Sed & hoc prætereo turpissimum, quòd quum pu blicè prior læserit, priuatim sese sic offensum queritur, quomodo non potest docere: sed diras & execrationes in se ingestas à me, ipse à se finxisse conuincitur. Quã= obrem cùm prior scripserit in nos, eaq; etiam falsa, cũ ego tantum epigrammata contrà, in quibus ea scripsis= sem: quæ si neget esse uera, nihil assequetur aliud, quàm ut eum intelligant omnes, bis fuisse mentitum: non so= lum potuit honestè desistere, uerùm debebat etiam. At= que adeò feciisset scio, nisi maluisset omnibus declarare quàm insigniter esset impudens: qui quæ peccasset an= tè, quum donari uel iuuentæ eius potuissent, uel impu= tari temporibus: nunc tot annis elapsis, in tanta pace, in tanta concordia, atq; in ipso fermè duorum Princi= pum hospitio (nam id nunc adornant) deintegrò re=

nouet omnia, & Epigrammata pauca quæ in illius librum lusimus, uirulentissimo libello retaliat: in quo cũ nihil inueniret quod responderet posset pro se, totus in me conuersus, nihil effundit aliud præter meras calumnias, & plus quàm furiosa conuitia. Primum quicquid usquam ferè uel cessatum est ab operis Frobenij, uel ab ipso quisquis exscripsit exemplar, id omne obijcit mihi: quum uideat, nullum unquam librum tam fœliciter excusum esse ut nihil insit errati, & illic nullum legat erratorum indicem. Et tamen in illis ipsis plerunq; fœlicius errarunt illi, quàm castigat Brixius Quàm seditiosè calumniatur me lacerare parentem Principis: quum ipse tantum commemorem, quæ mala Princeps dum auspicaretur imperiũ, incomparabili gloria correxerit, quibus aliquot ante annos afflictabatur Resp. nonnullorum perfidia, quibus huius regis parens nimium credidisset, impar aliquandiu ipse rebus administrandis per aduersam ualetudinem, alioqui uir omnium regnandi prudentissimus. Et tamen Brixius quiẽ ea mala quæ aliorum contigêre malicia, ipse improbè uertat in regem, mirum quàm uirulenter ibi debacchatur in me: ut pugnos, ut colaphos, ut exilia congerit, & tanquam uelut carcere, stringeretur metro, ne tam liberè quàm libebat liceret excurrere: addidit uipereas glossas in margine, quibus in ea loca duceretur lector, si quis fortassis parum esset attentus ad carmina. Atq; hoc pacto cum demonstret insigniter, nihil sibi ad nocendum defuisse præter uires pares uirulentiæ: tamen homo lepidus gloriatur se dixisse facetè, dum risum rideț

ridet Aiacis. Nam ut is abiudicatis armis insaniens cũ appensas uerberaret pecudes, effusè risit interim, & earum gemitu mirè plausit sibi, ut cui furor persuaserat, eas Agamemnonem esse atq; Vlyssem, in quos cupiebat ulcisci: sic Brixius improbum interpretamentum suum insectans, & ad perniciem usq; exagitans, suauiter arridet sibi, dum præmentis inopia non aduertit, omnes, imò omnes prorsus homines quibus ulla scintilla aut boni pectoris, aut sensus insit communis, in hoc Brixiano risu non minus animum gladiatorium detestari, quàm deridere dementiam. Atque hæc quum ita se habeant, tamen tanquam ista Coræbo cuipiam scriberet aut Margitæ, non Erasmo, tanquam ipso conniuente ad suam petulantiam, qua prior debacchatus est in nos: omnium simul sic eruisset oculos, ut quod ipsi cernere non liberet, idem nemini prorsus liceret aspicere, tanquam iam uicisset, me lacessisse prius, quem res docet posterius scripsisse: tanquam adhuc hostilia durarent tempora, ut ei liceret olim iactata uerbula, eademq; prorsus innocua, nunc demum uenenatis uindicare calumnijs; quum uterque Princeps, quum totus utrinque populus ita coaluit in concordiam, ut milites obliuiscantur etiam uulnerum, quorum cicatrices adhuc gestant in corpore: tanquam ipse acerbiter essem inuectus, ac diras omnes imprecatus in illum, tanquam ille uicissim meros iocos, meras facetias, meros sales affudisset, ac non insana conuitia deblaterasset in me, ac plus quàm uirulenta deliria: operæprecium

eſt uidere,ut ſecurus ac certus ſpondeat ſibi,non uenia tantum uelut neceſſariæ reſponſionis, ſed laudem etiam clementiæ, qui uidelicet impetitus diris & execrationibus (quæ nuſquam extant) quum illi fas eſſet paribus armis in certamen deſcendere, mira tamen indolis benignitate,atque admirabili dexteritate ingenij mordere ſe iactat abſque dente, iocari ſine calumnia, ridere citra conuitium, ludere citra maledictum, commonefacere ſine obiurgatione, erudire ſine ferula: imò adeò mea maledicta in luſus, conuitia in riſus, probra in iocos, execrationes in ironias, diras deniq; in ſcommata conuertiſſe. An non uideatur bellè peroraſſe Brixius,ſi quis hæc fortè legat, qui nihil omnino cognoſcat de cauſa? Nam ſi quis lector inciderit,qui Chordigeram eius, qui mea Epigrammata, qui moricum eius Antimoron inſpexerit (ſi quis fortè ſic abundet ocio, ut ei uacet bonas horas tam malè perdere) quum in illis Epigrammatis meis neque maledicta,neque probra, neq; conuitia, neq; execrationes, neq; diras inueniet, quum apud illum contrà nihil inueniet aliud, præter meras ſycophantias, maledicentiam, & uirulenta iurgia:quum dentes uidebit,ſed fractos in coticula:ferulã uidebit, ſed abſq; literis: quum uidebit hominem ſic admonere,ut ſtultiſſimè carpat quod non intelligit,ſic erudire ut calumnietur improbè ſi quid intelligat: is quanto riſu ridebit eos riſus Brixij,qui Brixium reddant ridiculum? Quibus ſcommata,quæ multo ſcommate redeant in autho rem? Quos ei iocos exhibebit ita iocans Brixius, ut ſe ui-

ſe uidere putet ſaltantem camelum? Quantam præbebit ludendi materiam tam ineptè ludens Germanus, ut germanus uideatur Aeſopici aſelli, qui non multo minus abſurdè imitatus laſciuientẽ caniculã, quàm Brixius æmulatur poetas, lutoſos & corneos pedes impegit in heriles humeros, fuſtibus inde retruſus in ſtabulum? Deniq; quàm lepidis ironijs eludet ironias Brixij? quippe tam illepidas ut lectorem admoneant pictoris cuiuſdam, omnino talis, qualis Brixius eſt poeta: qui cum leporem atq; canẽ depinxiſſet ita ſimiles ut internoſci non poſſent, tandem uter canis eſſet uter lepus, ſubſcriptione ſolers indicauit. Ita Brixius eiuſmodi ferè ludit ironijs, ut miſerè metuat ſibi ne quas uelit accipi per iocum dictas laudes, earum pleraſq; multi agnoſcant proueris: cuius periculi non aliud uidit effugium, quàm ut εἰρωνσύην ſe proteſtaretur marginali gloſſemate. nimirum homo cautus ita cauit ſibi, ne ſua teneretur ſyngrapha, quaſi me laudaſſet ex animo. Vno loco tantum putauit non neceſſe eſſe ut marginali nota nos admoneret ironiæ ſuæ, adeò fidebat eius loci elegãtiæ: quum in indice (ut ille uult uideri) meorum erratorũ, ut res indicat, calumniæ atq; inſcitiæ ſuæ meminit. Ridet in Vtopia mea dialogum, in quo fraterculus cum Morione diſceptat: in quo, inquit Brixius, dialogo enarrãdo exornandoq; Morus ingenij ſui acumen, phraſeos uim, ac iudicij integritatem facile explicat. Equidem Eraſme doctiſſime, non uſqueadeò contemno Brixium, aut mihi tam impenſè placeo, quin facilè fatear, neq; elegantẽ fraterculorum phraſin, neq; acutas morionis argutias,

εἰρωνσύην.

tam bellè unquã me potuisse exprimere, quàm ad uerũ ac uiuum potuerit expressisse Brixius. Adeò efficax res est talibus orationis delitijs assuescere, & ad morionẽ non nomine (quod iã ciuiliter tã sæpe Brixius cõcedit mihi) sed natura (quo illũ suo sibi iure uendicat Antimorius) accedere. Porrò quod de iudicio dicit, quo nimirum significat absurdum esse, barbaram fratrũ phrasin ei libello inserere, quem cupias esse Latinũ (ut omittam interim & Græcos Latinis barbaros esse, & Latinos Græcis, quorũ sermonem cum laude quoq; Romano sermoni scriptores omnes tã frequenter interserũt) non expecto ut, non dico mea oratio (in qua Brixius undiq; tam manifestarios solœcismos ac barbarismos, sed manifestaria sycophantia, manifestaria deprehendit insciti a) sed nec ipsius Brixij (cui Veneres omnes atq; omnes prorsus Gratias putat affusas Brixius) ad Latinitatem aliquando sit peruentura Plautinam: qui nec absurdè tamen sibi facere uisus est, nec Romanum sermonem dehonestare, quum in comœdia Latina Pœnũ interdum faceret loquentẽ Punicè. A` quo exemplo nõ multum opinor abest, si quis in eo scripti genere quod propè accedit ad Comicum fratrem, id genus producat in proscenium lingua loquentem sua, hoc est Latino-barbara. Et tamen scis ipse mi Erasme, quàm non ualde mihi placuerit ille dialogus, quãq; libenter fuerim omissurus, nisi suprà quàm dico placuisset illis, quos neq; literis neq; iudicio quisquam (qui quidem literas habeat ac iudicium) non tam longè anteponat Brixio,

Quantus ad æthereũ patet hinc suspectus olympum.

Quorum

Quorum aliquos hic quoque commemorarem, nisi quòd & frustra commemorarem conscio, & non est animus uiros cùm honestos tum etiam honorabiles obijcere inuidissimi uiri latratibus: qui aliena laude sic intabescit, ut planè pereundum homini fuerit, nisi aliquid rabiei suæ ablateraſſet in Beatum Rhenanũ, æmulatus Aeschinis odium: à cuius eruditione non minus abest, quàm ego absum à Demosthenis, cuius gloriæ inuidet Aeschines, ut Ctesiphontem quoq; quia laudauerat, accusaret publicè, & ei machinaretur exilium, quod meritò mox in ipsum recidit. Ita quoniã Epigrãmata mea Rhenanus Bilibaldo, doctissimus doctissimo, atq; optimus optimo laudatione sua commendauit: mirũ quàm insanit Brixius, quàm uirulento animo, quàm infirmis uiribus ebetem plumbei gladij cuspidem stringit in Rhenanum: adulatorem uocat, aut nisi hoc agnoscat insciũ, indoctum, ac planè cæcum, qui non uiderit meos uersus tales esse, quales uisi sunt per inuidiæ conspicilia peruidẽti Brixio. Sed frustra inuolat in elephantem culex. Nam Brixius cuiusmodi sit, declarat ipse. Rhenanum laudare, ego nec ut nunc res habet, uolo, ne illud audiam, Mutuò muli scabunt: nec certè si uellem, satis possem, ut quo (quod omnes norunt, fatentur ac prædicant) tot fœlicium ingeniorum ferax Germania nihil habeat, si linguam spectes elegantius, si disciplinas eruditius, si mores melius. Verùm demiror herclè, cur in unum furit Rhenanum Brixius. An eius unius iudicium de meis studijs dissentit à Brixio? Quasi nihil honorificè

de

de me ſcripſiſſent (ut omittã te ac Petrum Aegidium, quibus uideri poßit amor nonnihil imponere) Buslidi us, Huttenus, Paludanus, Nouiomagus, Viues, Grapheus, Zaſius, ac Budæus: quibus cum eo tempore adeò nõ amicitia cõtracta eſt ulla, ut nec litera quidem ulla interceſſerit. at neq; cum ipſo Rhenano. ut omittam plurimos eruditione non incelebres. Quaſi Brixius fingat hos omnes adulari mihi, multum ei debeo, qui tam magnum uirum me facit. Sin cæcos, inſcios atq; indoctos omnes pronunciet, quoniam ſic ab ipſo diſſentiunt, ut quem ille toties ſtultum uocat, toties appellat inſanum, ei (ut nihil recenſeam amplius) aliquãto certè pluſculũ tribuant prudẽtiæ, quàm adhuc audio, præter Brixium, quenquam tribuiſſe Brixio: nemo ei tam abſoluta poteſtate dictaturam detulit, ut eius unius ſententiã ita ratam eſſe oporteat, quin ad populum ſaltem ſuperſit prouocatio. Nam quòd hoc ita moleſtè fert, quòd Rhenanus Epigrammata mea Marulli & Pontani prætulerit, debebat aliquãto preßius Rhenani laudationes expẽdere: qui etſi multo mihi tribuit amplius quàm meus pudor poßit agnoſcere, tamen ea parte qua potißimum Brixius offenditur, non adeò effuſus eſt in laudes meas, ut Brixius inuidere debuerit. Neq; enim me Pontano aut Marullo undecũq; præfert Rhenanus, aut confert. Natura tantum comparat, non Græcarum literarum peritia, ne ſit opus ut ita ſtomachetur Brixius Græco conferri Britannum. Etenim natura quid impedit etiam Græco parem quempiam, ueruecum in patria craſſoq; ſub aere naſci? Quanquã ipſe neq; tã ſuperbus

ſum,

ſum, neq; tam neſcius mei, ut quæ mihi tribuit Beatus Rhenanus agnoſcã: qui me, quod dixi, talibus uiris natura confert, utilitate uerò præfert hactenus, ut cenſeat plus frugis adferre lectorib. ſi quid affero ſalubriũ ſententiarum, quàm quicquid illi chartis illinant obſcœnitatis ac nequitiæ: ac plus iuuare putat quæ ſimpliciter ac apertè cano, quàm Marulli delectant ænigmata. qua in re quid aliud Rhenanus, quàm ſi quid eſt uirtutis in me, id illorum præfert uitijs? quod laudis genus quum nihil obſtet, quo minus eorum uirtutes meis poſſint (ut certè faciunt) longè antecellere, non debuit ad inuidiam uſq; uideri benignum: quum interim (ut præteream reliquos) Budæus unus, uir non minus publicæ rei peritus quàm literariæ (in qua planè principatum quẽdam obtinet) quæ de me ſcripſit eiuſmodi ſint, quæ ſicuti nunc hominis candidiſſimi ciuilitati tribuo, non aliter quæ in Brixij Chordigeram præfatur eruditiſſimus Aliander, ita longè magis optem eſſe uera, quàm Pontanum aut Marullum ſuperare carmine, aut utrũq; ſimul utraq; lingua uincere. Et tamen mirum eſt, quàm ſubitò mutatus Brixius incumbit in famæ meæ curam etiam ipſe, utpote cuius non niſi fauore ac ſtudio tot eratorum meorum me tot millium, tam pudendorum, amicè, beneuolè, fideliter commonefecerit, uidelicet ut ipſius opera ſubducãtur clãculũ, quæ circũferri diutius abſq; inſigni traductione mea ac perpetua quadã ignorantiæ nota non poterant: quo nomine cenſet tantum etiam debere me tam amicæ eius induſtriæ, quantũ alteri quiſquam debere poſſit. Hoc tam elegans ac bellum

ſchema

ſchemata tam uehemẽter arriſit Brixio, ut quod nemo nõ irriſit quum legeretur in Antimoro, nunc uelut repetit: ſeriò oblitus interim illorum uerſuum, quibus miro ingenio comminiſcitur, qua arte nunc ueriſimile ſit, me tantæ mederi infamiæ, nempe hac, ut omnes libros qui iam excuſi ſunt uſquam, curem undiq; reportatos ad me, atq; ita repurgatos pòſt emittam denuò. Et tamen hoc ipſum ita ueretur Brixius, ne uidelicet emiſſis in omnes undiq; terras plus quingentis legatis, omnia exemplaria recipiam, ut minetur ſe facturum, uti apud ſe atq; aliquot etiam alios (quod niſi emiſſis in id uiciſſim legatis difficile opinor fuerit) corrupta exemplaria extent, quæ meos errores (quorum nunc id me admonet ut tollantur clanculum, ne quis poſthac poſſit exprobrare) ſic omnib. eſſent exhibitura, ut nec Oceani fluctus omnes ſordes mihi poſſint abluere. Eiuſdem uel memoriæ uel conſtantiæ etiam illud eſt, quòd cùm in iſta epiſtola ad te neget Antimorum ſuam dentatam eſſe, ut in qua mordeat ſine dente: tamen in hendecaſyllabis (quos ita bellè concinnat, ut in unum uerſum interdũ ſyllabas intrudat tredecim) ait ſuos elegos ſe meo cruore oblinere. Et planè quemadmodũ nõ minus ridiculè poetas imitatur, quàm hominem ſimia, nec minus ineptè diſſimulat, quàm aut mugil, aut cuniculus, qui ſimulatq; caput in glebam condiderit, totũ corpus ſatis occultatũ putat: ita nullus lupus unquam fuit deterior memoria, nulla pluma, nullus uentus magis conſtanter inconſtans. Iam quod ait, ſe tuo cõſilio fuiſſe pariturũ, niſi liber iam tũ fuiſſet in manibus typographi:

demirer

deniror admodum, quum tantam uim obtineat apud illum uel solus nutus Erasmicus, tam leue pondus habuisse monitoriam epistolam, ut potius suam famã pergeret infamare tam furioso libello, præsertim siticulosus gloriæ, quàm perderet pauxillũ pecuniæ, homo cui (ut ipsius uerbis utar) non uictus aut uestitus modò, sed famulitium quoq; atq; equitatus insuper, & crumena deniq; semper ære grauis abundet, cui domus sint et hortuli, in quos Apollo ac Musæ omnes (nisi Brixius pessulum obdat hostio) cupiant relicto Parnaso prorsus immigrare. Et tamen miror, si tibi fuisset pariturus, qui re adhuc integra, toties admonitus, neque Budæo, neque Baraldo, neque Lascari, neque Deloino parére uoluit, neq; reuerendissimo Cardinali, qui nuper obijt in Gallia. Cæterùm ut bonitatis fuisse iudicat quòd Antimori dehortareris editionem, ita nisi probaris editã, planè iam te censet iniustum: qui aliud ius illi nunc dicas in me, aliud in Fabrum olim statueris tibi. Nec dubitio quin sibi uideatur acutus admodum Brixius, & peritus iudiciorum, qui te tam graui stringat præiudicio, ut ni uideri uelis iniustus, aduersus eum pronunciare non possis. Ego mi Erasme (quod sicuti apud omnes profiteor, sic apud neminẽ libẽtius profiteor quàm apud te, cuius animũ hac sanè parte cõperi penitus consspirare cũ meo) Iacobum Fabrũ sic obseruo, suspicio, ueneror, quomodo uirũ debeo, quo non aliquot antè sæculis extitit quisquã literis ac uirtute uenerabilior: qui an plus adnisus sit, ut præter sacrarũ literarũ studiũ, in quib. illustrãdis utiliter est uersatus, scholas aliquando

quãdo ab inepta iſta garrulitate atq; abſurdis argutijs ad ſobriam ac ſeueram Philoſophiam atq; ad neglectas iamdiu diſciplinas traduceret, ambigo. Quæ res adeò in confeſſo eſt, ut ij quoq; perquàm honorificis calculis illi atteſtẽtur in ſumma, qui ab eo longiſſimè in uno atq; altero interdum dicto diſſentiunt, nec alia re prouocati tamen, quàm quòd Faber quædã, ut uidetur multis, quæ dicta ac diſputata moderatius offendiſſent neminem, nimis aliquanto fortiter aſſeueret, ac maiore quàm par ſit contentione definiat: ita bonos uiros plerunq; longius pius quidã feruor abducit. Verùm quàm nihil habeat ſimile tua defenſio cum iſtac abſurdiſsima querela Brixij, nemini poteſt eſſe dubium, niſi cui res prorſus erit ignota. Quamobrem conſilium non eſt, hunc explicare locum, et cauſam cum cauſa, libellos cũ libellis conferre, quaſi non aliter patére poßit, neq; in initio quicquam, neq; in toto rei progreſſu, Brixij ueſaniam cum tuo facto congruere: ne uel rem chariſsimam facere controuerſam puter, uel ſopitum atq; obrutum ignem importunè uidear ſuis eruiſſe cineribus, uel Fabrum, quem toto colo pectore, aliquà cogar offendere, uel tuum iudicium apud quem nunc cauſam dico, tentare credar, & fauorem conciliare blanditijs. Hoc unum certè (niſi quòd ludere ſe poſuit pro furere) alioqui dicit non omnino falſum, te uidelicet cominus pugnaſſe quum ipſe rem egerit eminus. Nam ut tu rem non gladio quidem, ut ait Brixius (qui te uidetur gladiatorem fingere) ſed acu prorſus attigiſti, ita ille delirijs tantũ uelitatus eminus, & eiaculatus conuitia, quæ uel anus ebria

ebria effutire potuisset in quemlibet, & quæ in ipsum commodè competebant plurima: ad rem inquã profectò quiuit accedere, aut si fors, attinget aliquando breuiter, tum quemadmodũ solet in duriore solo infirmis uiribus emissum telũ, protinus aut præteruolauit, aut excidit. Itaq; eminus sic cõmissa pugna hactenus planè profecit, ut ediderit specimen, posse quidem sagittã sese non incommodè prorsus emittere, si quis tantum quem in locum eius sagitta ceciderit, eò scopum semper officioſè transferat, & bellè posse iurgari, si quem nactus esset in quem illa competerent, quæ ipse ex inexhausto probrorum suorum puteo posset haurire: quibus quando deest in quem hæreãt, quid aliud interim quàm ipse perfundit sese? Verùm aliquando tandem uelut tuis literis permotus incipit esse placatior, ac si mihi uideatur posteaquam uterq; in proscenium prodijt, ut ait, personatus (sic enim prodire solebant pugnaturi) ac suas pro uirili partes egisse uisus est: ego uidelicet Epigrammatis aliquot, Brixius integris uoluminibus: ego prouocantis, ille respondentis (nam hoc ne quis alioqui non credat, accurratè repetit) non recusat tãdem quo minus dextris inuicem iunctis Erasmo patre patrato (qui mos olim fuit peculiaris histrionibus) feriamus fœdus, præsertim cum tu me sentias illius amore dignissimum. Cæterùm ne pax tam facile impetrata fieret aliquanto contemptior, aut mihi inde surgerent cristæ, ita rem temperauit, nusquam suæ maiestatis immemor, ut si tragœdiæ ipsius exitum spectare malim, nihil itẽ moretur quo minus ea ad postremum usq; actũ deduca

tur: utpote cui mea hypocrysis nõ sit tam admirabilis, ut illũ à proscenio deterreat, nec uires item usqueadeò formidabiles, ut si manus conferre uoluerim, detractare debeat, modò meis, non ut Patroclus Achillis, armis concertaturus in palæstram descendam, & ante conflictum insonet tuba: ut miris artibus istam conflictatiunculam (qua fermè duntaxat ipse pugnat secũ) exornet Brixius, atq; ἀποσεμνύει. Nam uelut histriones nos committit, comicos, tragicos, palæstritas, bellatores: & mirum est quanto cum artificio hæc inter se tam diuersa commisceat, quàm concinnè pugnantibus aptat personas, mimis scenicis arma, & adhibito patre patrato inter imperatores histriões feriat fœdera, ut dimicantes producit in proscenium, bellatores in palæstram: deniq; scita ἐπιμονῇ tam bellè persistit in metaphora, ut in tribus ferè uersibus cõficiat nobis comicotragicopolemon. Quod ad hoc fœdus attinet Erasme charissime, noli laborare: neq; enim tam ingens instat rei literariæ periculum, si congrediantur hinc Morus homuncio perpusillus, hinc generosa illa palma, palma non aliter una Brixius, ut Erasmo sit opus patre patrato qui faciat pacem: nisi literarum proceres similiter affectos reddat huius duelli cura, quomodo apud Homerum sollicitos habet superos Giganteo bello formidabilior illa βατραχομυομαχία. Nam quòd me scribis esse illius amore dignissimũ, tuã bonitatẽ agnosco, qui undiq; studes paci. Verùm ego mi Erasme, me tam dignor honore ut inter amicos satrapis tam potentis adnumerer, cuius nunc utcunq; respondi Antimoro, nõ

sat

sat fortasse reuerenter pro tãta uiri dignatiõe: sed pro re certè, ut censent alij, nimis aliquanto modestè: tu uerò mi Erasme quid sentias, cupio scire. Nam quòd tam properè curaui excudenda quæ scripsi, quæ tutius fortasse fuerat per otium polire, præsertim obijcienda tã oculato æmulo, ut & ibi cernat mendum ubi mendum non est: malui ei ossa multa relinquere in quibus exerceat dentes, fatiget, aut frangat deniq;, quàm mihi diu talibus nugis occupare pectus. Et profectò non fuissem tam insanum libellum responso dignaturus ullo, ni mihi uisum esset amicorum quorundam obsecundare consilijs, suadentium, ut me tuerer aduersus hominis absurdissimas calumnias. Quæ res una mihi scopus fuit non commutare conuitia, ac paria uicissim in illum spargere: alioqui si statuissem non respiciendum potius quid me deceret dicere, quàm quid illum cõueniebat audire, quantumuis magnificè meum contemnat stilum Brixius, tanquam imbellem, eneruem, nihilq; masculum: esse ciße sãtẽ ut intelligeret q̃ uerus sit ille Nasonis uersus,

In causa facili cuiuis licet esse diserto.

Nunc uerò quum ille non in ingenium tantum ac mores meos debacchatus sit, uerumetiam in perniciẽ meã quoad eius fieri potuit sit grassat⁹, in literis uerò, in cũ nihil intactũ reliquerit, quod nõ arroserit: ego cõtrà nihil illius attigi præter illa ipsa uolumina, quib. aut ipse petor, aut patria. In uniuersum uerò quid præstare possit, neq; pronũcio, neq; excutio. Scio enim q̃ leue põdus habiturũ sit de illo iudiciũ meum, quod tamen etiamnum magis benignũ est in illũ, quàm sit multorũ quos

ille minus offendit. Verùm enimuerò neminem adhuc audio tã candido calculo ſuffragantẽ Brixio, ut nõ idẽ ſentiat, nihil hactenus ab eo prodijſſe tã magnificũ, qđ reſpondere poßit hominis iactabundi gloriolis, dũ nũc iactat, idẽ eſſe poeticẽ ſibi, quod πολίον ἵππῳ, hoc eſt, equo ſuũ campũ: nunc ſe gloriatur cũ antiquitate certare, nũc ipſam clauã ui eripere Herculi, dũ fulmẽ deniq; ſatis impudenter ſeſe minitatur efflaturũ. Has hominis glorias alij quoties cum eius conferunt poematijs ingeniũ, cenſent nõ inſanũ tantum, ſed etiã inſanabile. Ego uerò quanquam Brixius in me tam atrocem non modò iudicẽ, ſed & augurem quoq; præbeat ſeſe, ut non ſolum quicquid hactenus unquam ſcripſi damnet, uerum etiam pronũciet nihil poſthac ſcripturum quod poßit eſſe dignum lectu: tamen mitius aliquãto de illo ſentio, coniecturam potißimùm cùm ex Chordigera faciens, tum ex Antimoro quam in me ſcripſit iratus, quando uel hoc ipſum mihi ſpem adhuc aliquam facit, auſterã illam indolem poſſe aliquando miteſcere, quòd cùm tã inepta ſcribat nunc id ætatis habens, hominem eſſe uideo, non tam præcocis ingenij, quin adhuc durare poſſit ac matureſcere alioqui. Planè ſi ſentirem, ad ſtatum iam ac robur peruenißſe, atq;, ut Græci uocant, ἀκμὴν, aliud expectare non poſſem quàm ut cuius uer lethargus eſt, æſtas ira tam impotens, eius autumnus ſit omnino furor. Iam quòd meam hypocriſin negat eſſe tam admirabilem, ut eum è proſcenio deterreat, fãteor certè nil nec habere me, nec præ me ferre quod abſterreat quenquam: neque negare poſſum, quin hypocriſis

Brixij

Brixij tantum terroris inuehat ſecum, ut non modò me homuncionem pauidulũ, & quem facilè terruerit perſonæ pallentis imago, ſed ſpectatores omnes prorſus è theatro poſſit ſpectris expauefactos abigere: ſi modò ueri ſint ij uerſus Brixij, quos in Antimorum μωρίχ μωρότερ & inſeruit:

Hæc mihi dictanti aſtabant diræ auribus omnes
Et Furiæ, infernis concita turba uadis,
Alecto & ſacris caput irretita colubris,
Tiſiphone, & terrens ore Megæra truci.

Quòd ſi perſonas iſtas plus ſatis tragicas deponat Brixius, certè reliqua hominis hypocriſis non habet quicquam tam admirabile, ut uelut Meduſæ caput quẽquã reddat attonitum: neq; uires eius experior tam formidoloſas, ut aut Patroclo aut Therſitæ certè, præſidium petendum ſit ab Achillis armis aduerſus Hectorem talem. Sin Brixio penitus decretum eſt, factitias illas Furias, uerum furorem ſuum proferre in proſcenium ſecum, ſi certum eſt illi totis intonare tonitribus, ſi fulmẽ illud terrificum uibrare ſtatuit, quod ſibi ab ore iactat cadere quoties ſecum uidelicet offenſus grauius dignas Ioue concipit iras: hiſtrionicam ſuam ſolus per me licebit exerceat, ego aduerſus tam ominoſa ſpectra ſilentio memet uelut amuleto luſtrabo. Exiſtet tamen fortaſſis Hercules aliquis ἀλεξίκακος, qui ſuetus eiuſmodi portenta ſubigere, clauam quam ei Brixius ui eripuit, uiciſſim eripiat Brixio, ferula nimirum armatus aut flagro. Nam aduerſus τὴν τ Βριξίου βροντὴν non dubitauit uel γρυλλίδας ἀντιπαράθεσθαι. Porrò fluminis præſti-

gium bellè compeſcat Cacus, talium terriculamentorũ peritus artifex: qui ſi minus calleret artem, tamen quibus armis utendum Caco fuerat aduerſus tale fulmen, ipſius Caci nomen admoneret. Etenim potius quàm fulminis afflatu miſeri mortales perierint, in os illud patulum triſulco hiulcans fulmine, non tantum me ire fas eſt. Spero mi Eraſme fore, ut te in Regum conuentu ſimus uiſuri Caleti, qui uẽturus hauddubiè ſis utriq; Regum gratiſſimus: alioqui fuerit impudens, ſi nos amiculi tui uel exigamus uel expectemus ut noſtra cauſa ſubeas laborem tanti itineris, quorum potius officium fuerit ad te uenire: id, quòd ni te illuc regũ cura pertraxerit, à Principe impetrata in dies aliquot uenia faciemus. Tu interea mi Eraſme uale, ac nihilominus quàm ſoles amicus Brixio, Morum ſimul qua ſoles charitate cõplectere: cui tu tam charus es, ut nec ipſe ſibi ſit charior. Lupſetus noſter magno auditorio ſumma cum laude ſua, nec minore ſcholaſticorum fruge bonas literas in utraq; lingua profitetur Oxoniæ. Succeſſit enim Ioanni Clemẽti meo. nam is ſe totum addixit rei Medicæ, nemini aliquando ceſſurus, niſi hominẽ (quod abominor) hominibus inuiderint Parcæ. Iterum uale: ac meo nomine Dorpio, Neſeno, Viueti, uiris in re literaria primarijs, ſalutem plurimam nuncia.

THO:

THOMAS MORVS
ERASMO ROT.
suo S. D.

POSTEA quàm à nobis digressus es Erasme charissime, ter omnino literas abs te recepi: si toties dicã rescripsisse, fidem fortasse mihi non es habiturus, etiam si sanctissimè mentiar: præsertim cum ipse me tam probè noscas, & ad scribendas epistolas pigrum, neq; tam superstitioſè ueracem, ut mendaciolum usquequaq; uelut parricidiũ abominer. Paceus noster isthic legatione fungitur, quanquam non prorsus istic: ita enim abest à nobis, ut tamen non adsit tibi. Per literas enim nobiscũ ei licet loqui, præsentem uerò nec tecũ: utinã re bene gesta breui redeat domũ, ut dimidia saltem mei pars mecum uiuat. Nam te quando liceat expectare non uideo, cui animus est Italiam petere, ubi in eos incides, qui uereor ut te patiãtur auelli. Ego interim uideor mihi dimidio carere, dũ abest ille: altero dimidio, dum tu. Spero propediẽ fore ut illi egregia aliqua, dignáq; illo uiro fortuna contingat. Ita planè sentio, & regis animum, & Cardinalis uoluntatẽ, & bonorum prorsus omnium studia, in eum ornandum euehendumq; propẽdere. De te uerò nisi me mea spes tam sæpe frustraretur, etiam multo maiora sperarem, quanquam nunc quoq; bene sperare quid uetat? Neq; enim quia parum processit hactenus, ideo futuri quoq; spes adempta est? imò nũc maximè cõfido. Neq; eadẽ p-

petuò cuiquam est fortuna, neq; diutius potest esse ma-
ligna tibi, cui Pontifex, Reges, Episcopi, omnes propè
mortales, quaquà uersus orbis patet Christianus, im-
pendiò fauent ac demirantur. Apud nos quo in te ani-
mo sint Episcopi, & seorsum Cantuariensis, tum prin-
ceps ipse quo te fauore cõplectitur, superuacaneum fo-
ret commemorare. At quòd hactenus nullũ in te benefi
cium aut te dignum, aut tã magno tãtorũ amore uiro-
rũ prouenerit: partim tute, qui neglexeris ea quæ ambi
unt alij: partim nescio quæ fortuna fuit in causa: ueluti
nũc quoq; accidit de illo canonicatu, quẽ uocant, Tor-
nacensi: quẽ dominus Montioius obtinuerat tibi, uide-
ris nũc ab eo non abhorrere. Scribis enim, omnia te mi
sisse instrumẽta Montioio, quæ ad eũ tibi conferendum
uiderentur idonea. At ego si meministi, cum esses mecũ
Brugis, ea de re sermonẽ habui tecum, in quo tu enume
ratis omnibus eius beneficij commodis & incommodis
item, alieno esse animo uidebare: nec id cælasti Sampso-
nẽ, qui se Tornaci gerit Eboracensis episcopi uicariũ:
in quam sententiã non hoc te solũ impellebat, quòd ue-
rebare ne non esset tibi perpetuus, nisi alterius etiam
episcopi consensus accessisset, à quo non expectabas, ut
illius factum haberet ratum, cuius omnia facta conatur
infringere: sed illud quoq;, quòd præterquã quòd pro-
pemodum decem libræ nostrates ilicò tibi in primo e-
rant ingressu numerandæ, domus præterea ducentis
nobilibus, aut pluris etiam redimenda: ea est ibi con-
suetudo, cui nisi parueris, uix sex nobiles annuos con-
sequeris, at nec illos quidẽ, quãtũ accepi, nisi ibi ppetuò
degas,

degas. His tu rationibus adductus, mihi ac Sampſoni uidebare illum canonicatum .õ admiſſurus. Paulo poſtea quàm tu à me diſceſſeras, ego Tornacum conceßi: ibi à domino Montioio atq; item à Sampſone audiui, Archiepiſcopum Eboracenſem utriq; eorum ſcripſiſſe, ut id beneficium donaretur alij, cui (ut uidebatur) fuerat pollicitus, quum ignoraret tibi fuiſſe deſtinatũ. Hoc ego quum audiui, diſſimulato quod intellexi, beneficium animo non admodum reſpondere tuo, ſuaſi ut reſcriberent tibi eſſe conceſſum: remq; in eo eſſe ſtatu, ut mutari non poſſit, niſi tibi de meliore fortuna prius eſſet prouiſum. Reſcripſit Eboracenſis, eum locũ haud quaquam fore idoneum tibi, quòd & præſenti parum eſſet locuples, & nihil adferret abſenti, ſe ſponſorẽ acciperent melioris tibi conferendi: ita quum ego aderã, nec me certè diſſuadente, decreuerãt illud beneficium ei donare, cui uolebat Epiſcopus. Quid ſit factum poſtea, neſcio. Verùm hoc ſcio, niſi illud habes, Cardinalem & pinguius tibi debere, & breui ſpero perſolutu rum. Amiciſſimã ſæpe de te mentionem inijcit. Penſionem tuam non erat opus ut ego ab Epiſcopo exigerẽ: ipſe enim ex ſemet memor, prius quàm meas accepiſſet literas, egerat de ea re cum Maruffo, cuius ad hæc (ut ſcis) negocia opera ſemper utitur, interim etiam pecunia, quoad collata ratione, ſtatis temporibus, paria inter ſe faciat. Verùm protinus habitis literis meis (nam uerſabatur Otfordiæ) iterum hominem extimulat per epiſtolam, ut uiginti libras noſtrates celeriter ad te tranſmitteret, pollicitus eas Maruffo redditurũ ſe: ubi

primum ex tuo chirographo cognouisset eas ad te esse perlatas. Conueni Marium, ipse ait se scripturum tibi, ut chirographum properes ad se mittere, quo te testeris accepisse pecuniã, quo ad Episcopũ delato, nummos ea uelut occasione sibi numeratos, tum demum ad te curaret perferendos Ego quũ hæc audirem, ueritus sum aliquid subesse periculi, ne si pecunia iam tum non solueretur ei, ea mora uicißim deriuaretur in te. Ergo non est inquam hac simulatione opus: aut pecuniam illi cò mitte, Episcopi nomine ac fide: aut si nisi prius receptum graueris impendere, efficiam protinus, ut in manu habeas: Imò, inquit ille, nihil est quod metuas. Nam sic agam, ut Erasmo statim hæc pecunia adsit, quin iam nunc quoq; adest. Nam habet à me chirographũ, quo possit ubi uolet ducatos mille conficere: è quibus quicquid acceperit, debet hoc mihi, sic enim inter nos conuenit, ex hac pensione resolui. Hæc ille dicit. Ego uix credo, nisi collata prius in eius mensam pecunia, ullas eũ literas tibi pro conficienda pecunia tradidisse. Quare si res secus habet, quàm dicit, effice maturè, ut intelligam. Archiepiscopus Cantuariensis officio Cancellarij, cuius onus iam aliquot, ut scis, annos, mirum quàm laborabat excutere, tandem exolutus est: ac desideratũ iam diu secretum nactus, gratißimo inter literas ocio, ac negociorum bene ab se gestorum recordatione perfruitur. Princeps ei Cardinalem suffecit Eboracensem, qui ita se gerit, ut spem quoq; omnium, quanquam pro reliquis eius uirtutibus maximam, longè tamen exuperet, & (quod est difficillimum) etiam post optimũ decessorem,

ceſſorem, ualde probetur ac placeat. Noſtra legatio (quoniam hæc quoq; tibi cura eſt, ut mea omnia) ſatis fœliciter proceßit, niſi quòd longiore tractu, quàm aut ſperaui, aut uolui, res protelata eſt. Etenim quum domo diſcedens, uix bimeſtrem abſentiam expectauerim, ultra ſex menſes in ea legatione contriui. Verùm longam tandem moram exitus ſatis gratus eſt inſequutus. Ergo ubi negocium, quamobrem ipſe ueneram, ad finem uidi perductum, & alia tamen rurſus ex alijs naſci, quæ longioris moræ uiderentur initia (neq; enim unquam inter principes deſunt) datis ad Cardinalem literis, redeundi ueniam impetraui mihi: uſus ad eam rem, cùm cæterorũ amicorũ opera, tũ præcipuè Pacei, neq; enim adhuc abierat. Sed dũ redeo, Grauelinij ſubitò occurri, idq; tam properè feſtinãti, ut uix ei liceret, dum nos mutuò ſalutaremus, ſubſiſtere. Tonſtallus iam nuperrimè reuerſus, dies uix decẽ hic moratus, nec illo tamen eorũ pro ſuo arbitrio ſuauiter acto, ſed omni eo tẽpore anxiè atq; odioſè conſumpto, in earũ expoſitione rerũ, quas legatus in mãdatis habuerat: ecce rurſus eodem ſubitò noua legatione retruditur, idq; certè ſcio, ſi negare liceret, inuitiſſimus. Mihi nunquã admodum legati munus arriſit. Neq; uidetur perinde nobis laicis quàm ſacerdotibus cõuenire uobis, qui primum uxores ac liberos, aut domi non habetis, aut ubiq; reperitis. Nos ſicubi paulum abſumus, coniugum protinus, ac ſobolis deſiderio reuocamur. Deinde ſacerdos quũ emittitur, totam familiam poteſt ubi uelit circunducere, & regijs interim expenſis paſcere, quos domi

paſturus

paſturus erat ſuis. At mihi abſenti, duplex alenda fami lia: altera domi, altera peregrè. Commeatus mihi ſatis benignè dabatur à rege, pro eorum numero, quos edu xi mecum: uerùm eorum, quos interim neceſſe fuit do= mi relinquere, nulla eſt habita ratio: à quibus ego (quã quam ſcis, quàm clemens maritus, quàm indulgens pa ter, quàm mitis dominus) tamen ne tantulum quidem quiui impetrare, ut mea cauſa tantiſper quoad domũ redirem, ieiuni perſiſterent. Poſtremò ſacerdotibus la borum atq; impenſarum gratiam autoramentis eccle= ſiaſticis procliue eſt principibus ſine ullo ſumptu ſuo rependere. Nobis neq; tam lautè, neq; tam facile pro= ſpicitur: quanquam mihi reuertẽti penſio annua ab re ge decreta eſt, eaq; planè, ſeu quis honorem ſpectet, ſeu fructum, neutiquam contemnenda: quam ego tamẽ ha= ctenus recuſaui, uideorq; mihi perpetuò recuſaturus: quòd ea ſuſcepta, præſens hæc mea in urbe conditio, quam ego etiam meliori antepono, aut mihi foret relin quenda, aut, quod minimè uellem, cum aliqua ciuium offenſione retinẽda: quibus ſi qua cum principe, quod nonnunquam accidit, oriretur de priuilegijs quæſtio, minus me ſyncerum ac ſibi fidum ducerent, tanquam annuis principi mercedibus obſtrictum. Cæterùm in il la mea legatione, quædam me impendiò delectarunt. Primum tam longum ac tam perpetuum Tonſtalli cõ= tubernium, quo ut nemo eſt omnibus bonis literis in= ſtructior, nemo uita moribuſq; ſeuerior, ita nemo eſt uſquam in conuictu iucundior. Deinde quòd cũ Busli= diano mihi interceſſit amicitia, qui me, & pro egregia

fortuna

fortuna sua magnificè, & pro animi bonitate comiter recepit. Domum tam singulari artificio excultam, tam eximia supellectile instructam ostendit: ad hæc tot uetustatis monumenta, quorum me scis esse percupidum. Postremò tam egregiè refertam bibliothecã, & ipsius pectus quauis etiam bibliotheca refertius, ut me planè obstupefecerit. Eum audio iam nunc ad principem nostrum legatione functurum. Sed in tota peregrinatione mea nihil mihi contigit optatius, quàm Petri Aegidij Antuerpiensis hospitis tui cõsuetudo, hominis tam docti, faceti, modesti, ac uerè amici, ut peream nisi eius unius conuictum libenter mihi uelim bona mearũ fortunarum parte redimere. Is ad me misit Apologiam tuam, & commentarios item in psalmum illum, Beatus uir, quos tu Beato Rhenano, uel tanto, ac tam perpetuo amici monumẽto uerè beato, dedicasti. Dorpius epistolam suam imprimendam curauit, & Apologiæ tuæ præponendam. Illum optaueram, si qua incidisset occasio, conuenire. Id quando non licuit, per epistolã saltem salutaui, imò per epistolium quoddam Laconicum, nam longiori non suppetebat tempus: at insalutatum præterire nõ potui hominem, qui mihi mirum in modum, cùm ob eximiam eruditionem, tum multis etiã alijs nominibus placet, nec ideo in postremis, quòd taxata Moria, scribendæ tibi Apologiæ præbuit occasionem. Gaudeo Hieronymum, ac Nouum testamentũ tam bene procedere: mirum est quanto undiq; desiderio expectãtur ab omnibus. Linacer, mihi crede Erasme, de te & optimè sentit, & ubiq; loquitur: id quod

ego

ego nuper ab his accepi, qui ei amantißimè atq; effuſiſſimè apud regem in cœna de te loquenti affuere: quo in ſermone rex ea uiciſsim reſpondit, ut hi qui mihi retulerunt, opinionem planè conceperint fore, ut breui aliquid egregiæ in te fortunæ conferatur: quod ego ſuperos precor ut ratum eſſe uelint. Vale Eraſme chariſſime, & Rhenanum ac Lystrium meo nomine ſaluta, *quos ego & tua prædicatione, & ipſorum ſcriptis, & chariores habeo, & penitius etiam notos, quàm multos ex his quibus cum uerſor quotidie.* Vxor mea te ſalutat, & item Clemens, *qui literis &* Latinis & Græcis *ita proficit indies, ut non exiguam de eo ſpem concipiam, futurum eum aliquando & patriæ & literis ornamento. Iterum uale, atq; his unis literis in multos menſes eſto contentus, quibus auaros ſum imitatus: qui quòd raro quenquam inuitant, ſi quando ad cœnam uocant, prolixißimè conuiuium inſtruunt, ut una cœna quotidianum ſumptum inuitandi effugiant. Iam tertiò uale.* Epiſcopus Dunelmenſis *inſcriptionem Senecæ gratißimam habuit. Vide quàm te libenter imiter, qui tibi nunc itidem ut tu nuper mihi aliena manu ſcribo, tam certus imitator, ut ne hoc quidem meapte manu fuerim aſcripturus, niſi ut certum tibi facerem literas has meas eſſe.*

THO.

THOMAS MORVS PETRO Aegidio suo.

MI CHARISSIME Petre salue. Misè cupio ecquid tu conualescas intelligere, quæ res nõ minori mihi curæ est, quàm quidquid mei: itaq; & inquiro diligenter, & omnes omnium uoces excipio sollicitus. Aliquot mihi meliores de te spes renunciarunt, seu (quod opto) compertas, siue ut desiderijs meis inseruiant. Scripsi literas Erasmo nostro, eas tibi apertas mitto, signabis ipse. Nihil opus est quod illi scribitur, clausum ad te uenire. Versiculos, quos in tabellam tam insciтè feci, quàm illa scitè depicta est, ad te perscripsi. Tu si digna uidebuntur, Erasmo imperti, alioqui Vulcano dedas. Vale sexto Octobris.

Versus in tabulam duplicem, in qua Erasmus ac Petrus Aegidius simul erant expressi per egregium artificem Quintinum, sic ut apud Erasmum exordientem Paraphrasin in epistolam ad Romanos, picti libri titulos præferrent suos, & Petrus epistolã teneret, Mori manu inscriptã ipsi, quã & ipsam pictor effinxerat.

TABELLA LOQVITVR.

Quanti olim fuerant Pollux & Castor amici,
Erasmum tantos Aegidiumq; fero:
Morus ab his dolet esse loco, coniunctus amore
Tam propè quàm quisquam uix queat esse sibi.
Sic desiderio est consultum absentis, ut horum
Reddat amans animum litera, corpus ego.

IPSE

IPSE LOQVOR MORVS.

Tu quoq; aſpicis, agnitos opinor
Ex uultu tibi, ſi prius uel unquam
Viſos: ſin minus, indicabit altrum
Ipſi litera ſcripta, nomen alter:
Ne ſis neſcius, ecce ſcribit ipſe.
Quanquam is qui ſiet, ut taceret ipſe,
Inſcripti poterant docere libri,
Toto qui celebres leguntur orbe.
Quintine ô ueteris nouator artis,
Magno non minor artifex Apelle,
Mirè compoſito potens colore
Vitam adfingere mortuis figuris:
Heu cur effigies labore tanto
Factas tam bene, talium uirorum,
Quales priſca tulere ſecla raros,
Quales tempora noſtra rariores,
Quales haud ſcio pòſt futura an ullos,
Te iuuit fragili indidiſſe ligno,
Dandas materiæ fideliori,
Quæ ſeruare datas queat perennes.
O ſi ſic, poteras tuæq; famæ &
Votis conſuluiſſe poſterorum.
Nam ſi ſecula, quæ ſequentur, ullum
Seruabunt ſtudium artium bonarum,
Nec Mars horridus obteret Mineruam,
Quanti hanc poſteritas emat tabellam?

MI PETRE, *cùm omnia mirificè Quintinus noſter expreſſit, tum mirificum in primis falſarium ui-*

detur

detur præstare posse: nam ita inscriptionem literarum ad te mearum imitatus est, ut ●e ipse quidem iterũ possem itidem. Quare nisi aut ille in suum aliquem usum, aut tu in tuum eam seruas epistolam, remitte rogo ad me, duplicabit miraculum apposita cũ tabella: sin aut perijt, aut uobis usui erit, ego experiar meæ manus imitatorẽ ipse rursus imitari. Vale cũ lepidissima coniuge.

THOMAS MORVS ERASMO suo S. P. D.

HODIE literas abs te accepi, simul ad Coletum atq; Rossensem unà cum libello. Curabo quàm primùm ut perferantur, ne libellus amittat gratiam nouitatis. Quum epistolam legerem, mirabar cur non ad Cantuariensem quoque scripsisses, ut rem tuam ipse tractares apud eum, apud quem profectò, ni fallor, nemo alius tantum potest. Quanquam si per me malis, & efficacius putas à præsente rem agi posse, quàm per epistolã, libentius id faciam quàm iusseris: sed non erit perficiendi facultas tam citò, quàm ego tuam rem uellem fieri. Nam hoc solenne est apud nos, à legatione redeuntem, rectà regem petere, nec obiter ad quenquã diuertere. Ad hoc negocia nostra tam lentè procedũt, ut uerear ne sit diutius hic morandum, quàm aut speraui, aut è re sit mea: nisi fortè nihil uidebitur hic spei, quare sit manendum. Interim tamen si tu uoles, res agi potest per literas: nec dubito quin uelis. Sic agam ergo, ut deponatur huius anni pensio

apud Maruffum, & ſyngrapha mittatur ad te. Sed de redimenda penſione mihi certè non uidetur agendum: cùm quòd nemo eſt qui debeat redimere, niſi is qui, ut ego audio, nihil habet unde poßit: tum quòd uereor ne archiepiſcopus ſic interpretetur, tanquam à nobis animum prorſus abieceris. Quam ob rem de redemptione rurſus cogita: ſi decreueris, ego non deero. Interim ipſe de ſolutiõe tractabo: nec mihi uideris facturus malè, ſi tuas etiã literas addideris, id quod fortaßis expectat. Gaudeo Paraphraſim ſub prælo eſſe. Inuideo mediusfidius Louanio, cui tantũ contigit beneficiũ, quantum, ut uideo, uix agnoſcit. Sed is de quo ſcribis, aut ego fallor, aut nunquã mutabitur. Tonſtallus planè ſentit, te nimium bonum eſſe, qui ei toties deceptus pergas credere. Pacæcus adhuc non redit, neq; ſcire poſſum quando ſit rediturus: ſed neq; cõminiſci queo, quid habeat negocij. Certè quantũ inquirẽdo comperire poſſum, iam diu nihil eſt, neq; cum Imperatore, neq; cum Eluetijs: nec tamẽ licet remigrare domum, quum plus, opinor, quàm annum iam Conſtantiæ deſederit. Miror ab illo non redditum tibi librum. Scribam ad eum hac de re diligentißimè: neq; enim quicquam eſt quod malim perfici, uel literarum cauſa uel mea. Vale mi chariſſime Eraſme. Gaudeo uerſiculos meos in tabellam, tibi placuiſſe. Tonſtallus hendecaſyllabos plus ſatis laudauit, hexaſtichon moderatè. Sed id fraterculus quidã auſus eſt etiam reprehendere, quòd uos Caſtori & Polluci conferebam, quos dicebat potius comparari debuiſſe Theſeo ac Pirithoo, aut Pyládi & Oreſti, qui

quod

quod uos estis, inuicem erant amici non fratres. Ego fraterculum ne uera quidem dicentem potui ferre, resequutus hominis bonam operam malo Epigrammate.

Duos amicos uersibus paucis modò,
Magnos uolens ostendere,
Tantos amicos dixeram, quanti olim erant
Castorq; Polluxq; inuicem.
Fratres amicis, ait, ineptè comparas,
Ineptiens fraterculus.
Quid ni, inquam? an alteri esse quisquam amicior,
Quàm frater est fratri, potest?
Irrisit ille inscitiam tantam meam,
Qui rem tam apertam nesciam.
Est ampla nobis, inquit, ac frequens domus,
Plus quàm ducentis fratribus:
Sed ex ducentis, pereo, si reperis duos
Fratres amicos inuicem.

Iam iterum uale. Caleti V. Nouembris, raptim, ualde festinante tabellario, urgente opinor illum auriga.

THOMAS MORVS ERASMO Roterodamo S. D.

DILATVS ac procrastinatus Palgraui nostri, quotidie iturientis discessus effecit, ut & meas literas, & aliorum serius multo quàm aut ego uolebam, aut tu debebas, acciperes. Videbatur enim commodissimè relaturus ad te meas, qui tuas ad me attulisset: sic necesse fuit, prioribus præsentes ad-

tes addere, quibus constare tibi dilationis ratio possit, simul uti quid nunc agatur apud nos, intelligas: qui si unquam aliàs, nunc maximè in mœrore & periculo uersamur, multis undiq; morientibus, omnibus ferè, qui Oxoniæ, qui Cantabrigiæ, qui Londini sunt, intra paucos dies decumbentibus, amissis plurimis, optimis, atq; honestissimis amicis: atq; in his (quod tibi quoq; dolori esse doleo) Andrea nostro Ammonio, in quo & literæ, & omnes boni magnam fecere iacturam. Is ualde sibi uidebatur aduersus contagionem, uictus moderatione munitus: qua factum putauit, ut quum in nullum penè incideret, cuius non tota familia laborauerat, neminem adhuc è suis id malum attigerit, id quod & mihi, & multis præterea iactauit, non admodum multis horis antequam extinctus est: nam hoc sudore nemo nisi primo die perit. Ego, uxorq;, ac liberi adhuc intacti, reliqua familia tota reualuit. Hoc tibi affirmo, minus periculi in acie, quàm in urbe esse. Nunc ut audio, sæuire Caleti incipit, quum nos eò extrudimur, legatione functuri, tanquam parum sit, in contagione uixisse, nisi sequamur etiam. Sed quid facias? quod fors feret, ferendum est. Ego animum mihi in omnem euentum composui. Tu uale, Raptim Londini, XIX. die Augusti.

M. D. XX.

THO-

THOMAS MORVS D. ERASMO Roterod. S. D.

ACCEPI mi Eraſme, literas ab Ventfordo, quas per eundem tabellarium protinus ad te trãſmitto: ex quibus hominem facilè deprehẽdes antiquum adhuc morem obtinere. Non petam ut ignoſcas, quòd tuas aperui: uides enim ut ſcriptæ tibi, ſic mihi inſcriptæ ſunt, nec dubito quin eodem errore ad me contrà ſcriptæ ſint, quæ ſunt inſcriptæ tibi, quarum tam auidus eram, ut reſignare nõ libuerit. Si quid in his uideris, quod me putabis uelle ſcire (quod ego certè non puto) ſignifica. Opinor ad te perlatas, quibus te certiorẽ facio de recepta tabula, de qua rurſus, ac milies mi Eraſme rurſus, tibi ago gratias. De Petro tuo poſtquam iuit in Angliam, nihil audio. Vtinam tuum uerè dignum rege munus, aliquid tibi ab rege cõciliet boni. Fœliciter tibi cedat, quod iniunxit αὐτοκράτωρ: nam ipſi ſuccedit nihil, imò per Deũ omnia. Tuũ conſilium, qui non uis principum negocioſis nugis implicari: & me planè amas, quum ijſdem optas ut extricer, in quibus haud credas quàm inuitus uerſor: neque poteſt quicquam eſſe odioſius, quàm hæc eſt legatio. Nam & relegatus ſum in oppidulum maritimum, & ſolo & cœlo iniucundum: tum domi qui meapte natura uehementer ab litibus abhorream, etiam cum lucrũ adferunt, quantum neceſſe eſt hic adferant tædium, quum ueniant comitante damno. Sed dominus benignè pollicetur omnia repenſurum regem. Cum recepe-

ro, faciam ut scias. Interim uale, tu fortassis ultrò non optas. Eduardo Leo multum ex me salutem dicito, & Palgrauo nostro, si redijt. Iterum uale. Caleti, XXV. die Octobris. M. D. XX.

THOMAS MORVS ERASMO S. D.

DE puero cuius causam cõmendasti mihi, iam antè cum patre eius egerã quàm tu scripsisti. Rogarat enim pridẽ me per literas puer ipse, quòd sibi persuaserat apud illum meam sententiam momenti aliquid ac ponderis habituram. Tractaui rem diligenter, quid profecerim haud satis certò scio. Respondit mihi pater eius non omnino duriter, & tamen (ut noui hominem ad rem attentum) opinor respondisse tam cõmodè, magis pudore quodam aduersandi mihi, quàm quòd ex animi sui sententia loqueretur. Summa erat, de filio se usurum consilio meo: sed interim nõ obscurè significabat, eum se nummatũ malle quàm literatum. At puerum ipsum sic animatum uideo, ut nõ rem paternam tantum, sed ipsum etiam patrẽ, citius relicturus sit quàm se diuelli patiatur à literis, nimirũ dignus cuius indolem talem foueant omnes, atq; omni ope promoueant. Louaniensem illum scholasticũ ita collocaui, ut non dubitem quin tibi perpetuò sit habiturus gratias. Eruditio eius perplacet hero, qui quum audiuisset eum mihi commendatum abs te, rogauit ultrò uti iuuenem ipsi permitterem: qua in re ego non grauatim illi

sum

sum gratificatus, utpote quòd alioqui destinauerã petere. Nam apud me pluribus ministris non uacabat locus. Is dum primis illis diebus esset apud me, ostendit mihi opera quædã Lodouici Viuis, quibus neq; magis elegans, neq; magis eruditum quicquam iam diu uidi. Quotũ enim quemq; reperias, imò adeò quem unũ fermè reperias usquã, qui tam uirente ætate (nam tu etiũ uirente etiamnum ætate scribis esse) tam absolutum cyclopædias orbẽ absoluerit: pudet me profectò mi Erasme mei, meiq; similiũ, qui uno aut altero libello, eoq; ferè inepto uenditamus nos, quũ Viuẽ respicio tã iuuenem, tam multa, tam excussa, tam diserti sermonis, tam abstrusæ lectionis edidisse. Magna res est linguarũ alterutra pollere: ille se probat utraq; peritißimũ. Maius quiddã ac fructuosius præclaris imbutũ esse disciplinis: at quis uno Viue se ostendit aut pluribus instructũ, aut melioribus? Multo uerò maximũ est sic bonas artes imbibisse discendo, ut in alios easdẽ poßis rursus docẽdo transfundere. At quis illo docet apertius, dulcius, efficacius? Nõ possum satis admirari uirtutes illas quas in declamationibus eius tu & acutè perspexisti, & expressisti luculenter, potißimum uerò (quod in declamando potißimũ est) non modò illorũ historias temporũ tam exprompta memoria complecti, quàm non quiuis suarum rerum meminit, uerùm hominũ tot olim seculis functorum fato affectus tam præsentes induisse, ut nõ è libris hausisse quæ declamat, sed uidisse, sensisse, in parte fuisse rerũ uel prosperè uel secus cadẽtiũ uideatur. Consilia denique non ex aliena conditione lan

guidulè,ſed feruenter admodũ ex ſuo ipſe metu,ſpe,pe riculo,fœlicitatẽ metiri. Quòd ſi in alterutra tãtũ par te præſtaret,eſſet tamẽ admiratione dignum. Nunc ue rò talem ſe præbet in utraq;, ut chamæleonta putes, uerſo ſolo ſimul mutaſſe colorẽ. Vtinã expergiſcantur Eraſme,atq; ad iſtud Viuis exemplar componant ſeſe quidam qui nimium ambitioſè uolunt haberi pro diſer tis, idq; eo magis titulo quòd alia omnia contemnant, quàm quòd uel aſſequantur uel ritè conſequantur elo= quentiã,utpote qui ne per ſomniũ quidẽ concipiant ul lam rhetorices imaginẽ. Hi quum cæteras artes negli= gant,quónã ſtudiorũ nomine cohoneſtari poſtulant? Oratorẽ profectò uel rhetorẽ nemo iure uocabit eum, qui neq; ueras agat cauſas,neq; declamet fictas. Quin poeta perquàm tenuis fuerit atq; exanguis,cuius poe= ma nullis philoſophiæ monitis,nullis rhetorum præce ptis,nullis diſſerendi exercitamentis formetur. Viues quũ in rhetorica talẽ ſe præſtiterit, qualẽ haud fermè iam quiſquã qui nihil profitetur aliud, tamen cætera= rum artiũ omniũ quæ quidẽ dignæ ſunt ſcitu,nullã reli quit,in qua non ita uerſatus eſt, ut in ea ſola ætatẽ om nem contriuiſſe cenſeas. Itaq; ut nihil eſt illius quod nõ mirũ in modũ delectet omnes,ita me profectò quæ ſcri pſit in pſeudodialecticos peculiari quadam uoluptate perfundunt. Non ideo tantum (quãquam ideo quoq;) quòd illas ineptas argutias lepidis cauillis eludit, uali= dis argumentis oppugnat,ineuitabili ratione à funda= mentis eruit atq; ſubuertit,ſed & præterea quòd ibi ui deo quædã iiſdem ferè tractata rationibus, quas et ipſe

mecum

mecum olim quum nihil adhuc Viuis legissem collegeram. Quæ mihi nunc non eo nomine placent in libello Viuis, quòd meæ ratiõnes antè arrisserint mihi (solet enim placere, si quid afferre alios uidemus quod nobis antè in mentẽ uenerat) sed quòd mihi plaudo quando quod antè suspectũ habuerã, ne parum aptè diceretur, nunc confirmor haud inscitũ esse, postquã Viui quoq; uideo placuisse. Iam illud me capit ac delectat maximè, quòd quũ uideam idem argumentum utriq; nostrûm animum & cogitationẽ occupasse, tum sic utriq; tractatum, ut quanquã & fusius ab illo & elegãtius, tamẽ in nonnullis non tantum res afferamus, sed propemodum eadem etiã uerba, sic mihi libenter blãdior, quasi cognati quippiã syderis, animos inter sese nostros occulta quapiã ui & cõspiratione cõciliet. Hoc illi gratulor quòd tantũ habet locũ apud Cardinalẽ suum. Spero fore ut illius numinis fauor iniquitatem fortunæ corrigat, quæ solet in eos esse pessima quicunq; merentur optima, & tanquã literis ac uirtutibus inuidens, indoctos ferè atq; improbos beneficijs suis euehere. Verùm Cardinalis (cui beandi quemuis tam facilis ferè quàm ipsi fortunæ facultas est) homini tali. quẽ inter penitissimos adsciuit, cui tantum eruditionis eximiæ (qua nunc haud paulo clarius q̃ ipso dignitatis fulgore splendet) acceptũ fert, non insigniter esse beneficus, neq; pro insigni sua bonitate uolet, neq; sine insigni apud posteros quoq; traductione potest. Vale mi Erasme charissime, quem ego spero fore ut Caleti propediem præsens præsentem in hoc regum congressu complectar. Hodie ap-

pellit Imperator. Cras ſummo mane rex in occurſum ꝓdibit, imò fortaßis hac ipſa nocte quæ iã nunc appetit. Non credas quanto gaudio non dico regis ac procerum, ſed populi quoq; ſit acceptus nuncius per quẽ conſtabat Imperatorem huc appellere. Iterum uale è Cantuaria, pridie Pentecoſtes. Quiddam eſt mi Eraſme de quo ſi mihi notus eſſet Viues, admonerem illum. Nunc quoniã haud certus ſum quo animo acciperet ab ignoto tam importunum officium, ipſe potes per occaſionẽ ſubmonere, eſſe in ædibus legum atq; item in eius ſomnio (quod alioqui multorum ſuperat peruigilatas uigilias) abſtruſiora quædam quàm ut pateant niſi doctiſſimis, quum fuerit in rem literariam utile, illius omnia quàm plurimis intelligi. ei rei uel explicando, uel adiectis in margine breuißimis ſcholijs, facilè mederi fuerit. Addet item plurimum lucis declamationibus, ſi breuibus hiſtoriæ ſummam cõplexus uel una pagella præponat. Iterum uale. Anno M. D. XIX.

THOMAS MORVS ERASMO ſuo S. D.

TAMETSI mihi nunquam fuit obſcurum, Eraſme omnium dulciſſime, quanto interualla iudicium tuum antecellat meum: nunquã tamen illuſtrius inclaruit, quàm in hoc cõſilio, quo tibi Leoq; ſuaſimus, ut libellus eius perpetuò premeretur: te cẽſente contrà, ut tum potius ederetur, dum expectabatur

batur aßiduè, ut aliquãdo poſſet ea finiri fabula, q̃ ſopita fama pauliſper, pòſt exiret tamẽ, noua ſuſcitata tragœdia. Itaq; perpulimus uerius, quàm perſuaſimus, ut in ea pacta concederes, quæ quũ tu te neges infregiſſe Leo ſanctè ſe ſeruaſſe deieret, interim tamen ꝓpetuò ferè rumpebãtur: per utrũ uerò, quãdo res me tã procul agente gerebatur, altero in alterum congerente regerenteq; uiciſsim omnia, certò dijudicare nõ poſſum: dolere tantum cogor, illud conſilium tantum apud utrũq; ualuiſſe, ut pax iniretur, quod ualiturum non erat ut ſeruaretur. Maluiſſem enim tum libellum editum quũ minus irritatis animis poterat edi mitius, quàm ut nũc demum adauctis odijs emitteretur acerbior. Prodijt enim, ſed amarior aliquanto quàm uel ſperaſſem uel in rem fuiſſet ſtudioſorum, in quibus deſideratur ea modeſtia, quam uel idiotas inuicem non præbere pudeſceret. At tibi certè mi Eraſme conuenit, ſi cauſas quas allegat habuit, non mirari, ſi armarulentius affectũ ſuum tam inſigniter offenſus effuderit: ſin eluſus eſt aliqua figura ueri, ſic quoq; conuenit ignoſcere. Neq; enim nos quicquam ſegnius credita mouent quàm cognita. Non es uel admonendus, opinor, uel hortandus, ut exhibeatur abs te uerè Chriſtiana modeſtia, cuius labor in tota re uni deſudat Chriſto, qui tibi ſolus ob oculos debet obuerſari: à quo ſolidiorẽ tanto referes gratiã, quanto magis hic referre mundus neq; ingratus curat, neq; ingratus põt. In cuius immẽſa cõmoda, quũ tot incõmoda perpeſſus ſis, quum tot laboribus ualetudinem detriueris, ut bona promoueres ſtudia, tamen apud inuidos,

cosq;

eosq; tibi propemodum uni debentes, quicquid habent literarũ, si quid habent bonarũ, mala pro bonis referas, eo similior es Christo, quẽ non aliter poßis imitari fidelius, quàm si maledicta retalies benedictis, sicut incitasti benefactis. Vale Erasme animo meo charißime.

THOMAS MORVS ERASMO, uiro optimo atq; doctiſsimo S. D.

ANTIMORVS, *mi Erasme, Brixij iam diu Lõdini fuerat, priusquã tuæ ad me literæ peruenirent. Mirabar aliquantulum, quam rẽ tam ualde uelles, cur de ea tam serò scriberes: niſi aut Antimorus fortè serius aliquanto peruenit isthuc: aut ideo fuisti segnior, quòd donec accepisses me libellũ parare contrà, putasti fore, ut eius librũ, utpote autori potius quàm mihi noxium, neq; planè dignum cui respondere tur, mea sponte cõtemnerem: id quod ego profectò, mi Erasme, feciſsem, niſi amici quidam & doctißimi simul & prudentißimi suasiſsent aliter, quibus Brixius etsi magis irrisus est quàm inuisus, tamẽ haudquaquam ita charus erat, quàm est, ut uideo tibi. Nã ego iam fermè biennium, quum audiuiſsem eũ moliri talia, atq; in animo haberem ad eum ipse scribere, idq; quàm potuiſsem amantißimè: simulq; ea consulere, quæ magis aliquanto in rem ipsius feciſse fuerat, quàm quæ nunc intemperanter fecit: intellexi interea nuncijs è Lutetia certißimis, adeò hominem in abruptum ferri suis affectibus,*

ut

ut nullis amicorum ſuaſibus potuerit cohiberi, non Beraldi, non Laſcaris, non Budæi (uides qualium uirorũ) conſilijs retrahi: non Deloini demum uiri tanti, non reuerendiſſimi Cardinalis, qui nuper illic obijt, autoritate commoueri. Sic intabeſcebat ulciſcendi libidine, & tanquam Narciſſus amore quodam ſuorum ipſe uerſuum deperibat miſerè, quos tamen quotidie nouos uelut è cunis exceptam ſobolem in menſam nunc Deloini, nunc Cardinalis circũferebat exoſculãs: nec ſemper inde lætus referebat domũ, quũ à uiris doctis & graui bꝰ audiret interdũ talia, qualia ſi ſapuiſſet ipſe dixiſſet ſibi. Quorum mihi multa cùm alij ſcripſerunt illinc, tũ Ioannes quidam natione Græcus, homo Latina lingua iuxtà doctus ac ſua, probis moribus, & indubitatæ fidei, plurima retulit coràm: quibus quum ſentirẽ Brixium impotentius abripi, quàm ut attrectari pateretur, mutaui conſilium, atq; à ſcribendi uoluntate deſtiti. Simul cogitabam, etſi hactenus indulgeret animo, ne penitus uellet tacere: tamen quoniam in eã rẽ tã multũ ſtudij, tã multum impendebat temporis, in quo non erat abſimile ueri, primùm illũ animi calorem, ac uelut impetum quendam, qui ſubitis rebus imponit, ſpacio & mora deferuere, iocis eum luſurum ac ſalibus, à iurgijs uerò, conuicijs & calumnijs omnino temperaturũ ſibi, ne meritò iudicaretur importunè maledicus, ſi acerbius in pace læderet, quàm læſus eſſet in bello. tum quoniam ante annos ſeptem Chordigeram eius legerã, quæ tametſi multis & inuentionis, œconomiæ & ſermonis uitijs abundabat, præ ſe ferebat tamen ſpecimen eius ingenij,

ingenij, quod annis posset (quos nunc accessisse uidebam) aliquando maturescere: sperabam eum doctum aliquid atq; excussum editurum, quod me quoq; in quẽ edebatur oblectaret, quem iocus aliquanto liberior nõ admodum solet offendere. At ubi prodijt præclarus iste Brixij partus Antimorus, Morycho planè moroteros, ueneno quouis uirulentior, & indoctior ipsa Chordigera, nihil aliud quàm, ut par erat, irrisi, illud interea mecũ ὑποτονθορίζων, χρυσὸν ζητῶν ἐν γῇ ἄνθρακας. Et herclè quemadmodum Aetnæ carbones exusserunt Empedoclem, ita carbones isti similem captantem gloriam ustularunt Brixium, ac reddiderũt carbone quouis atriorẽ: eoq; nec omnino quicquam respondere statueram. Verùm alijs aliter uisum est, quorum ego iudicijs in meis rebus magis fidebã quàm meo. hi quãquam faterẽtur neminẽ esse literatũ usquã, cui nõ factura sint nauseã, tã insulsa, tã uirulenta deliria: calũnias eius censebant, etsi perabsurdas atq; ineptas, ad hæc nec obscuras, si quis attendat satis proram puppimq; negocij, nõ fore tamẽ satis liquidas multis, qui fortasse legerẽt eius Antimorũ, quũ neq; Chordigeræ, neq; meorũ Epigrammatũ facultas futura sit. Suaserũt igitur, ut hæc omnia in unũ librũ cogerẽ, & lectoris pariter subijcerẽ oculis: tũ ut meo scripto negocium nonnihil illustrarem, sic ut legenti nihil requiratur amplius, nisi iudicium suũ. Vides Erasme charissime, quid nos ad rescribendũ compulit. Quamobrem non necesse habeo tuis respondere rationibus: quãdo nisi aliò me perpulissent alij, fuerim ipse tibi semper ὁμόψηφος. At quòd tibi uideo persua-

sisse

ſiſſe Brixium, negligentia tantum tabellarij tui contigiſſe quo minus effeceris, ut ille perpetuò preſſerit Antimorum ſuum, uehementer mi Eraſme demiror, id ſic acceptum tanquam probatum tibi. Quid ni credã, inquis, quando Beraldum atq; Budæum, utrũq; tã ſpectatæ fidei, teſtes producat in iudicium? Producit Eraſme, non nego, fidei tantæ uiros duos, ut utriuslibet fides in quãtauis re facere fidem poſsit. Quid obſtat, inquis, ergo quin quod ait Brixius uiceris? Hoc unũ mi Eraſme, quòd quum duos teſtes producat, utrunq; producit auritum, oculatum uerò neutrum, quum plus in iudicijs ualeat oculatus teſtis unus, quàm auriti decem. Quid enim aliud poſſunt teſtari Beraldus ac Budæus, quàm ſeſe ex ipſo audiuiſſe Brixio, Antimorũ illo aut illo die fuiſſe ſub prælo? Hoc enim ſignificat Brixius, quum ſe dicit illis editionẽ Antimori indicaſſe aliquot antè diebus, quàm tuam legiſſet epiſtolam. Ergo tu Beraldo credes & Budæo, ſed cui interim credent illi? an non ipſi Brixio? Vides ne nunc Eraſme ſpecioſum iſtud teſtimonium, Quem ne ego heri uidi ad uos adferri ueſperi, ut exiret deniq; in ſuffarcinatam Cantharam? Vt illud omittam interim, quòd nullos unquam teſtes poteſt producere, non antè ſibi lectam epiſtolam tuam, quàm uidiſſet excuſam, quum potuerit acceptã diſſimulare, ut iſta cauſa pòſt apud te liceret uti integra. Præterea quũ Antimorus eius conſtet quaternionibus non plus octo, qui totidem diebus ſolent excudi, nec dimidium ex Brixij uerbis colligitur peractum eſſe quum tuas literas legeret, in anguſtum ſanè compingit illos aliquot

quot dies, quibus ait se Beraldo & Budæo indicasse editionem. At cur, inquis, fingeret istud Brixius? Adeò tibi mirum uidetur, si uel animi causa fingat homo poeticus? Quanquã suberat etiã causa cur fingeret. Nã quũ uterq; frequenter admonuisset, ne tam ineptum libellũ, ac muliebriter iurgiosum ederet, uolebat fortasis experiri, an eodem animo accepturi forent quum feciſſet, quo tam sæpe consuluissent ne faceret. Accidit enim nonnunquam, ut quod ne fiat obsistimus acriter, dum res est integra: id ubi in eum locum uenit ut non possit corrigi, patiamur, & uitium quoad licet, uerbis integamus. At ego mi Erasme, quo uerè uidere possis, quanto uerius Morus tibi paratus sit obtẽperare quàm Brixius, quanquã quum tuæ ad me uenirent literæ, liber non quidem sub prælo esset, sed totus esset excusus: atq; id docere possim non duobus auritis testib. qui ex me audierint, sed oculatis plus q̃ decem, qui suis uiderint oculis: imò testibus opinor oculis ipsius tuis, utpote ad quem librum ante hanc epistolã peruenisse nõ dubitem: quanquam ad eius editionem tot amicorum consilijs urgerer, tamen ubi tuas literas accepissem, cuius unius apud me sententia omnibus omniũ calculis præponderat, non sum imitatus Brixium: cui quum sit, ut scribit, crumena semper ære grauis, tamen tanti fecit monitionem tuam, cuius, ut ait, nutus obseruat, ut non sustinuerit tantillum sumptus impendere, quo libellos illos uniuersos coemeret, atq; in ignem semel conijceret: ut tantas eius ineptias nomen illud Brixij, cuius illustrãdi desiderio nimis quàm miserè sitit, infamaturas omnium

omnium ſubduceret oculis. Ego uerò, mi Eraſme, præter eos duos quorũ alterum iã ad te miſerã, alterum ad Petrũ Aegidiũ, atq; alios quinq; quos uendiderat typographus (nã quum primũ proſtarent ac cœpiſſent aui dè flagitari, tua commodùm interuenit epiſtola) coemi uniuerſos, eosq; clauſos adſeruo, ut priuſquã aliud innouetur ex me, poßimus, imò poßis potius ipſe tecum ſtatuere, quid à me uelis fieri. Quamobrem tute nunc, mi Eraſme, etiam atq; etiam diſpice, in eius amici cauſa quid ſtatuas, qui quicquid ſtatues obtẽperare cõſtituit. Nã quòd ſuades, ut quicquid in Brixiũ ſcripſerã omittatur, quũ Epigrãmata mea denuò cõtinget excudi, atque ut Antimorus Brixij uicißim non propagetur amplius: ego mi Eraſme, quod ad Brixiũ pertinet, multis mihi uideor coniecturis colligere, magis tenerũ eius in ſuos uerſus animũ, quàm ut abduci patiatur ab eo ſtudio ſe, quo charißimæ fœturæ ſuæ quoad eius fieri poteſt procuret æternitatẽ. Mea uerò Epigrãmata nunquã admodum animo placuerunt meo, id quod & ipſe mihi Eraſme conſcius es: cui & quibuſdã alijs niſi liber ille arriſiſſet amplius, quàm adblanditus eſt mihi, nuſquã fortaßis extaret hodie. Nunc uide ut rerũ uices inuerſæ ſunt. Si conditione cautum eſſet inter nos, ut ex Epigrãmatis meis tibi liceret quæcunq; uelles trãsfigere, modò ne ius in pauca quæpiam ſit, quæ mihi liberet excipere, iam quos in uerſus ſolos tu ex pacto ferrũ ſtringeres, eos ego ſolos exceptione defenderem. Adeò mihi cœperunt adblandiri, poſtquam eos uideo multis commendari uirulenta atque inepta uerſificatio-

ne Brixij. Nec tamen iſtud dico quo minus tibi quiduis liceat in mea, cui quiduis etiam licet in me. Iam quod ais, eum eſſe Brixium, quem ſi pernoſſem intimius, eum ſentirem talem, quo nemo ſit amore meo dignior. Equidem mi Eraſme, non me pro tanto uiro gero, ut tã tenui quenquam conditione uideam, quem indignũ cenſeam amore meo, modò ne ſit improbus, qui non amari debeat à quoquam: eoq; Brixium facile aſſentior non indignum eſſe, qui maiorum ſit amore uirorum dignus quàm ipſe ſum. Nam omnino uidetur aliquãto plus habere, non dico ſuperbiæ, ſed planè generoſi cuiuſdã ſpiritus & magnificentiæ, quàm ut ad puſillam hanc atq; humilem indolem meam poſsit uſquequaq; congruere, niſi in amicitia tam malè copulari uellem, quàm malè inæquales ueniunt ad aratra iuuenci. Nec tamen eam, mi Eraſme, te conſulente recuſem, qui me uel ad parendum præſtantioribus facilè poſſum componere. Certè quod ad eruditionem eius attinet, ſtudioſum eſſe credo, & non omnino ſtupidum, tum quẽ aliquando aliũ reddet uſus. Cæterum in his quæ edidit hactenus, ut uerè dicam, id quod etiam docere poſſum, neq; ſolœciſmis caret, neq; numeris ſatisfecit, & ingenio frequenter magis labitur, quàm ut puero concedi poſsit. Et tamẽ qualis eſt, non tanti memet facio, ut me illi poſſe cenſeam eruditione conferri, quum tu, mi Eraſme, uel amore cæcutiens, uel (quod uerius certè puto) quadam erga me ciuilitate præferas. Et ut ingenuè dicam, adeò illum nõ odi, ut poſtquam animo nunc defecatiore ſum factus, adamem etiam literarum gratia, uel tua. Verum in cau

ſa

ſa quid fieri uelis expende diligentius, priuſquam impe
res. Nam planè ſi non reſpondero, putabor multis hu=
ius ineptiſſimæ rixæ præbuiſſe cauſam, & nihil quic=
quam prouocatus, tamen probris, diris & execration
bus infectatus illum: quod non minus fuiſſet inhuma=
num, quàm nunc falſum eſſe docui, ſi tu librum patie=
ris exire: in quo quod ſecundo loco mones, ut ſi omni=
no decretum ſit emittere, curandum mihi ſit, ut (quod
hactenus me præſtitiſſe dicis) eruditione tantum ui=
dear & cauſa Brixium, non etiam conuicijs uincere.
Ego mi Eraſme ut eruditione contentus ſim ſi Brixio
compar ſim, ita cauſa non dubito quin longè ſim ſupe=
rior, quantumuis ſuam Brixius aſſerat bonam, facilem,
uincibilẽ, quod principiũ ex arte ſolet adhiberi ad de=
fendendam noxam. Conuicijs profectò facilè me uinci
patiar, quo armorum genere nũquam pugnare ſtatui.
Et tamẽ fieri poteſt, ut quod mihi mea facit iniuria ni=
hil acerbũ uideri, idẽ alius cui nõ idem rei ſenſus eſt, iu=
dicet eſſe mordaculũ. Quòd ſi fors acciderit uſpiã, non
adeò reuerebor æquitatem lectorũ, quin et in me quo=
que mi Eraſme, quantumcunq; grauem perſonam tuus
nobis imponat amor, qui magna de me fingit omnia,
tamen dum adhuc inter mortales uerſor, nondũ planè
relatus in diuos, ut in re ridicula rideamus: non uere=
bor, inquã, quin aliud & in me cõdonaturus ſit huma=
nus lector, humanis, quos hominũ nemo prorſus excuſ
ſit, affectibus. Vale mi Eraſme chariſſime. Quum Ca=
letum uenerimus, quò rex propediem adornabit iter,
ſpero fore ut coràm his de rebus cõmentemur plenius.

Nam omnino in hoc regũ conuentu te expecto, atq; ita Brixiũ: nã & regina Gallorũ aderit, cui cũ sit à secretis Brixius, non poterit opinor abesse. Ita quod ad me attinet, facilè rẽ compones ex sententia tua. nã etsi nulla de causa sic egit in me, ut planè declarauerit nihil ad meã pernicie præter uires defuisse sibi: tamen quando tu mi Erasme, plus es mihi quàm dimidiũ mei, plus apud me ualebit in Brixio, quòd sit amicus tuus, quàm q; inimicus meus. Iterũ uale. Grenuici, mẽse Maio, M.D.XX.

THOMAS MORVS ERASMO Roterodamo S. D.

QVAM rẽ ad hunc usq; diẽ à puero penè semper optaui Desideri dulcissime, ut quod tibi perpetuò contigisse gaudeo, idẽ aliquãdo gauderem contigisse mihi, nẽpe ut publicarũ rerũ negocijs liberatus aliquid olim tẽporis uiuere Deo duntaxat ac mihimetipsi possem: id nũc tãdẽ Erasme Dei opt.max. benignitate ac principis indulgentissimi beneficio cõsequutus sum. Cæterùm non ita tamen sum consequutus, ut uolui. Fuerat enim in uotis ut ultimũ illũ uitæ colophonẽ, quicquid annorũ fuerã habiturus, infractũ, uegetũq;, morbo saltẽ & cruciatu liberũ (quoad per ætatẽ liceret) obtinerẽ. Nunc uerò an eius uoti, nimiũ fortassis improbi, cõpos aliquãdo sim futurus, Deo in manu est. Sed interim pectus mihi occupauit nescio quid morbi: cuius non tã sensu et dolore crucior, quàm euentus metu ac timore solicitor. Nã quũ aliquot mẽses eo-

dem

dem tenore ſemper infeſtaret, conſulti medici reſpõderunt, morã longã in morbis eſſe periculoſam, & curã huius aiebant celerẽ eſſe nõ poſſe, tẽpore ſenſim, uictu, pharmacis, quiete medicandũ: neq; finẽ medendi præſtiebãt, neq; ſalutẽ ſatis certã pollicebantur tamen. Hæc ego igitur mecũ uerſans animo, quũ aut deponendum mihi magiſtratũ uiderẽ, aut operã meam in eo gerẽdo claudicaturã, quando negocia quæ res poſcebat obiri per me non poſſent, niſi mortẽ ipſe obire periclitarer, qua ſi defungerer, uel ſic omnino cum uita ſimul relinquendũ fuit officiũ, decreui mecũ tandẽ altero potius q̃ utroq; carere. Quamobrẽ ut & publicis rebus pariter & meæ ſaluti cõſulerẽ, à clariſſimi principis & optimi benignitate ſupplex impetraui, ut magiſtratu iſto quo me (quod tute ſcis) regni totius ampliſſimo incredibilis eius in me fauor tã longè ſupra meritũ quàm ſupra ſpem ac uotũ omne meũ honorauerat, nunc ſub eius pondere fatiſcentẽ dignaretur eius pietas exonerare. Superos igitur uniuerſos precor, ut & iſtos indulgentiſſimos in me clariſſimi regis adfectus Deus, qui ſolus poteſt, digna repenſet gratia: & mihi quicquid temporis reliquũ daturus eſt, ne per iners atq; ignauũ trãſigatur ociũ, non eã modò mentẽ donet ut bonas horas bene collocare uelim, ſed eã etiã corporis addat firmitatẽ, qua poſſem. Nã (quæ mea ſocordia eſt) infirma ualetudine nihil omnino poſſum. Neque enim mi Eraſme oẽs ſumus Eraſmi, ut quod mortaliũ omniũ uni propemodũ tibi propitius donauit Deus, id nos cõueniat omnes expectare. Quis enim præter te alius id polliceri

audeat, quod tu præstas? qui præter ætatis ingraueſcentis incõmoda, ſic aßiduis afflictus morbis ut fatigare atque obruere iuuenem ualentẽ queant, quotannis, tamẽ totius temporis tui rationem tanquam nihil inde neq; anni graues, neq; aduerſa ualetudo ſurriperet, editis libris optimis orbi toti nunquã ceſſas reddere. Quæ res unà quum reputantibus uniuerſis miraculi uicem habeat, ad ſtuporẽ tamen uſq; miraculum geminat, quòd nihil te deterrent à ſcribendo (qui uel Herculeũ pectus oppreſſuri uiderentur) tot undiq; in te ſurgentes uitilitigatores tui: quales tibi multos indies exuſcitat incõparabilis iſtius ingenij tui atq; eruditionis, ingeniũ etiã tale ſuperantis inuidia: ad quas naturæ atq; induſtriæ tuæ uirtutes quum facile intelligant nunquã poſſe conſcendere, & ferre tamen per animi tumorẽ, quo penè dirumpuntur, nequeant ut infrà tam longè ſubſidant, machinãtur inter ſe nimirũ ac pro ſua quiſq; uirili moliuntur, ſi quà poßint efficere ut tua gloria ad ingloriã ipſorũ uilitatẽ queat aßidua detrectatione deduci. Sed dũ ſaxũ hoc Siſypheũ iam tot annos uoluunt, quid aliud interim tandẽ tã irritus quàm improbus labor effecit, quàm ut ſaxũ ſemper in ipſorũ caput recideret, tu ſemper altior & ſublimior euaderes? Nam ſi quid interdum aliquos, qui neq; mali ſunt, nec indocti, cõmoueat, in quo fortaſſe tractando aliter abs te temperatiũ ſtilo uoluiſſent, quid magnæ rei eſt? quum id non modò nulli unquã ſcriptori nõ acciderit, ſed nec ipſi quidem dum notarent tua, ſic potuerint tamen temperare ſibi, ut non idem uitij & illuſtrius q̃ ut ex ipſorum honore

ſit,

sit, & frequentius quàm pro libelli cuiusq; modo contigerit. Qua in re tanto difficilius ueniam merentur illi, quòd ignorare nõ possunt, quàm ingenuè fateris ipse quædam te tractasse sic, priusquam hæreses istæ pestilentes orirentur, quæ iam passim grassantes pessundãt omnia, ut si diuinare potuisses tales religiõis hostes ac proditores aliquando prodituros esse, mitius ac dilutius eadem fueris propositurus: quæ ut tum proponeres fortius, diuersa quorundã uitia, quæ pro uirtutib. amplectebantur, extimulabant. Quẽ animum qui uelit tibi uitio uertere, is hauddubiè sudabit satis, priusquam satis inueniat, qua ratione possit sanctissimũ quemq; ex antiquis Ecclesiæ doctorib. excusare: quos ego certè nõ dubito si nostrũ hoc seculũ sic uidissent, ut uiderũt suũ, nonnulla suis quemq; temporibus fuisse & cautius & explanatius enarraturos: quod quia non fecerũt, propterea quòd dũ præsentibus medebantur malis, futura nõ ueniebant in mẽtẽ, idem nimirum illis accidit, quod isti nũc calumniantur in te: nempe ut postea succrescentes hæretici quædam sese iactant ab illorũ scriptis hausisse. quæ res tibi non cũ sanctissimis solũ patribus illis, & orthodoxæ fidei uetustissimis præsidibus, sed cum ipsis etiam Apostolis & Euangelistis est, atq; ipso etiã Seruatore nostro communis: ut ex quorum uerbis maximè, imò propemodum solis hæretici omnes dogmata sua falsissima conantur stabilire. Macte igitur mi Erasme uirtutibus istis tuis, & tantum, si quid interdum boni cuiusquam uiri anxiam solicitudinem, uel absq; satis grandi causa cõmoueat, ne te pigeat tamẽ ad

pios eorum affectus quædam attemperare: alioquin neglectis maleuolorum latratibus, perge placidus iuuandis studijs & promouẽdis uirtutibus nihil remoratus insistere. De illo quem mihi literarũ gratia non etiã religionis commendaueras perquàm circũspectè sanè ac ciuiliter, per amicos quosdam admonitus sum, ut caueã ne mihi sublinatur os: id profectò quoad fieri per me poterit, curabitur. Neq; enim nescio quantum sit periculi, nouas istas errorũ sectas admittere, quæ tametsi sedulò semper hactenus apud nos & præsulum cura et principis autoritate cohibeantur, nirum tamen quibus primùm technis irrepere, deinde quanta cum peruicacia nituntur irrumpere: neq; cessant unus & alter è nostris, malè uertendo scripturas & deterius interpretando, omne genus hæreseos è Belgica (quo se uelut in portum aliquem receperunt) in hoc regnũ libris nostro sermone cõscriptis mittere. Quorũ ipsi sic plerisq; respondimus, ut non ualde cuiquam metuam, qui utrumq; perlegerit: nisi quòd quidam & noua per leuitatem, & pernicioſa per malitiam ita libenter & cum fauore perlegunt, ut non ideo assentiant, quia uera credant esse quæ legunt, sed quia cupiant. Sed isti hominũ generi, quibus malos esse libido est, nulla unquam ratione satisfeceris. Mihi studio est pro mea uirili ijs præsidio esse, qui non sua sponte desciscunt à uero, sed uersutorum hominum fallacijs abducuntur. Vale doctißime Erasme, ac de bonis studijs optimè merite. Ex ædibus nostris Chelcheicis. Anno Domini M.D.XXXII. decimoquarto mensis Iunij.

TABVLA

TABVLA AFFIXA AD SEPVLchrum Thomæ Mori.

THOMAS Morus urbe Londinensi, familia non celebri sed honesta natus, in literis utcunq; uersatus, quum & causas aliquot annos iuuenis egisset in foro, & in urbe sua pro Shyreno ius dixisset, ab inuictiss. Rege Henrico octauo (cui uni regum omnium gloria prius inaudita contigit, ut fidei defensor, qualem & gladio se & calamo uerè præstitit, meritò uocaretur) adscitus in aulam est: delectusq; in consilium, & creatus eques, proquæstor primum, pòst Cancellarius Lancastriæ, tandem Angliæ miro principis fauore factus est. Sed interim in publico regni senatu lectus est orator populi: præterea legatus Regis nonnunquam fuit, aliàs alibi: postremò uerò Cameraci Comes & collega iunctus principi legationis Cuthberto Tunstallo, tum Londinensi mox Dunelmensi episcopo, quo uiro uix habet orbis hodie quicquam eruditius, prudẽtius, melius. Ibi inter summos orbis Christiani monarchas rursus refecta fœdera, redditamq; mundo diu desideratam pacẽ, & lætissimus uidit, & legatus interfuit:

Quam superi pacem firment, faxintq; perennem.

In hoc officiorum uel honorum cursu quum ita uersaretur, ut neq; Princeps optimus operam eius improbaret, neq; nobilibus esset inuisus, neq; iniucundus populo, furibus autem, homicidis, hæreticisq; molestus, pater eius tandem Ioannes Morus eques, & in eum iudicum ordinem à principe cooptatus, qui regius consessus

ſus uocatur, homo ciuilis, ſuauis, innocens, mitis, miſe-ricors, æquus & integer, annis quidem grauis, ſed cor-pore plus quàm pro ætate uiuido, poſtquam eò produ-ctam ſibi uitam uidit, ut filium uideret Angliæ Cancel-larium, ſatis in terra iam ſe moratum ratus libens emi-grauit in cœlum. At filius defuncto patre, cui quàm diu ſupererat comparatus, & iuuenis uocari conſue-uerat, & ipſe quoq; ſibi uidebatur, amiſſum iam pa-trem requirens, & editos ex ſe liberos quatuor ac ne-potes undecim reſpiciens, apud animum ſuum cœpit perſeneſcere. Auxit hunc affectum animi ſubſecuta ſta-tim uelut adpetentis ſenij ſignum, pectoris ualetudo de-terior. Itaq; mortalium harum rerum ſatur, quam rem à puero penè ſemper optauerat, ut ultimos aliquot ui-tæ ſuæ annos obtineret liberos, quibus huius uitæ ne-gocijs paulatim ſe ſubducens, futuræ poſſet immorta-litatem meditari, eam rem tandem (ſi cœptis annuat Deus) indulgentiſſimi Principis incomparabili bene-ficio reſignatis honoribus impetrauit: atq; hoc ſepul-chrum ſibi, quod mortis eum nunquam ceſſantis adre-pere quotidie commoneſaceret, translatis huc prioris uxoris oſſibus, extruendum curauit. Quod ne ſuper-ſtes fruſtra ſibi fecerit, néue ingruentem trepidus mor-tem horreat, ſed deſiderio Chriſti libens oppetat, mor-temq; ut ſibi non omnino mortem ſed ianuam uitæ fœ-licioris inueniat, precibus eum pijs lector o-ptime ſpirantem precor defun-ctumq; proſequere.

EPI-

EPITAPHIVM INIBI FIXVM.

Chara Thomæ iacet hic Ioanna uxorcula Mori,
Qui tumulum Aliciæ hunc destino, quiq; mihi.
Vna mihi dedit hoc coniuncta uirentibus annis,
Me uocet ut puer & trima puella patrem.
Altera priuignis (quæ gloria rara nouercæ est)
Tam pia quàm gnatis uix fuit ulla suis.
Altera sic mecum uixit, sic altera uiuit,
Charior incertum est hæc sit, an hæc fuerit.
O simus ô iuncti poteramus uiuere nos tres
Quàm bene, si fatum relligioq; sinant.
At societ tumulus, societ nos obsecro cœlum,
Sic mors, non potuit quod dare uita, dabit.

EPITAPHII FINIS.

THOMAS MORVS ERASMO Roterod. S. D.

BINAS *abs te literas accepi, alteras Friburgi datas* VII. *Februarij proximi, alteras hic Quirinus attulit, qui præter literas impertiuit alia, quæ in regionibus istis acta digna cognitu sunt: quæ quòd me scire uoluisti, magnas tibi gratias ago. De rebus tuis omnia potes è Quirino cognoscere, qui mihi uidetur & probus esse, & diligens. Gaudeo tua causa, &, quoniam te amo, etiam mea, præsentem Cantuariæ præsulem non minorem erga te amorem præ se ferre, quàm præstitit olim Vuaramus, quo nõ alius uixit tui amãtior: qui si uisus est in fine ad dãdũ segnior,*

ipsa

ipſa res indicat impares facultates non imparem ani=
mum fuiſſe in cauſa. nam mortuus eſt ſuprà quàm quiſ
quam credat pauper, niſi quòd non defuit unde diſſol=
uerentur debita: neq; ita multum debuit, ſed poſt impẽ
ſa iuſta funeri, nõ admodum multum ſuperfuit. Dunel=
menſem hauddubiè uehementer exhaurit hoc bellum,
aut incurſiones potius quæ ſunt habitæ nobis cũ Sco=
tis: nam eius ditio Scotis eſt contermina tam procul à
nobis, ut ego tam rarò ferè ab illo iam audiã quàm abs
te. Rumor hic erat N. hic fuiſſe cum Melanchthone u=
nà ſeruatum per neſcio quos diu clanculum, pòſt fur=
tim diſceſsiſſe: ſed is rumor paulatim euanuit, & res re
perta eſt falſiſsima. Rex uidetur aduerſus hæreticos a=
crior quàm Epiſcopi ipſi. Tyndalus hæreticus noſtras,
qui & nuſquã & ubiq; exulat, ſcripſit huc nuper Me=
lanchthonem eſſe apud regem Galliæ: ſemet collocutũ
cum eo, qui illum uidiſſet exceptum Pariſijs, comitatu
C L. equorum. addebat ſe timere Tyndalus, ne ſi Gal
lia per illum reciperet uerbum Dei, cõfirmaretur in fi
de Euchariſtiæ contra Vicleſicam ſectam. Quàm ſolici
tè iſti tractant hoc negocium, tanquam illis delegaſſet
Deus inſtituendum & rudimentis fidei imbuendum or
bem? Quod in epiſtola priore ſcribis, dubitaſſe te epi=
ſtolam meam edere, quum tamen eſſent cauſæ quur edi
tam cuperes, non eſt mi Eraſme quod dubites. locutu=
lei quidam apud nos ſpargere cœperant, me quanquã
diſsimularem, inuitum tamen eſſe magiſtratu abdica=
tum. At ego quum ſepulchrum mihi faciendum curaſ=
ſem, non dubitaui rem, ut erat, Epitaphio teſtari, ut cõ

trà

trà si quis posset redargueret. Hoc illi simul ut descripserant, quum uelut uanum non possent, ut glorioſulũ incessebant. Sed ego hoc malebam, quàm ut alterum illud persuaderi sinerem: non mea certè causa, cui quid dicant homines, modò probet Deus, non multum pensi habeo: sed quoniam in fidei causa libellos aliquot aduersus quosdam nostros contentioſorum dogmatum propugnatores lingua nostrate scripseram, arbitrabar oportere me integritatem nominis mei defendere. & ne nescias quàm glorioſè scripserim, Epitaphium meum accipies: in quo uidebis qua conscientiæ fiducia nihil illis blandior, quo minus de me prædicent quod libet. Expectaui iam syndici tempus à gesto ac depoſito magistratu, nec adhuc quisquam prodijt qui de mea integritate quereretur. Aut tam innocens fui, aut tam cautus saltem, ut æmulis meis necesse sit, si me altero nolint, altero saltem sinant gloriari. Sed de hoc negocio Rex ipse quùm aliàs, tum priuatim sæpe, tũ bis publicè pronunciauit. Nam suprà quàm meus pudor pati potest ut recensеam, per os ducis illustrißimi, ducis inquam Norfolchiæ magni thesaurarij Angliæ, quum successor meus homo in primis egregius collocaretur in loco, honorificè iußit de me testatum reddere, quòd ægrè ad preces meas me dimiserit: nec eo singularis erga me bonitas Regis contenta, reuocari fecit idem denuò multo pòst in sua præsentia in solenni conuentu magnatum ac populi, per os successoris mei, in oratione, quam ex more primam habuit in senatu, quem senatum (ut scis) nos Parleamentum uocamus. Igitur si

tibi

tibi ita uidebitur, nihil est quòd dubites quo minus e=das epistolam. Quòd in Epitaphio profiteor hæreticis me fuisse molestũ, hoc ambitiosè feci. Nã omnino sic il=lud hominũ genus odi, ut illis ni resipiscant tam inui=sus esse uelim quã cui maximè, quippe quos indies ma=gis ac magis experior tales, ut mundo ab illis uehemẽ=ter metuã. Illi de quo scribis (obsequar tuo consilio) ni=hil omnino rescribã, quanquã longã epistolã iam diu paratã habeam: nec ob id contineo, quòd quicquã pen=si habeam quid ille aut omnes eius cõplices uel sentiãt uel scribant de me, sed quòd nolim onerare me neces=sitate rescribendi externis, quũ cura propiore tangar re=spondendi domesticis. Tu mi Erasme fœliciter diu ua=le fœlicissimè semper. E' rure nostro Chelseico.

EXEMPLAR EPISTOLAE THOmæ Mori, in carcere carbone Louanienſi cuidam ſcriptæ.

Nunquam prius edita.

AMICORVM *amicissime & meritò mihi charissime, salue. Quoniã præsagit mihi ani=mus, fortasse falsò, sed tamẽ præsagit, haud diu superfuturã ad te scribendi facultatẽ: decreui, dũ licet, hoc saltẽ epistolio significare, quantum in hoc fortunæ meæ deliquio, amicitiæ tuæ iocunditate reficiar. Nam antè quidẽ, uir ornatissime, tametsi mirificè certè, sem=per amore isto in me tuo delectatus sum: tamẽ recordã=ti mihi annos iam propè quadraginta Bonuisæ domus, non hospitem, sed alumnum fuisse te, uerecundia mea*

profectò

profectò fecerat, ut sincera illa, quam alioqui ex amicitiæ nostræ ita cogitatione deglutiebam, paululum quiddam pudore quodam rustico tanquam neglectæ uicissitudinis subaceſceret. Verumenimuerò nunc hac ego me cogitatione consolor, quòd bene uicissim mihi merendi de te nunquam se præbebat occasio. Ea siquidem amplitudo fortunæ tuæ fuit, ut cõmodandi tibi nullus mihi relinqueretur locus. Conscius igitur mihi non officij neglectu uicem non rependisse me, sed quia deficiebat occasio: cum iam te conspiciam, etiam sublata rependendi spe, sic in me amando & demerendo persistere, imò adeò progredi potius, & cursu quodam indefesso procurrere, ut pauci sic amicos fortunatos ambiant, quomodo tu prostratũ, abiectũ, afflictũ, & carceri addictũ Morum tuũ diligis, amas, foues & obseruas, cum pristini pudoris mei qualiquali amicitia me abluo, tũ in huius admirabilis amicitiæ tuæ suauitate conquiesco. Et nescio quo pacto tã fidelis amicitiæ prosperitas uidetur mihi in hoc improspero clarissimæ naufragio propemodũ paria facere: certè (tollatur indignatio nõ amati minus, quàm metuẽdi Principis) qd' ad reliqua pertinet, plus quàm paria. quippe cum illa sint inter fortunæ mala numerãda omnia. At amicitiæ tã cõstantis progressionẽ, quã tã aduersus fortunæ casus nõ eripuit, sed ferruminauit fortius, amẽs profectò fuerim, inter fortunæ bona si numerẽ. Sublimius haud dubiè bonum est, atq; augustius, peculiari quadam benignitate proueniens, amicitiæ tam fidelis, & fortuna deflante constantis, rarò concessa fœlicitas. Ego certè

non

non aliter accipio atq; interpretor quàm eximia Dei miſeratione curatũ, ut inter tenues amiculos meos, tu uir talis, amicus tantus, tam longo tempore patereris, qui magnam iſtius moleſtiæ partẽ, quã mihi ruentis in me fortunæ moles inuexit, tua conſolatione lenires ac releuares. Ego igitur mi Antoni, mortaliũ omniũ chariſsime (quod ſolum poſſum) Deũ opt. max. qui te mihi prouidit, obnixè deprecor, ut quando tibi talẽ debitorem dedit, qui nunquã ſoluendo ſit futurus, beneficẽtiam iſtã, quã mihi quotidie tam effuſus impendis, ipſe tibi pro ſua benignitate dignetur rependere: tũ ut nos ab hoc ærumnoſo & procelloſo ſæculo, in ſuã requiẽ, pro ſua miſeratione perducat, ubi non erit opus epiſtolis, ubi nõ diſtinebit nos paries, ubi non arcebit à colloquio ianitor: ſed cũ Deo patre ingenito, & unigenito eius filio, Domino & redẽptore noſtro Ieſu Chriſto, atq; utriuſq; Spiritu, ab utroq; procedente paracleto, gaudio perfruemur æterno: cuius interea gaudij deſiderio faxit omnipotẽs Deus ut tibi, mi Antoni, mihiq;, atq; utinam mortalibus undecunq; omnibus, omnes huius orbis opes, uniuerſa mundi gloria, nec non iſtius quoq; uitæ dulcedo uileſcat. Amicorum omnium fideliſsime uale. Familiam tuam totam, herili in me affectu ſimilimam, Chriſtus ſeruet incolumem.

Thomas Morus. fruſtra fecero ſi adijciam Tuus: nam hoc neſcire iam non potes, quũ tot beneficijs emeris: nec ego nunc talis ſim, ut referat cuius ſim.

EPI

EPISTOLA DES-

ERASMI ROT. AD VLDRI-cum Huttenum, de Thomæ Mo-ri Angliæ Baro-nis uita.

QVOD Thomæ Mori ingenium sic deamas, ac penè dixerim deperis, nimirum scriptis illius inflammatus, quibus (ut uerè scribis) nihil esse potest neq; doctius neque festiuius: istuc mihi crede, clarissime Huttene tibi cum multis commune est, cum Moro mutuum etiam. Nam is uicissim adeò scriptorum tuorũ genio delectatur, ut ipse tibi propemodum inuideam. Hæc uidelicet est illa Platonis omnium maximè amabilis sapientia, quæ longè flagrantiores amores excitat inter mortales, quàm ullæ quamlibet admirabiles corporum formæ. Non cernitur illa quidem oculis corporeis, sed & animo sui sunt oculi: ut hic quoq; uerum comperiatur illud Græcorum, ἐν τῷ ὁρᾶν γίνεται ἀνθρώποις ἔρως. per hos fit aliquoties, ut ardentissima charitate conglutinentur, inter quos nec colloquium, nec mutuus conspectus interceßit. Et quemadmodum uulgò fit, ut incertis de causis alia forma alios rapiat: ita uidetur & ingeniorum esse tacita quædam cognatio, quæ facit ut certis ingenijs impensè delectemur, cæteris non item. Cæterum quòd à me flagitas, ut tibi totum Morum ue-

lut in tabula depingam, utinam tam absolutè præstare queam, quàm tu uehementer cupis. Nam mihi quoque non iniucundum fuerit, interim in amici multo omniũ suauissimi contemplatione uersari. Sed primùm, ὁ πανὺ τὸς ἀνθρώπος ἐστιν, omnes Mori dotes perspexisse: deinde haud scio an ille laturus sit, à quolibet artifice depingi sese. Nec enim arbitror leuioris esse operæ Morũ effingere, quàm Alexandrum Magnum, aut Achillẽ: nec illi quàm hic noster immortalitate digniores erant. Tale argumentum prorsus Apellis cuiuspiam manũ desiderat: at uereor, ne ipse Fuluij Rutubæq; similior sim, quàm Apellis. Experiar tamen tibi totius hominis simulachrum delineare uerius quàm exprimere, quantũ ex diutina domesticaq; consuetudine uel animaduertere licuit, uel meminisse. Quòd si quando fiet, ut uos aliqua legatio committat, tum demum intelliges, quàm nõ probum artificẽ ad hoc negocij delegeris: uereorq; planè, ne me aut inuidentiæ incuses, aut cæcutiẽtiæ, qui ex tam multis bonis tã pauca uel uiderim lippus, uel commemorare uoluerim inuidus. Atq; ut ab ea parte exordiar, qua tibi Morus est ignotissimus: statura modoq; corporis est infra proceritatem, supra tamen notabilẽ humilitatem. Verùm omnium membrorũ tanta est symmetria, ut nihil hic omnino desideres: cute corporis candida, facies magis ad candorẽ uergit, quàm ad pallorem: quanquam à rubore procul abest, nisi quòd tenuis admodum rubor ubiq; sublucet. capilli subnigro flauore, siue mauis, sufflauo nigrore: barba rarior, oculi subcæsij, maculis quibusdam interspersi: quæ species ingenium

ingeniũ arguere solet fœliciſſimũ, apud Britannos etiã amabilis habetur, cũ noſtri nigrore magis capiantur. Negant ullum oculorum genus minus infeſtari uitijs. Vultus ingenio reſpondet, gratam & amicam feſtiuitatem ſemper præ ſe ferens, ac nonnihil ad ridentis habitum compoſitus: atq;, ut ingenuè dicam, appoſitior ad iucunditatẽ, quàm ad grauitatem aut dignitatẽ, etiamſi lõgiſſimè abeſt ab ineptia ſcurrilitateq;. Dexter humerus paulo uidetur eminentior læuo, præſertim cũ incedit: id quod illi nõ accidit natura, ſed aſſuetudine, qualia permulta nobis ſolẽt adhærere. In reliquo corpore nihil eſt quod offendat, manus tãtũ ſubruſticæ ſunt: itaduntaxat, ſi ad reliquã corporis ſpeciem cõferantur. Ipſe omnium quæ ad corporis cultũ attinent, ſemper à puero negligentiſſimus fuit, adeò ut nec illa magnopere curare ſit ſolitus, quæ ſola uiris eſſe curanda docet Ouidius. Formæ uenuſtas quæ fuerit adoleſcenti, nunc etiã licet ἐπῆς λαλάμους cõijcere: quanquã ipſe noui hominem, nõ maiorẽ annis uiginti tribus. nã nunc non multũ exceſſit quadrageſimũ. Valetudo proſpera magis quàm robuſta, ſed tamẽ quæ quantislibet laboribus ſufficiat, honeſto ciue dignis, nullis aut certè paucißimis morbis obnoxia: ſpes eſt uiuacẽ fore, quãdo patrẽ habet admodũ natu grandẽ, ſed mirè uirenti uegetaq; ſenectute. Neminẽ adhuc uidi minus moroſum in delectu ciborum. Ad iuuenilem uſq; ætatem aquæ potu delectatus eſt, id illi patrium fuit. Verùm hac in re ne cui moleſtus eſſet, fallebat conuiuas è ſtanneo poculo ceruiſiam bibens, eamq; aquæ proximam, frequenter

Mòrus uſq; ad iuuẽtutẽ abſtemius.

aquam meram. Vinum, quoniam illic mos est ad idem poculum uicißim inuitare sese, summo ore nõnunquã libabat, ne prorsus abhorrere uideretur, simul ut ipse communibus rebus assueſceret. Carnibus bubulis, salsamentis, pane secundario, ac uehementer fermentato libentius ueſcebatur, quàm his cibis quos uulgus habet in delicijs: alioqui neutiquam abhorrẽs ab ominib. quæ uoluptatem innoxiam adferũt etiam corpori. Lactariorum, & eorum fœtuum qui nascuntur in arborib. semper fuit appetentior: esum ouorũ in delicijs habet. Vox neq; grandis est, nec admodum exilis, sed quæ facile penetret aures, nihil habens canorum, ac molle, sed planè loquentis est: nam ad Musicam uocalem à natura non uidetur esse compositus, etiamsi delectatur omni Musices genere. lingua mirè explanata articulataq;, nihil habens nec præceps, nec hæsitans. Cultu simplici delectatur, nec sericis, purpuráue, aut cathenis aureis utitur, nisi cum integrum non est ponere. Dictu mirum, quàm negligens sit ceremoniarum, quibus hominum uulgus æstimat morum ciuilitatem: has ut à nemine exigit, ita alijs non anxiè præstat, nec in congreßib. nec in conuiuijs: licet harum non sit ignarus, si lubeat uti, sed muliebre putat, uiroq; indignum, eiusmodi ineptijs bonam temporis partem absumere. Ab aula principumq; familiaritate olim fuit alienor, quòd illi semper peculiariter inuisa fuerit tyrannis, quemadmodum æqualitas gratißima. Vix aũt reperias ullã aulã tam modestã, quæ non multum habeat strepitus atq; ambitionis, multum fuci, multum luxus, quæq; prorsus absit ab omni

ſpecie tyrãnidis. Quin nec in Henrici octaui aulã pertrahi potuit, niſi multo negocio, cum hoc Principe nec optari quicquam poſsit ciuilius ac modeſtius. Natura libertatis atq; ocij eſt auidior, ſed quemadmodum ocio cum datur lubens utitur: ita quoties poſcit res, nemo uigilantior aut patientior. Ad amicitiã natus factusq; uidetur: cuius & ſyncerißimus eſt cultor, & longè tenaciſsimus eſt. Nec ille metuit πολυφιλίαν, ab Heſiodo parum laudatam. Nulli non patet ad neceſsitudinis fœdus. Nequaquã moroſus in deligendo, cõmodißimus in alendo, cõſtantißimus in retinẽdo. Si fors incidit in quẽpiã, cuius uitijs mederi nõ poſsit, hũc per occaſionẽ dimittit, diſſuens amicitiã, nõ abrũpens. Quos ſynceros reperit, & ad ingeniũ ſuũ appoſitos, horũ cõ ſuetudine fabulisq; ſic delectatur, ut in his rebus præciuã uitæ uoluptatẽ ponere uideatur. Nam à pila, alea, chartis, cæterisq; luſibus, quibus uulgus procerũ temporis tædium ſolet fallere, prorſus abhorret. Porrò ut propriarum rerum eſt negligentior, ita nemo diligentior in curandis amicorum negocijs. Quid multis? Si quis abſolutum ueræ amicitiæ requirat exemplar, à nemine rectius petierit, quàm à Moro. In conuictu tam rara comitas, ac morum ſuauitas, ut nemo tam triſti ſit ingenio, quem non exhilaret: nulla res tam atrox, cuius tædium non diſcutiat. Iam inde à puero ſic iocis eſt delectatus, ut ad hos natus uideri poſsit: ſed in his nec ad ſcurrilitatem uſque progreſſus eſt, nec mordacitatem unquam amauit. Adoleſcens Comœdiolas & ſcripſit & egit. Si quod dictum eſſet ſalſius etiam in ipſum

tortum, tamen amabat: usqueadeò gaudet salibus argutis, & ingenium redolentibus: unde & epigrammatis lusit iuuenis, & Luciano cumprimis est delectatus. Quin & mihi ut Moriæ encomium scriberem, hoc est, ut camelus saltarem, fuit autor. Nihil autem in rebus humanis obuium est, unde ille non uenetur uoluptatem, etiam in rebus maximè seriis. Si cum eruditis & cordatis res est, delectatur ingenio: si cum indoctis ac stultis, fruitur illorum stultitia. Nec offenditur morionibus, mira dexteritate ad omnium affectus sese accommodans. Cum mulieribus ferè, atque etiam cum uxore, non nisi lusus, iocosq; tractat: diceres alterum quendam esse Democritum, aut potius Pythagoricum illum philosophum, qui uacuus animo per mercatum obambulans, contemplatur tumultus uendentium atque ementium. Nemo minus ducitur uulgi iudicio, sed rursus nemo minus abest à sensu communi. Præcipua illi uoluptas est spectare formas, ingenia & affectus diuersorum animantium. Proinde nullum ferè genus est auium, quod domi non alat, si quod aliud animal uulgò rarum, ueluti simia, uulpes, uiuerra, mustela, & his consimilia. Adhæc si quid exoticum, aut alioqui spectandum occurrat, auidissimè mercari solet, atque his rebus undiq; domũ habet instructã, ut nusquã non sit obuium, quod oculos ingredientium demoretur: ac toties sibi renouat uoluptatẽ, quoties alios conspicit oblectari. Cum ætas ferret, non abhorruit à puellarum amoribus, sed citra infamiam, & sic ut oblatis magis frueretur, quàm captatis: & animo mutuo capere

retur

retur potius, quàm coitu. Bonas literas à primis statim annis hauserat. Iuuenis ad Græcas literas ac Philosophiæ studium seſe applicuit, adeò non opitulante patre, uiro alioqui prudenti probóq;, ut ea conantem omni subsidio destitueret, ac penè pro abdicato haberet, quòd à patrijs studijs desciscere uideretur: nam is Britannicarum legum peritiam profitetur. Quæ professio, ut est à ueris literis alieniſsima: ita apud Britannos cum primis habentur magni, clariq;, qui in hoc genere sibi pararunt authoritatem: nec temerè apud illos alia uia ad rem ac gloriam parandam magis idonea. siquidem plerisq; nobilitatem illius insulæ peperit hoc studiorum genus. In eo negant quenquam absolui posse, nisi plurimos annos insudarit. Ab hoc igitur cum non iniuriâ abhorreret adolescentis ingenium, meliorib. rebus natum, tamen post deguſtatas scholasticas disciplinas, sic in hoc uersatus est, ut neque consulerent quenquam libentius litigatores, neque quæstum uberiorem faceret quisquam eorum, qui nihil aliud agebant. Tanta erat uis ac celeritas ingenij. Quin & euoluendis Orthodoxorum uoluminibus non segnem operam impendit. Auguſtini libros de Ciuitate Dei publicè professus est, adhuc penè adolescens, auditorio frequenti: nec puduit, nec pœnituit sacerdotes ac senes à iuuene prophano sacra discere. Interim & ad pietatis studium totum animum appulit, uigilijs, ieiunijs, precationibus, alijsq; consimilibus progymnaſmatis sacerdotium meditãs. Qua quidem in re non paulo plus ille sapiebat, quàm plerique isti, qui

temerè ad tam arduam profeßionem ingerunt ſeſe, nullo prius ſui periculo facto. Neque quicquam obſtabat quo minus ſeſe huic uitæ generi addiceret, niſi quòd uxoris deſiderium non poſſet excutere. Maluit igitur maritus eſſe caſtus, quàm ſacerdos impurus. Tamen uirginem duxit admodũ puellam, claro genere natam, rudem adhuc, utpote ruri inter parentes ac ſorores ſemper habitam: quo magis illi liceret illam ad ſuos mores fingere. Hanc & literis inſtruendam curauit, & omni Muſices genere doctam reddidit: planeq; talem penè finxerat, qui cum libuiſſet uniuerſam ætatem exigere, ni mors præmatura puellam ſuſtuliſſet è medio, ſed enixam liberos aliquot, quorum adhuc ſuperſunt puellæ tres, Margareta, Aloyſia, Cæcilia, puer unus Ioannes. Neque diu cælebs uiuere ſuſtinuit, licet aliò uocantib. amicorum conſilijs. Paucis menſib. à funere uxoris, uiduam duxit, magis curandæ familiæ, quàm uoluptati, quippe nec bellam admodum, nec puellam, ut ipſe iocari ſolet, ſed acrem ac uigilantem matremfamiliâs: qui cum tamen perinde comiter ſuauiterq; uiuit, ac ſi puella fŏret forma quantumlibet amabili. Vix ullus maritus à ſua tantum obſequij impetrat imperio atq; ſeueritudine, quantum hic blanditijs iocisq;. Quid enim non impetret, poſteaquam effecit, ut mulier iam ad ſenium uergens, ad hoc animi minimè mollis, poſtremò ad rem attentißima, cithara, teſtudine, monochordo, tibijs canere diſceret, & in hiſce rebus quotidie præſcriptũ operæ penſum exigẽti marito redderet? Cõſimili comitate totã familiam moderatur,

Mori matrimonium.

in

in qua nulla tragœdia, nulla rixa. Si quid extiterit, protinus aut medetur, aut componit. Neq; quenquam unquam dimisit, ut inimicum, aut ut inimicus. Quin huius domus fatalis quædam uidetur fœlicitas, in qua nemo uixit, qui non prouectus sit ad meliorem fortunam, nullus unquam ullam famæ labẽ contraxit. Quin uix ullos reperias, quibus sic conuenerit cum matre, ut huic cum nouerca: nam pater iam alteram induxerat, utramq; nõ minus adamauit, ac matrẽ. Nuper induxit tertiam: hac Morus sanctè deierat, se nihil unquam uidisse melius. Porrò erga parentes ac liberos, sororesq; sic affectus est, ut nec amet molestè, nec unquam desit officio pietatis. Animus est à sordido lucro alieniſsimus. Liberis suis semouit è facultatibus, quod satis esse putat: quod supereſt, largiter effundit. Cùm aduocationibus adhuc aleretur, nulli non dedit amicum uerumq; consilium, magis illorum commodis prospiciens quàm suis. plerisq; solitus persuadere, uti litem componerent, minus enim hic fore dispendij. Id si minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua possent quàm minimo dispendio litigare: quando quibusdam hic animus est, ut litibus etiam delectentur. In urbe Londonensi, in qua natus est, annos aliquot iudicem egit in causis ciuilibus. id munus ut minimũ habet oneris (nam non sedetur nisi die Iouis usq; ad prandium) ita cumprimis honorificum habetur. Nemo plures causas absoluit, nemo se gesſit integrius, remissa plerisq; pecunia, quam ex præscripto debent qui litigãt. Siquidẽ ante litis cõtestationẽ actor deponit treis

Morus iudex causarũ Lõdini.

drachmas,totidẽ reus, nec amplius quicquã fas est exi-
gere. His moribus effecit, ut ciuitati suæ longè chariſi
mus esset. Decreuerat aũt hac fortuna esse contentus,
quæ & satis haberet autoritatis, nec tamẽ esset grauí-
bus obnoxia periculis. Semel atq; iterũ extrusus est in
legationẽ,in qua cũ se cordatiſsimè geſsisset, nõ cõquie
uit serenissimus Rex Henricus, eius nominis octauus,
donec hominẽ in aulã suã pertraheret. Cur enim nõ di
cã pertraheret? Nullus unquam uehemẽtius ambijt in
aulã admitti, quàm hic studuit effugere. Verùm cũ es-
set optimo Regi in animo, familiã suã eruditis, grauí-
bus, cordatis, & integris uiris differtã reddere, cùm
alios permultos,tũ Morũ in primis acciuit, quẽ sic in
intimis habet, ut à se nunquam patiatur discedere: si-
ue seriis utendum est, nihil illo cõsultius: siue uisum est
Regi fabulis amœnioribus laxare animum, nullus co-
mes festiuior. Sæpe res arduæ iudicem grauem & cor
datum postulant:has sic Morus discutit,ut utraq; pars
habeat gratiam. Nec tamen ab eo quisquam impetra-
uit,ut munus à quoquam acciperet. Fœlices respubli-
cas,si Mori similes magistratus ubiq; præficeret Prin-
ceps. Nec interim ullum acceſsit supercilium. Inter tan
tas negociorum moles,& ueterum amiculorum memi
nit,& ad literas adamatas subinde redit. Quicquid di
gnitate ualet, quicquid apud ampliſsimum Regem gra
tia pollet, id omne iuuandæ Reip. iuuandis amicis im-
pendit. Semper quidem adfuit animus de cunctis bene
merendi cupidiſsimus,mireq; pronus ad misericordiã:
eum nunc magis exerit, quando potest plus prodesse.

Alios

Alios pecunia ſubleuat, alios autoritate tuetur, alios cõmendatione prouehit: quos alioqui iuuare non poteſt, his cõſilio ſuccurrit. Nullũ unquã à ſe triſtẽ dimiſit. Diceres, Morũ eſſe publicũ omniũ inopũ patronũ. Ingens lucrũ ſibi putat acceſsiſſe, ſi quẽ oppreſſum ſubleuauit, ſi perplexũ & impeditũ explicuit, ſi alienatũ redegit in gratiã. Nemo lubẽtius collocat beneficiũ, nemo minus exprobrat. Iam cùm tot nominibus ſit fœliciſsimus, & fœlicitatis comes ferè ſoleat eſſe iactantia, nullũ adhuc mortalium mihi uidere contigit, qui longius abeſſet ab hoc uitio. Sed ad ſtudiorũ cõmemorationem redeo, quæ me Moro, mihiq; Morũ potiſsimũ conciliarunt. Primã ætatem carmine potiſsimum exercuit, mox diu luctatus eſt, ut proſam orationem redderet molliorẽ, per omne ſcripti genus ſtilũ exercens: qui cuiuſmodi ſit, qd attinet cõmemorare? tibi præſertim, qui libros eius ſemper habeas in manibus. Declamationibus præcipuè delectatus eſt, & in his materijs adoxis, q; in his acrior ſit ingeniorũ exercitatio. Vnde adoleſcẽs etiamnũ dialogũ moliebatur, in quo Platonis cõmunitatẽ ad uxores uſq; defendit. Luciani Tyrãnicidæ reſpondit, quo in argumẽto me uoluit antagoniſtam habere: quo certius periculum faceret, ecquid proſeciſſet in hoc genere. Vtopiam hoc conſilio edidit, ut indicaret quibus rebus fiat, ut minus cõmodè habeãt Reſpublicæ, ſed Britannicã potiſsimũ effinxit quam habet penitus perſpectam cognitamq;. Secũdum librũ prius ſcripſerat per ociũ, mox per occaſionem primũ adiecit extẽporè, Atq; hinc nõnulla dictionis inæqualitas. Vix

alium

alium reperias, qui fœlicius dicat extemporè: adeò fœlici ingenio fœlix linguæ ſubſeruit. ingenium præſens, & ubiq; præuolans, memoria parata: quæ cum omnia habeat uelut in numerato, promptè & incontanter ſuggerit quicquid tempus aut res poſtulat. In diſputationibus nihil fingi poteſt acutius, adeò ut ſummis etiã Theologis ſæpe negocium faceſſat, in ipſorum harena uerſans. Ioannes Coletus, uir acris, exactiq; iudicij, in familiaribus colloquijs ſubinde dicere ſolet, Britanniæ nõ niſi unicum eſſe ingenium: cum hæc inſula tot egregijs ingenijs floreat. Veræ pietatis non indiligens cultor eſt, etiamſi ab omni ſuperſtitione alieniſſimus. Habet ſuas horas quibus Deo litet precibus, non ex more, ſed è pectore depromptis. Cum amicis ſic fabulatur de uita futuri ſeculi, ut agnoſcas illum ex animo loqui, neq; ſine optima ſpe. Ac talis Morus eſt etiam in aula. Et poſtea ſunt, qui putẽt Chriſtianos non inueniri, niſi in monaſterijs. Tales uiros cordatiſſimus Rex in familiam ſuam, atq; adeò in cubiculum non ſolum admittit, uerumetiam inuitat: nec inuitat modò, uerumetiã pertrahit. Hos habet arbitros, ac teſtes perpetuos uitæ ſuæ: hos habet in conſilijs, hos habet itinerum comites. Ab his ſtipari gaudet, potius quàm luxu perditis iuuenibus, aut mulierculis, aut etiam torquatis Midis, aut inſynceris officijs: quorum alius ad uoluptates ineptas auocet, alius ad tyrannidem inflammet, alius ad expilandum populum nouas technas ſuggerat. In hac aula ſi uixiſſes Huttene, ſat ſcio rurſum aliam aulam deſcriberes, & miſaulos eſſe deſineres: quanquam tu quoq; cum

Ioan. Coletus.

Henricus Angliæ rex.

cum eo Principe uiuis, ut integriorem nec optare possis. Neq; desunt qui rebus optimis faueant, ueluti Stromerus ac Coppus. Sed quid ista paucitas ad tantum examen insignium uirorum, Montioij, Linacri, Pacæi, Coleti, Stocschleij, Latimeri, Mori, Tunstalli, Clerici, atq; aliorum his adsimilium? quorum quemcunq; nominaris, mundum omnium uirtutum ac disciplinarũ semel dixeris. Mihi uerò spes est haudquaquam uulgaris, fore, ut Albertus, unicum his temporibus nostræ Germaniæ ornamentum, & plures sui similes in suam allegat familiam, & cæteris principibus graui sit exemplo, ut idẽ & ipsi suæ quisq; domi facere studeãt. Habes imaginem ad optimum exemplar à pessimo artifice non optimè delineatam. Ea tibi minus placebit, si continget Morum nosse propius. Sed illud tamen interim caui, ne mihi possis impingere, quòd tibi minus paruerim, néue semper opprobres nimium breues epistolas. Etiam si hæc nec mihi scribenti uisa est longior, nec tibi legenti, sat scio, prolixa uidebitur: id faciet Mori nostri suauitas. Verùm ne nihil ad postremam tuam epistolam respondeam, quam prius excusam legi quàm scriptam, clarissimi Principis Alberti humanitatem ex ipsius etiam ad me literis intellexi. Sed quî quæso factum, ut patera prius ad omnes peruenerit tuis literis, quàm ad me? Certè per neminem certius mittere poteras, quàm per Richardum Pacæum, sereniss. Angliæ Regis oratorem, siue me haberet Brabantia, siue Britannia. Tu, quantum uideo, & calamo & ense graui-
ter belligeraris: nec minus tamen fœliciter, quàm fortiter.

titer. Nam apud Cardinalem Caietanum audio te magnam etiam inijſſe gratiam. Capnioni bene eſſe gaudeo. Franciſci Sichnij nomen non ſinent emori literæ, niſi uelint ingratitudinis poſtulari. De rebus noſtris aliàs: nunc illud tantum. Res hic ſordidiſſimis ſycophantijs agitur, quibus artibus ut imparem me fatear, neceſſe eſt. ſi quis eſt isthic qui cupiat artem ſycophanticam diſcere, indicabo illi quendam huius diſciplinæ mirum artificem, quem huic rei planè natum dicas. Minus bonus orator Cicero, quàm hic ſycophanta: & reperit dociles multos apud nos. Nondum tempus eſt, uerùm breui uobis hominem commendabo, ut quo diguus eſt, quodq; miſerè ambit, omnium eruditorum literis celebretur, portentum uerius quàm homo.

Bene Vale. Antuerpiæ X. Cal. Aug.

Anno M. D. XIX.

EPI-

EPISTOLA DE MORTE D. THOMAE MORI & Episcopi Roffensis, insignium uirorum in Anglia.

G. COVRINVS NVCERINVS Phil. Mont. S. D.

VONIAM *iuxta Pythagoræ sententiam oportet omnia esse cõmunia, rectè collegit Euripides, & dolores inter amicos oportere communes esse. Accipies igitur uir amiciſsime ab amico minimè læta, sed omni lacrymarum genere bonis omnibus deploranda: quanquam arbitror famam istuc iam dudũ omnia pertuliſse prius quàm ad nos, de morte quorundam apud Anglos insignium uirorũ, sed præcipuè* THOMÆ MORI, *dum uiueret eius regni Baronis inclyti, ac supremi iudicis, quem illi Cancellarium appellant: qua dignitate non est apud eam gentem alia maior excepto Rege, eoq; quum prodit, aureum sceptrum imposita corona Cæsarea gestatur ad unũ latus, ad alterum liber. Quæ uerò sum narraturus partim è schedis Gallicè scriptis, quæ hic circunferuntur desumpsi, partim è rumoribus. Nam nihil horum uidi. Sed priusquam aggrediar, paucis*

paucis describam Londonienſis urbis ſitum. Ciuitas in latum anguſta, ad Thamyſim flumen ſic in longum porrecta eſt, ut uideatur non poſſe deſinere, unde & nomen uidetur inditum: ſiquidem apud Flandros loca mari uicina Dunen appellant. Indidem dictum uidetur Galliarum Lugdunum, quaſi dicas, lõgas ripas. Ad orientem in extremo habet arcem bene munitam, qua reges interdum utuntur, uulgus Turrim appellat. Sed in eadem ſeruari ſolent uiri nobiles, aut aliâs dignitate quapiam præminentes, qui uidentur aliquid aduerſus Regiam maieſtatem deliquiſſe. In altero extremo ad occaſum inſigne monaſterium eſt Benedictinorum, uulgus appellat Vueſtmonaſterium: & huic proximum Regis palatium ſtructuræ ueteris, ſed quo nunc reges parum delectantur. Palatio adiuncta eſt domus ſpacioſiſsima, nullis fulta columnis, in qua ſedent Iudices. Vtrunq; ædificium flumini imminet, ut hinc illinc cymba uehi poſsint. In hac arce THOMAS MORVS poſteaquam multis menſibus fuiſſet captiuus, Calend. Iulijs anno Domini M. D. XXXV. productus eſt ad modò dictam Curiam, capitis cauſam dicturus apud tribunal Iudicum à Rege delegatorum. Ibat reus baculo innixus tam longam uiam, corpore graui ægrotatione in carcere debilitato, nihil tamen perturbationis uultu præ ſe ferens. Primum recitati ſunt articuli criminum quæ illi obijciebantur. Mox Cancellarius qui Moro ſucceſsit, ac dux Nortfordij hunc in modũ reum appellarunt. En uides Magiſter More (ſic appellãt mediocri dignitate præditos)

ditos, te grauiter deliquisse in Regiam Maiestatem. at tamen speramus te, si modò resipiscas, & abiures istã obstinatam opinionem in qua hactenus tam procaciter perstitisti, ueniam à Regis clementia consequuturum. Ad hæc Morus. Domini mei, ego summo cordis affectu ago uobis gratias pro ista uestra amica erga me uoluntate: tantum illud oro Deum omnipotentem, confirmare dignetur me in hac qua nunc sum sententia, ut in ea perseuerem usq; ad mortem. Cæterum quũ reputo quàm prolixi quamq; graues articuli sunt quibus oneror, uereor ne mihi nec ingenium suppetat, nec memoria, nec oratio quæ sufficiat ad respondendum omnibus, præsertim quum in carcere tam diu fuerim detentus, in quo graui ægrotatione contraxi corporis debilitatem, quæ me nunc etiam habet. Tum iussu Iudicum allata est sella in qua sederet. Vbi consedisset, prosequutus est institutum sermonem hũc in modũ. Quod ad primum attinet articulum, qui conatur ostendere meam in Regem maleuolentiam, in negocio posterioris matrimonij, confiteor ingenuè, me semper restitisse illius serenissimæ Maiestati. Nec est animus super hoc negocio quicquam aliud dicere, quàm quod hactenus semper dixi, ad hoc urgente me conscientia: per quam ut non debebam, ita nec uolebam principem meum cælare ueritatem. Nec hic est ulla proditio quæ intenditur, quin potius ni id fecissem, præsertim in re tanti momenti, unde pendebat mea sententia, & principis honos, & regni tranquillitas, tum uerè fuissem quod nunc obijcitur, maleuolus, perfidus ac prodi-

tor. Ob hoc delictum (si modò delictum appellandum est) grauissimas dedi pœnas, exutus omnibus facultatibus meis, ac perpetuo addictus carceri, in quo menses iam quindecim totos fui detentus. Sed his omissis tantum ad ea respondebo quæ sunt huius negocij præcipua.

Quod obijcitur, me incurrisse in pœnam uiolatæ constitutionis, quæ proximo consilio prodita est, me iam in carcere agente, quasi malitioso animo, perfidiosè, ac proditoriè Regiæ Maiestati detraxerim famam, honorem ac dignitatem, quæ illi per dictam constitutionem erat tributa, uidelicet quòd ibi declaratur sub Iesu Christo supremum caput ecclesiæ Anglicanæ: in primis respondebo ad hoc quod mihi obijcitur, quòd Domino Secretario Regis ac uenerabili Maiestatis illius consilio, rogatus quæ mea esset de hoc edicto sententia, nihil aliud uoluerim respondere, quàm me iam mundo mortuum esse, nec istiusmodi negocijs amplius sollicitari, sed tantum meditari in passione Domini nostri Iesu Christi. Dico me per istam uestram constitutionem ob hoc silentium non posse damnari capitis, eo quòd nec uestrum edictum, nec ullæ leges mundi possunt quenquam ob silentium addicere morti, sed tantum ob dictum aut perpetratum facinus. De occultis enim solus iudicat Deus. Ad hæc respondit Procurator Regius interpellans: At tale silentium, inquit, euidens argumentum est animi malè sentientis de iam dicta constitutione. Nam omnis subditus syncerus ac fidelis Regiæ Maiestati, si de dicta constitutione interroge-

The Kings Attorney

terrogetur, tenetur & obligatur citra omnem dissimulationem respondere categoricè: Regium edictum esse bonum, iustum ac sanctum. Ad quæ Morus: Si uerum est quod habetur in legibus, eum qui tacet uideri consentire, meum silentium confirmauit potius uestram constitutionem quàm improbauit. Iam quòd dicis, omnem subditum fidelem obligari ut respondeat categoricè si interrogetur, &c. Respondeo, bonæ fidei subditum magis obligatum esse Deo, conscientiæ & animæ suæ, quàm ulli alij rei in hoc mundo, maximè si talis conscientia, qualis est mea, nihil offendiculi, nihil seditionis pariat domino suo. Nam illud pro certo uobis affirmo, quòd nulli mortalium unquam detexerim hac in re conscientiam meam.

Venio nunc ad secundum accusationis caput, quo arguor contra dictam constitutionem molitus ac machinatus fuisse, eo quòd ad Roffensem scripserim octo paria epistolarum, quibus illum animarim aduersus istud edictum. Equidem uehementer optarim eas epistolas hic proferri ac recitari, quæ me uel conuincerent uel liberarent. Cæterùm quando illæ, quemadmodum prædicatis, per Episcopum exustæ sunt, ipse non grauabor recitare sententiam earum. In earum quibusdam agebatur de nostris priuatis negocijs, pro ueteri nostra amicitia ac familiaritate. In una quadam continebatur responsum ad Episcopi literas, quibus scire cupiebat, quid & quo pacto respondissem de ista constitutione. Ad id nihil aliud rescripsi, nisi me iam meam composuisse

conſcientiam, ipſe componeret ſuam. Animæ meæ periculo, ac teſte Deo *uobis aſſeuero, nihil aliud in illis literis à me ſcriptum fuiſſe.* Harum *igitur cauſſa non poſſum per uestram conſtitutionem addici morti.*

Supereſt tertius articulus, qui intendit, quòd quum de ueſtra conſtitutioue examinarer, dixerim eam eſſe ſimilem gladio utrinq; ſecanti, propterea quòd ſi quis uellet eam ſeruare, perderet animã: ſi cõtradicere, perderet corpus. Idem *quoniam, ut dicitis, reſpondit Epiſcopus* Roffenſis, *perſpicuum eſſe inter nos fuiſſe conſpirationem. Ad hæc reſpondeo, me nunquam fuiſſe loquutum, niſi conditionaliter: ſic uidelicet, ſi tale eſſet edictum, qualis eſt gladius utrinq; incidens, quo pacto poſſet quis euitare, quin in alterum incideret periculum. Hæc mea fuit oratio. Quomodo reſponderit Epiſcopus, neſcio: ſi illius oratio cum mea congruebat, id nequaquam accidit ex conſpiratione, ſed potius ex ingeniorum ac doctrinæ ſimilitudine. Breuiter illud pro certo habetote, me nunquam quicquam malicioſè fuiſſe loquutum aduerſus ueſtram conſtitutionem: at fieri potuit, ut ad benignam* Regis *clementiam aliquid malitioſè fuerit delatum.*

Poſt hæc uocati ſunt per quendam ex oſtiarijs, duodecim uiri, iuxta gentis illius conſuetudinem, quibus traditi ſunt articuli, ut ſuper illis conſultarent, ac poſt conſultationem iudicarent, ac pronunciarent, utrum THOMAS MORVS *malitioſè obſtitiſſet prædictæ conſtitutioni* Regis, *an non. Qui quum*

per

per horæ quartam partem ſeceſſiſſent, reuerſi ſunt ad principes ac iudices delegatos, ac pronunciarunt Killim, hoc eſt, dignus eſt morte. Ac mox per D. Cancellarium lata eſt ſententia iuxta tenorem nouæ conſtitutionis. His ita peractis Thomas Morus hunc in modum orſus eſt loqui: Age, quando ſum condemnatus, quo iure Deus nouit, ad exonerandam conſcientiam uolo liberius eloqui quod ſentio de uestra constitutione. Primum illud dico, me ſeptem annis intendiſſe animum ſtudiumq; meum in iſtam cauſam, uerùm hactenus in nullo doctorum ab Eccleſia probatorum reperi ſcriptum, quòd Laicus, aut ut uocant, ſecularis, poſſit aut debeat eſſe caput ſtatus ſpiritualis aut eccleſiaſtici. Hic Cancellarius interrumpens Mori ſermonem, Domine More, inquit, ita'ne tu uis haberi ſapientior, melioriſq; conſcientiæ omnibus Epiſcopis, tota nobilitate, toto denique regno? Ad quæ Morus, Domine, inquit, Cancellarie, pro uno Epiſcopo quem habes tuæ opinionis, ego ſanctos & orthodoxos uiros habeo plures centum, mecum ſentientes, & pro unico ueſtro concilio, quod quale ſit Deus nouit, pro me habeo omnia Concilia generalia annis abhinc mille celebrata: & pro uno regno, habeo Franciam cæteraq; orbis Chriſtiani regna omnia. Hic dux Nortfordij interpellans: Nunc More, inquit, perſpicuè liquet tua maleuolentia. Ad quæ Morus, Milordt (ſic Angli compellant inſigni dignitate præſtantes) ut hoc loquar non incitat maleuolentia, ſed cogit neceſſitas ad exonerandam conſcientiam meam, teſte Deo, qui

guilty

my Lord

ſolus ſcrutatur corda hominum. Præterea dico & illud, conſtitutionem ueſtram eſſe perperam factam, eo quòd uos profeſſi eſtis, & iureiurando uoſmetipſos obſtrinxiſtis, nihil unquam molituros aduerſus ſanctam Eccleſiam, quæ per uniuerſam ditionem Chriſtianam unica eſt, integra & indiuidua, neq; uos ſoli ullam habetis autoritatem citra aliorũ Chriſtianorum conſenſum condendi legem, aut inſtituendi concilium aduerſus unionem & concordiam Chriſtianitatis. Nec me fugit, quam ob rem à uobis condemnatus ſim, uidelicet ob id, quod nunquam uoluerim aſſentire in negocio noui matrimonij Regis. Confido autem de diuina bonitate ac miſericordia, fore ut quemadmodum olim Paulus Stephanum perſecutus eſt uſq; ad mortem, & tamen ijdem nunc unanimes ſunt in cœlo, ita nos qui nunc diſcordes ſumus in hoc mundo, in futuro ſeculo pariter ſimus concordes, & perfecta charitate unanimes. Hac ſpe fretus precor Deum ut uos ſeruet unà cum Rege, eiq; dare dignetur bonos conſultores. His ita peractis, THOMAS MORVS *reductus eſt in Turrim. Hic obiter accidit ſpectaculum ipſa condemnatione miſerabilius. Margareta filiarũ Mori natu maxima, mulier præter eximiam formæ uenuſtatem cum ſumma dignitate coniunctam, iudicio, ingenio, moribus & eruditione patris ſimillima, per mediam populi turbam, perq; ſatellitum arma ſemet iniecit, & ad parentem penetrauit. Quum & mulier eſſet, & natura cum primis uerecunda, tamen & metũ & pudorem omnem excuſſerat impotens animi dolor, cùm audiſſet*

audisset patrem in Curia morti addictum esse. Hoc accidit priusquam Morus arcis portam ingrederetur. Ibi in charissimi parentis collum irruens, arctissimo complexu aliquandiu tenuit eum. Cæterùm ne uerbũ quidem interim potuit proloqui. Curæ, inquit Tragicus, leues loquuntur, ingentes stupent. Mouit stipatores tametsi duros hoc spectaculum. Horũ itaq; permissu Morus his uerbis consolatus est filiam: Margareta, patienter feras, nec te discrucies amplius. Sic est uolũtas Dei. Iam pridem nosti secreta cordis mei: simulq; dedit osculum ex consuetudine gentis, si quem dimittunt. At illa cùm digressa esset ad decem uel duodecim passus, denuò recurrit, & amplexa parentem rursus inhæsit collo illius, sed elinguis præ doloris magnitudine. Cui pater nihil loquutus est, tantum erumpebant lachrymæ, uultu tamen à constantia nihil dimoto. Nec aliud supremis uerbis mandauit, quàm ut Deum pro anima patris deprecaretur. Ad hoc pietatis certamen plurimis è popular turba lachrymæ excidêre. Erant & inter satellites, ferum & immite genus hominũ, qui lachrymas tenere non potuerut. Nec mirum, quum pietatis affectus adeò ualida res sit, ut immitissimas etiam feras moueat. Hic apud se quisq; reputet quàm ualido ariete tum pulsatum sit Thomæ Mori pectus. Erat enim erga suos omnes adeò φιλόστοργος, ut non alius magis: sed eam filiã ut erat eximijs prædita dotibus, ita diligebat impensius. Morum fortiter excepisse sentẽtiam mortis, aut etiã carnificis securim, minus admirandum existimo, quàm pietatem erga suos potuisse uincere. Nihil enim addu-

bito, quin hic doloris gladius crudelius uulnerarit Mori præcordia, quàm illa carnificis securis quæ collum amputauit.

Die Mercurij sequente, hoc est, septimo die Iulij productus est in planiciem, quæ est ante arcem. Mos est illic ut afficiendi supplicio, de ponte plebem alloquantur. At Morus pauciſsimis uerbis est usus, tantũ orans qui aderant, ut pro ipso Deũ orarent in hoc mundo, se uiciſsim in altero mũdo precaturũ pro ipsis. Mox hortabatur atq; instanter rogabat, orarẽt Deũ pro Rege, ut illi dignaretur impertire bonum consiliũ, cõtestans se mori fidelẽ ac bonum Regis ministrũ, ac Dei in primis. Hæc loquutus promptè cõstantiq; uultu flexis genibus ceruicẽ posuit securim excepturus, nõ sine graui multorũ gemitu. Erat enim bonis omnib. chariſsimus.

Quæ hactenus narraui, ferè continebantur in schedа apud Pariſios iactata, ac per manus hominum uolitante. quisquis autem scripsit, uidetur actis interfuisse. Quæ deinceps referam, partim ex amicorum literis, partim è rumoribus accepi. Paucis antè diebus, hoc est, XV. Cal. Iulias IOANNES PHISCHERVS Episcopus Roffensis, qui tũ uitæ sanctimonia atq; austeritate, tũ administrandis sacramentis, tũ aſsiduitate docendi uoce simul & scriptis, deniq; mira liberalitate in egenos, benignitate in studioſos, uerum agebat Episcopũ, ex arce dicta in qua captiuus tenebatur productus est, & ad Curiã, quæ ut antè dixi, Vueſtmonaſterio proxima est, frequẽti satellitũ armatorũ stipatu perductus est, partim nauigio, partim equo, ob corpuſculi debilitatem,

litatem, quam præter ætatem auxerat carceris incommoditas, licet ipse ualetudinem suã semper & ieiunijs & uigilijs & studijs & laborib. ac lachrymis uehemẽter attenuasset. Ille uerò tametsi non ignoraret eius cognitiõis exitiũ, nihil tamẽ perturbatus est, sed placido, ac propè etiã ad hilaritatẽ cõposito uultu ad tribunal euocãtibus paruit. Ibi iuxta morẽ eius regionis quẽ antea descripsi, sententia capitali damnatus est, supplicium daturus, simulatq; Regi uisum esset. Hoc adiectũ suspicor, si fortè spe ueniæ ac supplicij metu posset à sententia deduci. Mortis genus erat & fœdum & horribile, quo tamẽ fuerant affecti Cartusiani aliquot, quos aiũt fuisse quindecim: q, ut credã uix possum adduci. Cartusianis adiunctus est Reginaldus monachus Brigittẽsis, uir angelico uultu & angelico spiritu, saniq; iudicij: quod ex illius colloquio comperi, quũ in comitatu Cardinalis Campegij uersarer in Anglia. Nam Cartusianorum noui neminẽ. Aiunt ex his quosdã fuisse per uiam tractos, dein suspensos laqueo, ac spirantibus etiamnũ execta intestina: quosdam etiam exustos igni, sed omnium incredibilem fuisse constantiam. Solet rumor rebus tristibus aliquid addere. At si hic uerus est, uidetur hoc esse consilium eorum qui regio obsecundãt animo, ut immanitate suppliciorum cæteros absterreant. Nam facile diuinabant, institutum plurimis improbatum iri, præsertim Ecclesiasticis, & religionis studio deditis. Sed ad Roffensem Episcopum redeo. Is accepta tam horrendæ mortis sententia, quum satellitibus stipatus reduceretur in arcẽ, ut ad ostiũ uentum est, uersus ad

ſatellites hilari placidoq; uultu, Plurimam, inquit, optimi uiri, uobis habeo gratiam pro officio, quo me euntẽ & redeuntem deduxiſtis. Dixiſſes hominem ex hilari ſuauiq; redire conuiuio, adeò & color erat iucundior, & ipſe toto corporis geſtu, quatenus per grauitatem licuit, lætitiam quandam præ ſe ferebat, ut nemini non eſſet perſpicuum, ſanctiſſimum uirum, ceu iam portui uicinum, toto pectore ad illam beatam tranquillitatem aſpirare. Nec diu dilata eſt mors. Ad decimum Cal. Iulij productus in planiciem, quam Angli uulgò dicunt Turris collem, uultu non ſolum conſtanti, uerumetiam alacri, paucis alloquutus eſt populum. Primùm Regi regnoq; bene precatus eſt. Mox ardenti magis quàm prolixa precatione ſe ipſum Dei miſericordiæ cõmendauit: ſimulq; procumbens in genua, gracili & exhauſta ceruice ſecurim excepit. Neq; enim apud Anglos carnifices gladio ceruicem incidunt, ſed damnato in truncum ad id apparatum inclinanti, ſecuri caput amputant. Quanto cum animi dolore uiderint hoc ſpectaculum quibus religio pietasq; cordi eſt, & qui Chriſti ſpiritum in paſtore operantem experti fuerant, facile quiuis ex ſeſe poterit æſtimare. Cæterùm quòd mitiore pœna affectus eſt, quàm minabatur iudicum ſententia, ſunt qui in cauſa fuiſſe putẽt, quòd metuerint, ne ſenex & exhauſto corpuſculo, ſi per uiam tam longã rheda trahea ue tractus fuiſſet, ſpõte expiraret. Ego ſuſpicor ob hoc, mortis genus atrocius denunciatum: ut immanitate ſupplicij territus mutaret ſententiam. Nec deſunt qui prædicant, ob hoc ipſum acceleratam mortẽ, quòd

Tower hill

Ro. Pon=

Ro. Pontifex Paulus tertius Episcopum Rossensem ob insignem doctrinam ac pietatem in Cardinalium ordinem allegisset. Ex amicorum literis cognoui, in Germania inferiore sparsum rumorem, quũ Episcopi Rossensis caput esset in ponte Londoniensi de more expositũ, non solum non emarcuisse, uerumetiam magis effloruisse, uiuoq; factum similius, ut multi crederent fore, ut etiam loqui inciperet: quòd in quibusdam martyribus factum legimus. Ea res, seu fama, quum uulgò increbuisset, sublatum est atq; abditum. Populus enim credulus sæpe leui quapiam occasione turbas ingentes excitat. At ueriti ne idem eueniret in capite Mori, priusquã exponeretur, aqua feruenti decoctum est, quo plus haberet horroris. Hæc aliaq; multa his similia perscribuntur è Flandria Britannis uiciniore: penes alios sit fides. Vtinam huc peruenissent acta Rossensis, quemadmodum acta Mori peruenerunt. Ex Mori responsis facile liquet, illum destinasse mori citius, quàm suæ sententiæ canere palinodiam. Quo animo uidẽtur omnes fuisse qui ante Morũ extincti sunt. Morum ac Rossensem & illud mouit, opinor, quòd qui bene natos, lautè educatos, in honore habitos, in carcere detinet, non dat uitam, sed longiorem & acerbiorẽ mortem. Ego si Regi fuissem in consilio, pro mea stultitia conatus fuissem illi persuadere, ut pro sua solita clementia cæterisq; uirtutibus, per quas nomen ipsius hactenus erat apud omnes nationes gratiosum & amabile, ab illis Britanniæ luminibus, totiq; orbi notis abstineret, aut certè pœna mitiore contentus esset. Rursus, si qui perierunt me adhibuissent

fictum miraculum.

issent in consilum, suasissem, ne se irruenti procellæ pa-
lam opponerent. Violenta res ira regum, cui si incom-
modè resistas, grauiores excitat tumultus. Equi fero-
ces quemadmodum & tonitrua, non ui sed popysmate
leniuntur. Et nautæ non pugnant aduersus impotẽtem
tempestatem, sed uel quiete uel obliquis cursibus uten-
tes expectant cœlum commodius. Multis rebus mede-
tur tempus, quas nulla ui possis emendare. Res huma-
næ semper quidem fluctuãt, sed quoties incidit insignis
aut fatalis rerum mutatio, multi periclitantur qui non
cedunt turbini. Veluti quum Iulius Cæsar aperiret ia-
nuam tyrannidi, & Triumuiri iunctis copijs Imperiũ
orbis occuparent, laudatissimi quique uiri perierunt,
quorum erat & M. Tullius. Qui monarchis seruiunt,
ijs quædam dissimulanda sunt, ut si non queant obtine-
re quod iudicauerunt optimum, saltem aliqua ex par-
te moderẽtur principum affectus. Dixerit aliquis, pro
ueritate mortem oppetendam. At non pro quauis ueri
tate. Si tyrannus iubeat, Aut abiura Christum, aut po-
ne ceruicem: ponenda ceruix. Sed aliud est silere, aliud
abiurare. Si fas est te dissimulare Christianũ citra gra-
ue scãdalum, multo magis licuisset hic esse tacitum. Sed
ineptè facio, qui de rebus tam arduis disputem, qui nun-
quam interfuerim monarcharum consilijs. Itaq; de to-
ta causa iudicium alijs relinquo. Illud satis constat, eos
uiros si quid peccarint, nulla in Regem maleuolentia
peccasse, sed simplici synceráq; conscientia errasse. Hoc
sibi penitus persuaserant, hoc medullis infixum habe-
bant, sanctum, pium, Regi honorificum, regno salutare
esse

esse quod tuebantur. Argumento est, quòd nullus illorum affectarit regnum, aut alteri asserere conatus sit, nec ullam molitus sit seditionem, aut ullas contraxerit copias, ac ne uerbum quidem excidit odium conspirationem ue resipiens. Silere cupiebant si licuisset, sed patienter ac placidè mortem exceperũt, nihil aliud quàm Regi regnoq; bene precantes. At in atrocibus etiam criminibus magnam culpæ partem excusat simplex ac pura conscientia, animusq; non lædendi, sed bene merendi cupidus. Tum apud efferas etiam nationes frequenter eximiæ uirtuti, præstantiq; doctrinæ honos est habitus. Platoni apud Aeginetas iuxta ciuitatis constitutionem capite plectendo, profuit Philosophi cognomẽ. Diogenes impunè penetrauit in castra Philippi regis Macedonum, ad quem pro exploratore adductus, liberè exprobrauit Regi insaniam, quòd non contentus suo regno, semet conijceret in periculum ne perderet omnia. Non impunè tantum, sed etiam cum munere dimissus est, non ob aliud, nisi quòd esset Philosophus. Quemadmodum monarcharum in eruditos benignitas plurimum honesti nominis illis conciliat, ita durius tractati plurimum inuidiæ conflant illis. De his præcipuè loquor, qui scriptis inclaruerunt apud omnes nationes, & quorum memoria uidetur apud posteros futura gratiosa. Quis nunc non execratur Antoniũ, qui Ciceronem ferro peremit? Quis non detestatur Neronem, qui Senecam occiderit? Nec minimum gratiæ decessit Octauij Cæsaris nomini, quòd Ouidium ad Getas relegarit. Hæc nequaquam eò mihi dicuntur, ut Regem

Christianum

Christianum cum impijs principibus confram, aut de negocio cuius circunstantias non noui pronũciẽ, quòd etiam si periculum abesset, temerariũ esset: sed ut ostendam quibus rationibus fuerim conaturus persuadere, ut Rex *parcendo uiris pietatis et eruditionis cõmendatione iam immortalitati consecratis, suo quoq; nomini consuleret. Plausibilis semper est præpotentum clementia: sed tum clarissimos fert applausus, quoties uiris illustribus ac de repub. bene meritis impenditur. Omne solum forti patria est: & exilium fortibus ac præclaris uiris sæpe cessit feliciter. Mortis inuidia grauis est. Quum rex Galliarũ* Lodouicus XII. *regnum adeptus pararet diuortium cum* Lodouici regis XI. *filia, Maria, ni fallor, nomine, res displicuit quibusdam bonis, ex quibus* Ioannes Standoch, *& huius discipulus* Thomas, *in concione nihil aliud dixerant, nisi* Deum orandum esse ut Regi inspiraret bonum consilium. *Quæ apud populum dicuntur, ad seditionem spectant: & hi deliquerant aduersus* Regis edictum. Rex *tamen nihil aliud quàm uertere solũ iussit, nec quicquã ademit facultatum: at idẽ negocio quod agebat confecto, reuocabat eos. Hac moderatione rex ille & suo consuluit instituto, & grauẽ inuidiã euitauit, quòd uterq; esset Theologus, uterq; sanctitatis opinione commendatus. At* THOMAE MORI *mortẽ deplorant & ij, quorum instituto pro uiribus aduersabatur. Tãtus erat hominis in omnes candor, tanta comitas, tantaq; benignitas. Quẽ ille uel mediocriter eruditũ ab se dimisit indonatũ? Aut quis fuit tã alienus, de quo nò studuerit bene*

mereri?

mereri? Multi non fauent nisi suis, Galli Gallis, Germani Germanis, Scoti Scotis. at Ille in Hybernos, in Germanos, in Gallos, in Scythas & Indos amico fuit animo. Hæc naturæ benignitas sic Morũ omnium animis penitus infixit, ut non secus ac parentem aut fratrem plorent extinctum. Ipse uidi multorum lacrymas, qui nec uiderant Morum, nec ullo officio ab eo fuerant affecti: ac mihi quoq; dum hæc scribo, nolenti ac repugnanti lacrymæ prosiliunt. Quomodo nunc affectum credimus Erasmum nostrũ, cui cũ Moro tam arcta fuit amicitia, ut prorsus, iuxta Pythagoram, in duobus eadem esse uideretur anima? Equidẽ misere metuo, ne bonus ille senex suo Moro cõmoriatur, si tamen adhuc in uiuis est. Sunt qui nos cõsolantur hoc argumẽto, quòd dicunt, non deplorandos esse, sed gratulandum potius ijs, qui tali morte uitã finierunt. Est istud fateor non leue doloris lenimẽ: at ego Morum optarim incolumẽ, quùm omniũ studiosorum gratia, tum uerò præcipuè familiæ causa, quam & numerosam & planè Philosophicam reliquit, filium natu minimũ iam maritum ac liberorum parentem, filias tres, & has nuptas ac liberorum matres, eruditas omnes, ac sub paterna disciplina ad Christianam philosophiam pulchrè institutas, uxorem fidelem, ac iam anum, ex qua tamen nullam prolem sustulit. Has omnes cum sponsis, nepotibus ac neptibus in unis ædibus alebat, tanta religione, tantaq; concordia, quantam non temerè reperias in collegijs monachorum ac uirginum. Hic mihi cogita, uir optime, qui luctus, quæ lacrymæ, qui gemitus, qui dolores

lores totam illam familiam conficiant. Quot egregias animas uulnerauit illa ſecuris, quæ Mori caput amputauit? Multi demirantes rogant, quid tanti ſceleris commiſerit, uir ſemper habitus innocentiſsimis moribus. Quibus uix habeo quod pro comperto reſpondeam, niſi quòd partim conijcere licet ex articulis Moro obiectis & illius reſponſione, partim ex amicorum literis ac fama uulgata diſcere datur. Rex, ut omnibus notiſsimum eſt, aliquot annis moliebatur repudium cum Regina Caroli Cæſaris matertera. Morus præſagiens quò res eſſet euaſura, ultrò depoſuit Cancellarij munus, alia quædam cauſatus, ne cogeretur eius negocij exequutor eſſe, quod apud ſeſe non probabat. Erat enim mentis tam religioſæ, ut propior eſſet ſuperſtitioni quàm impietati. Sic cogitabat, Priuato licebit quieſcere: Cancellario, qui os eſt regis, non licebit. Videbat fore, ut cogeretur multos condemnare morte, quos iudicabat optimos: ad hæc exitum tanti negocij incertum eſſe, ob Eccleſiaſticorum potentiam ac gentis illius ſolitam in reges ferociam. Tale ſi quid natũ fuiſſet, prima uictima fuiſſet Cancellarius. At me ſi Morus in conſilium adhibuiſſet, quum eſſet tam anxiè religioſa conſcientia, dehortatus fuiſſem eum ne ſuſciperet dignitatem. Vix enim fieri poteſt, ut qui in arduis principum functionibus uerſantur, in magnis pariter ac paruis iuſticiam ad unguem obſeruent. Proinde mihi gratulantibus quòd talem haberem amicum in tanto rerum faſtigio collocatum, reſpondere ſoleo, me non prius illi de eius dignitatis acceſsione gratulaturum,

quàm

quàm iuberet ipse. Iã tũ enim nescio quid sinistri præ= sagiebat animus Nec Regẽ arbitror latuisse, quam ob causam Morus deponeret magistratũ, utcunq; dissimu lauit: quòd Homerus indicat, monarchis esse propriũ, offensionẽ in animo tegere, donec multo pòst tempore detur ulciscẽdi opportunitas. Interim Rex minis ac ful minibus Clementis VII. factus irritatior, adiecit ani= mũ ad uetus illius regionis exemplum, ut regnũ à iure Pontificis Romani assereret, & utriusq; status supre= mam potestatẽ sibi uendicaret. Cæterũ quum sentiret, plurimorũ animos ab hoc instituto abhorrere, ne qua cooriretur seditio, promulgatũ est edictũ, ut quicunq; non abiuraret Ro. Pont. auctoritatẽ, aut improbaret no uum matrimonium, capitalis esset. Verum hoc edictũ non est promulgatum, nisi Rossense & Moro iam duc= tis in custodiã. Rossensis semper plurimũ tribuit sedi Romanæ, & aduersus repudiũ libris etiam conscriptis pugnarat, sed tum quũ adhuc integrũ esset consulere. Morus scripsit nihil, sed pro officio quod gerebat co= nabatur Regis animũ in eã inflectere sententiã, quã pu tabat & Deo gratã, & Regi tutã, & regno salutarem. Erat illi magna familiaritas cũ Episcopo Rossense, tum prædiũ quod habebat Morus, non procul aberat à Ri= chemonda. Ibi Regio palatio uicina sunt duo monaste= ria uehementer opulenta, & quod maius est, bonæ di= sciplinæ, alterum Cartusianorum, alterum Brigitten= sium. Ab his facilè crediderim sollicitatum Mori ani= mum, ut Ecclesiæ causam tueretur: at ipsum aliquid effutisse quod rebellionem saperet, nunquam sum cre=

 diturus,

diturus, ut qui ex crebris colloquijs perſpexerim admirabilem quandã hominis cautionẽ. Equidẽ uix aliũ Angliũ cõperi, qui tã medullitus amarit principẽ ſuum, aut magis ex animo bene uellet, quàm ille. Vnde igitur hic tumultus? Violenta res eſt, conſcientia magis metuens Deũ offendere, quàm mortẽ oppetere. Fortè fefellit eum perſuaſio. At demiror ſi uir ille leuibus argumentis adductus eſt, ut ſic obfirmaret animum. Maluit ipſe perpeti, quàm in alios facere: quod neceſſe fuiſſet, ſi in ſuſcepto munere perſeueraſſet. Quin & Reginæ ueteris, ſingulari pietate fœminæ multos miſeret, nõ tãtum ob id, quòd dudum tanta dignitate florens, nunc in eum ſtatum redacta eſt, ut ob diuortium nec eo frui poſſit, qui cum tam diu uixit, nec alteri nubere ob Clementis ſententiã: uerumetiam quòd uidet, non dubium quin cum ſummo animi dolore, ipſius cauſa tales uiros trucidari. Huius porrò Tragœdiæ quis ſit futurus exitus, Deus nouit. Illud in confeſſo eſt, per necem beati Thomæ Acrenſis, plurimum & auctoritatis & opum acceßiſſe ſtatui Eccleſiaſtico apud Anglos. Qui res mortalium ſuo imperſcrutabili cõſilio moderatur, pro ſua bonitate dignabitur hæc omnia uertere in ſuã gloriã. Tantum è ſcheda, rumoribus & amicorũ literis, hactenus licuit cognoſcere: ſi compertiora fuero nactus, tibi cõmunicabo. Tu fac uiciſſim ut per te ſciamus quid agat rex Sion cum ſuis prophetis, populoq; retincto, de quibus hic mira feruntur, an uera neſcio. Apud Lutetiam Pariſiorum, X. Cal. Auguſti, Anno M. D. XXXV.

Becket, ſanctus Acrenſis.

RERVM

RERVM AC VER

BORVM TOTO OPERE præcipuè memorabilium Index.

A

ABraxa 55
Abyngdonij cantoris epitaphium 228 229
in Abyngdonij hæredem. ibidem.
Aceſtes 187
Acharij populi 36
Acheruſius campus 297
acies mortalium hebes 141
aciem quomodo Vtopienſes inſtruant 129
Ademus 70
adulatio 371
aduocatorũ in iudicijs inutilis turba 117. 118
adulterij pœna 114. 115
Aeacus 299
Aeaci cuſtodiæ 293
ædes Buslidiani magnificæ, Mechliniæ 259
ædibus horti adhærentes 61
ædificia quomodo minimo labore diutiſſimè durent 70
in Aedificijs impẽſæ quomodo uitentur. ibid.
apud Aegimetas quid Platoni capite plectendo profuerit 525
ægrotorũ cura apud Vtopienſes 75
æmulum eſſe bonorum, candidum 242
æquabilitas Vtopienſium omnem rerum copiã parit 81
æqualitas gratiſſima 500
de Aequalitate mortis 194
Aeſchinis in Demoſthenẽ odium 443

Aeſculapius 309
æſtus maris 59
Aetnæ carbonibus Empedocles exuſtus 478
æuum Neſtoreum 202
affectus pietatis quàm uanidus 519
affectus indomiti 286. 287
affectibus indulgẽtes quibus comparati 286
Agamemnon 298.299
de Agna & Philomeno, coniugatis mala fide 260
agricolarum officia 57
agricolatio 64
agricolationis prima cura 56.57
agrorum diſtributio 56
Aiax furens 354
Aiacis riſum ridere 438. 439
Alaopolitæ 123
Albertus Magnus 417. unde Magnus dictus. ibid.
Albertus princeps 509
Albertiſtæ 379
Aldus Manutius 415
alea 98
Alecto 271
Alexander Aphrodiſæus 416
alimenta mala corpus tabefacere 279
Amaurotum 56
Amauroti deſcriptio 59. 60. inde.
ambitus pœna 117
Americus Veſpucius 4
in Amicam fœdifragam 204.205
de Amica reperta incolumi, gratulatorium carmen 265.266
in Amictu Vtopienſium frugalitas 71
amicitia conſtãs an inter fortunæ bona numerãda 495. rara fœlicitas. ibid.
amicitiæ conſtantis & firmæ exẽplũ 494.495. ueræ exẽplar abſolutũ, Thomas Morus 501
amicus fidus 152
ad Amicum 243

de Amico ficto 174.175
amico urgente, multa facienda 290
inter Amicos dolores cõmunes 511
apud Amicos uera fatenda 319
amor castus 266.267.
infirmus quis 221
amor malè tectus 266
in Amorem castum & incestum 216
amorem ex contuitu fieri 497
ob Amorem, Iouis metamorphoses 177
amores flagrantiß. inter mortales unde oriãtur 497
in Ancillam mortuã 195
anchoram sacram alicui præcidere 355
Andreas Ammoni⁹ 468
in Andream in mare uomentem 253
de Anemoliorũ legatis fabula elegãtißima 85. 86
in Anglia insignes uiri (509
ex Anglica cantione uersum carmẽ 204.205
in Anglũ, Gallicæ linguæ affectatorem 208. 209
Angli quomodo insigni dignitate præstantes compellent 517
Anglorum dimittentium quem mos 519
apud Anglos dignitas summa post Regẽ quæ 511
apud Anglos Magistri appellatio qualis 512
apud Anglos non gladio sed securi caput amputari 522
apud Anglos supplicio afficiẽdorum mos 520
ad Anhelitus fœtores tollendos, prouenientes à cibis quibusdam, medicinæ 261
animæ brutorum 140
animæ quid in inferno agant 319
animarum immortalitas 92.139

animas mortuorũ ſuper terrã ambulare 320. 321
de Animabus poſt mortẽ, Democriti opinio 324.325
animus in Rempub. frigidus 352
animo ſuos etiam eſſe oculos 497
animũ facies arguit 184
animi libidines quæ nullũ iniuriarum finem faciant 332
annonæ caritas unde 19
in Antimorũ Brixij 271
ex Antimoro Brixij uerſus deſumpti, ad quos epigrãma alludẽs ſubijcitur. ibid.
ab Antonio Cicero occiſus 525
Antuerpiæ templi D. Mariæ encomium 3
in Anum frustra fucis utẽtem 197.198
de Anu & chirurgo 251
Anytus 59
Apelles 260
Apellis manus 498
apum induſtria 197
apologia pro Moria Eraſmi 365.366.inde.
apologus de uulpe ægrota & leone 234.235
araneæ uenatus 194
archetypo maior habenda fides 409
ad Archiepiſcopum Cantuarenſem 262.263
Ariſtarchus 372
Ariſtipp⁹ Cyrenæus 296
Ariſtotelis Meteorologica 416
Arithmeticus quis 371
armorum apud Vtopienſes formæ 133
arma in bello amittere, decoroſum 175
in Arriũ periurum 248
artẽ diſcat ad quã quiſq; natura appoſitus 65
artes ad neceſsitatẽ, nõ ad luxum diſcendæ 64
artes inanes 68. ingenuæ quid præſtent 186
artium effecta, deorũ dona 280

artificij apud Vtopienſes, nemo ciuiũ expers 65
artificia Vtopienſiũ 64. 65. inde.
aſtrologia Vtopienſium 91
in Aſtrologũ 231. 232
in Aſtrologum Fabianum 235
in Aſtrologũ factũ prædicẽtẽ 215. uxoris impudicæ maritũ 198. 199
de Aſtrologo ridiculo 198
atomi Epicuri 216
Atreus 252
de Attalo & Fabulla 256. 257
in Attica primi homines unde exorti ferantur 304
auaritia unde 74
auaritiæ pœna 128
auarus aliena captans, ſæpe ſua amittit 219
auarus, canis in præſepi 219
auarus diues pauper eſt ſibi 203
in Auarum 171. morientem 210
de Auaris fictio mira & elegans 98
Auguſtinus 275
Auguſtino Scripturæ ſacræ liber impenetrabilis uiſus 394. 395
Auguſtinũ dæmonas aliquando corporeas ſubſtantias putaſſe 399
aulæ apud Vtopienſes in ſingulis uicis 75
aulis principũ inſeruire quàm graue 33. inde.
aulas pleraſq; oẽs multũ habere ſtrepitus et ambitionis, etc. 500. 501
ad Aulicum 229. 230
de Aulico 247
Aululariæ Plauti finis adiectus per Dorpium 423. 424
aurum ferro uilius 84
auri magnifica contumelia apud Vtopienſes 85
autoritas maiorũ quatenus ualere debeat 11

B

Babylonici Magi 292
barba, uiri cultus 284
in Barba tantum philoso
phum 228
Barzanes 70
βατραχομυομαχίæ Ho=
meri 450
Beati Rhenani clogium
443. de Epigrãmatis
Thom. Mori iudiciũ
444
beatitudo Gygis 225
bella fat eſt puella, quæ
placet 224
bellaria regalium menſa=
rum 252
bellum qua de cauſa Vto=
pienſes gerant 73.
122. ſummopere a=
bominari Vtopienſes.
ibid.
belli incommoda 37
in Bello dux potiſſimùm
impetendus 131. i=
gnauorum uſus quis
130
è Bello petitã gloriã ni=
hili fieri apud Vtopi=
enſes 122
bellorũ ſortes uariæ 129
in Bellis quæ generoſos
ſpiritus frangãt 131.
Vtopienſium ſolertia.
ibid. 132
bene ut omnia ſint, quo=
modo fieri poßit 44
Biblia ſacroſancta omniũ
literarũ regina 396
in Bibonem 227
Bitias 257
de Bollano 234
bona iam amiſſa cogno=
ſci 213
bonorum ordo 91
bonis noſtris nos ægrè ce
dere 9
bonos imitari, candidum
242
bonos quis cultus deceat
285
boum uſus 58
Britannia egregiorũ inge
niorum fertilis 508
in Britannia inſignes uiri
509
Britãnos Galliæ cultorib.
quæ dirimant 208
ex Bri=

ex Brixij Antimoro uersus, cum epigrammate Mori, ad eos alludente 271
in Brixij Chordigeram & Antimorum. ibid.
è Brixij Chordigera uersus 238
in Brixij hendecasyllabum, Mori epigrammata 272
Brixium Phœbus alloquitur 241
in Brixium 237
de Brixio ad Erasmum Tho. Mori epistola 429.430.inde.
brutorum animæ 140
Budæus 445
Budæi encomium 168. de Vtopia scripti iudicium 168.169
Buslidianus 460.461
ad Buslidianum 258. 259.de ædib.magnificis Mechliniæ.ib.260
Buthresca 144

C

Cacus 454
in Cæcũ & claudũ, mendicos 191.192
cæcior Polyphemo 436
calcar ad uirtutem 130
Caliquit 5
Campegius 521
Cãcellariatus dignitas apud Anglos 511
Cãcellarius,os regis 528
ad Candidũ, parochũ uitæ improbæ 233. qualis uxor deligenda 221.222.inde.
ad Candidum uiros sanctos laudantẽ cũ ipse esset malus 242
canis in præsepi, auarus homo 219
de Cane uenante. ibid.
à Canibus rabidis morsos in rabiẽ uerti 329
de Cantante malè, & bene legente 245
ex Cantione Anglica uersum carmẽ 204.205
ad Cantuariensem archiepiscopum 262.263
in Cappadocem uirulentum 220

caput apud Anglos non gladio sed securi amputari 522
carbatina, calceamenti genus 311
carbones offendunt, thesaurum sperantes, prouerbium 324
in Carcere detẽtis quibus mors longior & acerbior sit 523
ad Cardinalem Eboracensem, &c. in librũ noui Testamenti, ei ab Erasmo datum 262
carmẽ excusatoriũ de matrona nobili non animaduersa, &c. 269. 270. in imbrem subitum, &c. 189
carmen Tho. Mori ad liberos 266.267
carminibus suis non defuturũ genium, asserens pstringitur 255.256
casus fortunæ dubij 361
in Causa facili quiuis diser tus 451
causæ mortis duæ 336
causidicorum inutilis turba 117.118
Cecrops 299
Celeni 7
ad Cenotaphium Heruei allusio 241
censor tristis 370
tanquã Censorem tristem quempiam obiurgare. ibid.
centones Valeriæ Probæ 433
Cerberi latratus 294
ceremonijs ineptis in congressibus bonam uitæ partẽ absumere, uiro indignum 500
chalcographia 109
Charon 295
chartæ faciendæ peritia 109
in Chelonum 264
Chimæra 296
Chironis pedes 284
de Chirurgo & anu 251
Choaspi lympha 293
Chordigera nauis 237
in Chordigeram Brixij 271

è Chordigera Brixij uersus 238.239
Christo cõmunẽ suorum uictum placuisse 136
Christianis an Terẽtius legendus 422.423
in Chrysalum 231
Chrysostomus 274
cibus ac potus Vtopiensiũ ratio 58
Cicero ab Antonio occisus 525
Ciceronis filia 224
cimædorũ ornatus 285
citta in grauidis 100
ciuium apud Vtopienses numerus 72.73
in Ciuitatibus factiones 157
in Claudum & cæcũ, mendicos 191.192
in Claudum & stupidum 176
clauum clauo extrudere 309
clementia, humanissimus naturæ affectus 75. præpotentum plausibilis 526
coaceruatores opũ 98
cœli sectio 304
Cœlo tegitur, &c. prouerb. 4
in Cœnis lusus 67
cœnobia 136
commercia Vtopiensium mutua 72.73. inde.
communio Platonica laudata 48.49. uituperata 50
communio rerum laudata 153 154
conatus pro facto quãdo puniendus 116
concubinariorum Directorium 391
confessio Vtopiensium 148
coniugia Vtopiensium 112
in Coniugibus deligendis ritus Vtopiensiũ 112. 113
contemplatio naturæ 108
ad Contemptum huius uitæ 201

contraria ſimul eſſe non poſſe 291
copia quid 278
Cornelia fœcunda 187
Cornelij Taciti ſententia 425
Coræbus 305
in Coronationem Henrici regis Angliæ, carmẽ 182. 183. *inde.*
corpus alimenta mala tabefacere 279
corporis cõſtitutio ſæpe mentem arguit 176
corporis ſanitas, uoluptatũ maxima 101. 102
corporis uirtus, robur 279
corporis uoluptates 100
in Corpore exiguo ſæpe uires præſtantiores 274
corporum umbræ 295
conſcientia magis Deum *offendere quàm mortẽ oppetere metuens, uiolentum quid* 530
conſiliariorũ regũ technæ 38
conſilia præmeditata eſſe debere 64
conſortem imperij ferre, durum 347
conſuetudo Anglorum ſi quem dimittunt 519
conſulta improbè nõ approbanda 46
in Conuiuio *muſica* 79
conuiuia apud Vtopienſes *communia & promiſcua* 76
in Conuiuijs *apud* Vtopienſes *cur iuniores maiorib. admixti* 78. *fœminæ miniſtræ* 77
in Cõuiuijs *ſermones* 79
cordium ſcrutator Deus 517. 518
Craſſi *dictum* 40
Crebro iactu iaci aliquando Venerẽ, *puerb.* 30
Creon 299
crepitus cuique ſuus olet 420
in Crepitum *uentris* 193
apud Cretenſes Iouis ſepulchrum 304

in Cri-

in Criminibus atrocibus quid culpæ partẽ magnam excuſet 525
Critolai regula 276
Crœſus 298
Crœſo ditior 225
in Cruce dignum 232
Cteſias 304
culpæ partem magnam quid in criminib. atrocibus excuſet 525
cultus bonos quis deceat 285
cultus apud Vtopienſes ſimilitudo 65
ob Cultum ſibi placentiũ error 96
cunicula muſtelæ elapſa incidit in diſpoſita uenatorum retia 193
cuniculi more quicquam diſſimulare 446
de Cuniculo bis capto 205
cupiditas mentiendi 303
de Cupiditate regnandi 256
curatio morſi à uipera 309.310
curæ circa edulia quid cõducant 282
curas leues loqui, ingentes ſtupere 519
cuſtodiæ Aeaci 293
Cuthbertus Tunſtallus 1
Cynemerni 147
Cynici dialogi argumentum 274
in Cynicum ſtultè abſtinentem 194.195
Cynicorum habitus & uita 277. uita beluina 279
Cynicos à mendicis nihil differre 278
Cyrenæus Ariſtippus 296

D

Dædalus 316
Dædaleæ manus 260
dæmonis ex domo eiectio 323.324
dæmonas eſſe corporeas ſubſtantias, Auguſtinũ aliquãdo putaſſe 399
de Dæmoniacis 313. 314
Danae 289

decreta inferorũ quomodo rata sint & autentica 301
de deditiõe Neruiæ 256
in Deformem & improbum 220
delectatio et uoluptas, idẽ 102
dementiæ extremæ, odiũ se fatigando quærere 425
Demetrius 316
Democritus 275
Democriti de animabus post mortem opinio 324.325
dæmones aliquos esse 309.310.*inde.*
in Demosthenem Aeschinis odium 443
dæmoniacorum exorcismus 314
deuirginari 259
Deus cordium scrutator 517.518. *cui similis* 281. *paucis orandus* 219
Deus repẽtè à fortuna immissus 322
Deum pro cuiusq; natura ac conditione singula præparare 281
deorũ effigies in Vtopiensium tẽplis nullas conspici 148
Dialectica quid à Rhetorica differat 373
ad Dialecticam quæ præcipuè pertineant 378
Dialecticus quis 371
Dialectici recentiores notati 90
Dialecticorũ recentiorũ argutiæ & nugæ taxatæ 378.379.*inde.*
dialogus fratris et morionis festiui 30.31.*inde.*
dies mortis incertus 197
in Digamos 219
dilẽma Theophrasti 176
Diogenes 300. *quomodo impunè penetrarit in castra Philippi* 525
Dionysius tyrannus 296
Directorium concubinariorum 391
disciplinis præclaris imbutum esse, magnum

ac fructuosum 471
Discipuli sermones 401
disertus quiuis in causa fa cili 451
disputantium mores 21
dissimulãda nõnulla 524
diues auarus pauper est sibi 203
diuitũ conspiratio 155. iniuriæ 301. penus 156
diuitib. indignis habiti ho nores taxati 89
de Diuitibus, inferorum decretum 300.301
diuitiæ ueræ quæ 203
diuinandi peritia 356
diuortia Vtopiensiũ 114
docẽdi gratiã habere, sum mũ quiddã esse 471
docilitas Vtopiensiũ mira 106
doctrinæ præstanti apud exteras nationes fre quenter honos habitus 525
dolores inter amicos com munes 511
domorum usus quis 278
Dormi securè 401
dormiẽdo ferè dimidium uitæ absumitur 212
per Dorpium Plauti Au lulariæ finis adiectus 423.424
dulci utile miscẽdũ 273
Dunen Flandris quid 512
dux exercitus potissimum impetendus 131

E

ad Eboracensem Cardina lem, &c. in librũ noui Testamenti, ei ab Era smo datum 262
ebrietas 247.249
ad Ebriosum 252
Ecclesia per uniuersam Christianã ditionẽ uni ca, integra & indiui dua 518
in Echemytiam Pythago ræ 217
circa Edulia curæ quid cõ ducant 282
egenis quomodo succur rendum 30.31
egestas mala 279

elephanti Indici 318
Empedocles Aetnæ carbonibus exuſtus 478
Endymionis ſomnũ dormire 388
Epicteti ſententia 425
Epicuri atomi 216. dilemma 203
epigramma quid 166
epigramma Mori, alludens ad uerſus quoſdã ex Antimoro Brixij 271
epigrammata Tho. Mori, alludentia ad uerſus quoſdam Brixij 238.239. in hendecaſyllabum Brixij 272
de Epigrammatis Tho. Mori, Beati Rhenani iudicium 444
epigrammatographi Italici 168
Epimenides 320
ἐπιφωνήματα 166
in Epiſcopum illiteratum 244. ſordidũ ac perparcum 201
Epiſcopũ Roffenſem ſem per plurimum tribuiſſe ſedi Romanæ 529
de Epiſcopo Roffenſi poſt detruncationẽ rumor quis 523
epiſtolæ Thomæ Mori exẽplar, ſcriptæ in carcere Louanienſi cuidã carbone 494. 495. inde.
epitaphium Abyngdonij cantoris 228.229. ad ſepulchrũ Thomæ Mori fixũ 491. gnatorũ Neoclidæ 232. Iacobi Scotorum regis 236. in ſepulchro Ioannæ, uxoris Mori, &c. 263. medici 195. naufragi & ruſtici 234. Timocriti 232
equorum uſus 57.58
Eraſmus quo in Vniuerſitates affectu 375. 376
pro Eraſmi Moria, apologia 365.366. inde.
Erichtheus 299
Erichtho-

Erichthonius è terra editus 304
Erinnes 294
Eriphile 282
errata in libris excudẽdis facilè committi 438
error eorum qui ob cultũ sibi placent 96
error ubi procliuus 412
errori impetus temerarius obnoxius 234
Ethica 91
Eucrates 305
in Euphariphum ueste, fundo oppignerato, empta 249
Euphrates 294
excommunicatio 145
exemplum annotandum 36.37
exiliũ fortib. et præclaris sæpe fœliciter ceßisse 526
exorciſmus dæmoniacorum 314

F

in Fabianum 235
Fabricij dictum 41
fabula elegantiß. 86.87
in Fabula opus in multos distributum 342
de Fabulla et Attalo 256. 257
facetias aſperas quib. multũ ueri adiunctũ, acrẽ ſui memoriam relinquere 419.425
facies animũ arguit 184
factiões in ciuitatib. 157
famæ uolucres pẽnæ 224
familiarũ distributio 72
fata 250
in Fatuum 212
de Febricitante & medico bibaci 257
febricitantibus quies quæ 263
de Fele & mure 264. 265
feneſtræ uitreæ aut linteatæ 62
feſtorum dierũ apud Vtopienſes obſeruatio 147.148
fictio mira & elegans de opũ coaceruatorib. 98
fides, inane nomen 236
fides indubitata quib. hiſtorijs

ſtorijs habenda 276
de Fine hominis Vtopien-
ſes quid ſentiant 91.
92. inde.
Flaminij menſa funeſta
252
Flandris quid Dunen ſi-
gnificet 512
fœdera Vtopiẽſium 119
fœderum ſancta & inuio
labilis maieſtas 120
in Fœlicẽ repẽtè è miſero
195
fœlicitas humana tanquã
ſomnium 296
fœlicitatis comes iactan-
tia 507
fœminæ miniſtræ in con-
uiuijs 77. ſacerdotes
145
forma 200. fucata 116
formæ fragilitas 221
formæ teneræ tẽpora in-
uida 265
forma alia alio ſrapi 497
fortuna lubrica 89. 224
non perpetuò eadem
cuiquam 455. 456
fortunæ caſus dubij 361.
dominatio 298. mal
495
de Fortunæ cõtẽptu 173
uiciſſitudine 202
fora Vtopienſium 74
frater q̃ fratri an quiſquã
alteri amicior 467
fratris & morionis dialo
gus feſtiuus 30
fratrum concordia rara
467
in Fratres duos, uno et na
tos et mortuos die 177
in Frugalitate uirtutem e
ſe 278
in Fucatum 207. 253
fulgor gemmæ aut lapil-
li dubius 88
in Furẽ & patronũ 214
fures atq; homicidæ cur
ex æquo nõ puniẽdi 24
fures ne tã ſint multi, quo
modo prouidẽdum 14
furũ pœna acerbior taxa
ta 13. 14. inde.
furibus quæ pœna conue-
niat 24. 25. inde.
Furiæ 295. tres 271
furtum cur ultimo ſuppli-
cio non

cio non puniendũ 22. 23. inde. quomodo lege Mosaica punitum 24. simplex an capite plectendum 13
furti pœna quæ apud Polyleritas 25.26
furto res ablatæ cui restituendæ 25.26
de Fusco potore 243

G

Gaitanus 417
Galliæ cultorib. quæ Britannos dirimant 208
ad Gallũ, ueterũ carmina sublegentem 254
in Garemanum, uenditis agris pauperem 20
gaudia uera boni animi comites 201
in Gelliam 217.349
gemmæ fulgor dubius 88
gemmæ puerorum delitiæ apud Vtopienses 85
ex Gemmis uoluptas stultissima 97
genium carminibus suis non defuturum, asserens perstringitur 255.256
genũ habere debet liber uicturus 255
Genij mali 295
genuisse non esse nihil 267
Georgius Temsicius 2
Gerardus Nouiomagus 419
Germania fœlicium ingeniorum ferax 443
Gigantum rebellio 304
non Gladio sed securi caput amputari apud Anglos 522
gladij tyrannicidarũ qui 339
gloriam è bello petitam nihili apud Vtopiẽses fieri 122
de Gloria 218
Gorgon 318
Gracchorũ mater 224
Græca lingua cur discenda 414.415. inde.
Græca cur magis depravationi obnoxia 412

Græca ignorãti, plurima deesse 417
Grammatica quid doceat 382
ad Grãmaticã quæ præcipuè pertineant 378
Grammaticus quid significet 371
in Grãmaticũ putidũ 211
gratulatio de amica reperta salua 265.266
in Grauidis citta 100
Guilielmus Lilius qs 169
Gygis beatitudo 225

H

Hecate nocturna 294
Hector moriens 225
helluo, dira pestis patriæ 18
in Hendecasyllabũ Brixij, Mori epigrãmata 272
Henricus octauus Angliæ rex 508
Henrici octaui Regis Angliæ elogium 489
in Henrici regis Angliæ coronationem, carmen 182.183.inde.
ad Henricũ regẽ Angliæ, de spectaculis equestribus, carmẽ 189.190
aliud. ibid
Heraclitum agere 168
Hercules 283.284
ἀλεξίκακος 453
de Herode & Herodiade 251.252
in Herodianæ mensæ picturam. ibid
Herodotus 304
Herueus 237
ad Heruei cenotaphium alluſio 241
de Hespero confitente 257
Hieronymus 261
Hieronymo Scripturæ sacræ liber difficilimus uisus 394.395
Hippocratis epitaphium 195
Hipolyti amor 216
historia lepida 390
391.inde.
historijs quibus indubitata fides habenda 276
in Histrionem 253
Homerus 304

Homeri βατραχομυομαχία 450
Homerici poematis laus 196
homicidæ & fures cur ex æquo nõ puniẽdi 24
de Hominis fine Vtopienſes quid ſentiãt 91.92. inde.
hominis mordici morſum non minus canino ualere 329
hominis munia piſtillus, ſchobina aut peſſulus ſubit 326.327
in Hominis natiuitatem 198
hominis uitam nihil eſſe 218
homini maximè propriũ 93. propriæ uoluptates quæ 104
homines primi in Attica unde exorti 304
ὁμοίωσις mira 44
honor magiſtratuũ 117
honos uirtuti et doctrinæ apud exteras nationes frequẽter habitus 525
honores ſtulti 97
horæ ſex operi deputandæ 66.67
Horatianum præceptum 273
horti ædib. adhærẽtes 61
hortorum utilitas. ibid.
hoſtẽ quando Vtopienſes mercentur 125.126
in Humanis nihil ſtabile 201
in Hymnorũ de diuis ſcriptorẽ, &c. 226.227

I

Iacobus Faber Pariſienſis 376.447
Iacobi Scotorũ regis epitaphium 236
iactantia comes fœlicitatis 507
in Ianum hæredẽ Abyngdonij 229
ieiunia à patribus ſanctis inſtituta 245
ignauorum uſus in bello quis 130
imaginationes matrũ in cõceptione, liberis certã formã indere 246

in Imaginẽ diſsimilẽ 205. 210. elegantẽ, ſed deformiſsimi. ibid. malè redditam 207. bene redditam. ibid.
in Inbrem ſubitum, &c. carmen 189
immortalitas animarum 92. 139
imperij conſortem ferre, durum 347
imperia Manliana 23
impetus temerarius errori obnoxius 234
in Improbum & deformẽ 220
improborũ iniqtas 343
per Incãtationẽ excitorũ ſerpẽtũ narratio 310. 311. factorum quorundam commemoratio. ibid. 312. inde.
incantationes quando utplurimùm peragãtur 312
incommoda quæ ex neglectu propriarũ, et comparatione rerum alienarum 281. 282
indigere nullius, ſolius Dei 283. q̃ minimis, ad Deos proximè accedentiũ eſſe. ibid.
inducię Vtopienſiũ 133
induſtria apum 197
inferorum decretũ de diuitibus 300. 301. decreta quomodo rata ſint & autentica. ibid.
tormẽta et pœnæ 297
ad Inferos nec iucũda nec delectabilis uia 289
apud Inferos rhetores cuiuſmodi 295
in Inferno quid animæ agant 319
in Infœlicem uehementer 217
ingeniũ fœliciſsimũ quæ oculorũ ſpecies arguat 498
ingenia hominũ nũc quæ 345. quæ literis dicanda 107
ingeniorum tacita quædã cognatio 497
iniquitate improborũ nihil nõ uellicari 343

iniuriæ innocentia obnoxia 193
iniuriarũ finẽ nullũ quæ animi libidines faciant
inopia quid 278 (332
inseruire regibus quid 9
interpretũ diuersorũ collatio utilis 407
inuẽta sua cuiq; blãdiri 11
inuidia 345
inuidiam splendida uita parit 196
inuidia peior miseratio. ibid.
in Iohãnæ sepulchro, uxoris Mori, &c. epitaphium 263
Ioãnes Athẽsis 386. 387. Coletus 508. Frobenius 413. Moronus 12. Phischerus, Episcopus Roffensis 520. 521. eius condẽnatio. ib. 522. Stãdock 526
Ion 306
Iouis ob amorẽ metamorphoses 177. sepulchrũ apud Cretenses 304
ira regũ, res uiolẽta 524
irascendũ quomodo 32
Irus 298
Iro egentior 225
Itys 252
Iudæos infestiores fuisse Christianis, quàm Græcos Latinis 410
iudiciũ ridiculum 196
iuniores apud Vtopienses in conuiuijs maiorib. cur admixti 78
iuniorum habenda ratio 327
ius summũ, summa iniuria 23
iustitia, fortißimus Reip. neruus 119
iustitiã in arduis principũ functionib. difficulter obseruari 528. quæ uitia dissouãt 119
iuuentus incauta 360
iuuentæ primæ lanugo 266
Ixion 297

K

Killim 517

L

Labi, humanum 409

labor opificum moderandus 66
laicũ non posse esse caput status spiritualis 517
Lais anº ad speculũ 197
in Lalũ, Gallicæ linguæ affectatorem 208.209
lanæ caritas unde 19
lanugo primæ iuuentæ 266
Latinis nõnunquã cõmodè ex alijs linguis quædam inseri 442
latratus Cerberi 294
laus poematis Homerici 196
ad Lectorẽ de nouo Testamẽto, uerso ab Erasmo 261
de Legente bene, & malè cantente 245
leo Nemeus 308
sub Leonis pelle simiã circumferre 306
de Leone & Lysimacho 235
Lesbia regula 387
Lestrygones 7
ad Leuẽ quendam 251
lex Mosaica 24. quomodo furtũ punierit. ibi.
leges in quẽ usum promulgẽtur 118. in tyrannide iacent 350. parum æquæ 13. seruãdæ 94. solæ testamẽtum ratũ facere possunt 350
legum stropha 89
leges Vtopiẽsiũ paucæ 117
in Librorũ deprauationẽ ullã gentẽ conspirasse, an credibile 411
in Libris excudendis errata facilè cõmitti 438
de Libidine et luxu 174
libidines animi quæ nullũ iniuriarũ finem faciãt 332
de Licentia 228
G. Lilius quis 169
lingua Græca cur discenda 414. 415. inde.
linguarũ alterutra pollere, magna res 471
Litera occidit 244
literarum studia 66
literis quæ ingenia dicanda 107

literalis

literalis sensus in Scripturis 395.396
literatus quis 371
literatos solos apud Vtopienses ad magistratus uocari 70
liuore nihil pestilentius 345
Lodouicus rex Galliarũ duodecimus 526
Lodouici Viuis elogium 471.inde.
Londonienſis urbis ſitus deſcriptio 512
loquendum conſultò potius quàm citò 64
loqui non poſſe, miſerum 270
Louanienſes Theologi 384
ad Lucernam nocturnam 196.197
Luciani in taxandis mortalium uitijs artificiũ 273
Lucianum non rectè de immortalitate ſenſiſſe 275
Lucretius. ibid.
Lugdunum unde dictum 512
lupanar tabernæ uinariæ, ceruiſiariæ 20
lupus in fabula 246
lupi memoria 446
luſus in cœnis 67
luxus 20
de Luxu immodico 172
de Luxu et libidine 174
in Luxu uitium eſſe 278
lympha Choaſpi 293
de Lyſimacho & leone 235
Lyſippus 257.260

M

Macarenſium mira lex 42
machinæ bellicæ Vtopiẽſium 133
Magi Babylonici 292
Magiſter Sententiarum 400
Magiſtri appellatio apud Anglos qualis 512
magiſtratus Vtopienſium 62.63.inde.
magiſtratus creandi mira ratio 63

magistratus ipsi in Vto-
pia ne quidem ab ope-
re cessant 69
magistratuũ honor 117
magnetis usus 7
maiorum autoritas quate
nus ualere debeat 11
mali uẽturi torqueri me-
tu, nihil prodest 196
mala omnia unde orian-
tur 285
manes apparere 320.
321
Manliana imperia 23
manus Dædaleæ 260
Marathonius 299
Margitas 305
D. Mariæ templi Antuer
piæ encomium 3
maritis quid maximè uxo
res commendet 116.
Maro 260 (117
Marulli in Epigramma-
tis ænigmata 445
de Marullo 248.249
mater quæ sit, in uxore de
ligẽda, spectãdũ 222
matrum imaginationes in
cõceptione liberis cer-
tas formas indere 246
de Matrona nobili nõ ani
maduersa, &c. excusa
torium carmen 269.
Mausolus 299 (270
mediastini 111
medicinæ ad tollendos an
helitus fœtores, proue
nientes à cibis quibus-
dam 261
Medicinæ apud Vtopien
ses studium 108
medicus imperitissimus
quis 41
medici epitaphium 195
in Medicum impostorem
205.206
de Medico bibaci & fe-
bricitante 257
mediocria extremis po-
tiora 196
in Mediocritatem. *ibid.*
de Mediocritate 216.
Megæra 271 (225
mẽdaciũ ubi admixtũ sub
olet, ueritatis autorita
tem labefactari 276
mendacij uis 305
mẽdacijs cur poetæ & ci-
uitates

uitates quædam utantur. ibid.
mendacia quæ uenia uel laude digna 303
aduersus Mendacia securis 322
aduersus Mẽdacia stulta & uana remedium quod 329
in Mendicũ pro medico se gerentem 230
à Mendicis Cynicos nihil differre 278 (252
mensa Flaminij funesta
in Mensæ Herodianæ picturam. ibid. (ibid.
mensarũ regaliũ bellaria.
mentiendi cupiditas 303
Meteorologica Aristotelis 416
metu mali uenturi torqueri, nihil prodest 196
Midas 300
Midæ torquati 508
in Militem fugacẽ et annulatum 247
de Milite Spartano 175
militum perpetua præsidia, perniciosa 16
Milordt, insigni dignitate præstantiũ apud Anglos compellatio 517
in Minacem 225
in Ministrum 219
ministri Vtopiensiũ qui 74
Minos 296. in quos præcipuè incendatur. ibi.
Minois tribunal 295
miseratio inuidia peior 196 (195
è Misero repentè fœlix
Mithrobarzanes 294
modus etiã in ultione adhibendus 432
monachũ cui fuerãt confessi nautæ in tempestate eijciunt 232. 233
monarcharũ in eruditos benignitas 525
monarchis proprium, offensionem animo tegere 529
mora longa in morbis periculosa 485
moralizatio 395
morborum causas primò esse tollendas 308

Morias encomium ſcribẽ
di Thomas Morus E=
raſmo autor 502
pro Moria Eraſmi, apolo
gia 365.366.inde.
morionis & fratris dialo
gus feſtiuus 30.31.
inde.
è Morionibus uoluptas
116
morſum hominis mordi=
ci non minus canino
ualere 329
mori anxium & inuitũ,
peſsimum Vtopienſib.
augurium 140
mors pro quali ueritate
oppetenda 524. ſæpe
uel uno morbo minus
grauis 264. ſola, ty=
rannicida 203.204.
ſpontanea 111
de Mortis æqualitate
194
inter Mortis alicui cau=
ſam præbere, et aliquẽ
occidere, an aliquid in
terſit 335
mortis cauſæ duæ 336.
dies incertus 197. ge
nus miſerrimum quod
340. inuidia grauis
526
morti neminem ob ſilen=
tiũ addici poſſe 514
ad Mortem curſus, uita
eſt 202.203
mortem non eſſe metuen
dam 201
mortem ſibi conſciſcentiũ
non probata cauſa, a=
pud Vtopienſes pœna
112
de Morte 173. 174.
203
mortalis cum ſis, morta=
lia te conſecutum exi=
ſtimes 296
mortalium acies hebes
141. natura mutabi=
lis 146
mortui omnes æquales
298
mortuorum animas ſuper
terrã ambulare 320.
321
mortuis an magnifici tu=
muli quid cõferãt 299

mortuos ſepeliendi Vtopienſium conſuetudo, qualis 141
de Mortuis, Vtopienſium opinio 141.142
Morus. uide Tho. Morus.
Moſaica lex 24. quomodo furtũ punierit. ibi.
mugilis more quicquam diſſimulare 446
in Mulierem fœdã 228
mulieres militantes apud Vtopienſes 130
mulieribus non nimis indulgendum 228
munera quid poſſint 126
munia humana piſtillus, ſcobina aut peſſulus ſubit 326.327
mus uel malum mordet 193
de Mure & fele 264. 265
muſca paſta ferẽda 243
muſica in conuiuio 79. Vtopienſium in templis 150.151
muſtelæ elapſa cunicula in diſpoſita uenatorũ retia incidit 193
muſto poti 329
mutum eſſe, miſerũ 270
Myron 260.315
Mythra 135.148

N

Narciſſus 477
Naſonis filia 223
in Naſutum uehementer 211.253
in Natiuitatem hominis 198
natura mortalium mutabilis 146. prouida 267
naturæ contẽplatio 108. gratus Deo cultus 142
naturæ in progignendis liberis nonnihil dandum 221
naufragi & ruſtici epitaphium 234
in Naufragum morſum à uipera in littore 250
in Nauim exuſtam 193
de Nautis eijcientibus monachum in tempeſtate, cui fuerant confeſſi

ſi 232 233
Necromantiæ dialogi argumentum 274
negociatio Vtopienſium 82
Nemeus leo 308
Neoclidæ gnatorum epitaphium 232
in Neoptolemi ſtatuam 179 (197
Neoterici Quæſtioniſtæ
Neotericorũ Queſtioniſtarũ origo unde, ibid.
uſus 400.401
Nephelogetæ 123
à Nerone Seneca occiſus 525
de Neruiæ deditiõe 256
Neſtor 300
Neſtorcum æuum 202
in Nicolaum, malũ medicum 209.210
Nicoleos. ibid.
Nihil nimis 225
nimiũ omne ingratũ 216
in Niobes ſtatuam 178
Nireus 298
nobiles 14.15
nobiliũ famuli taxati 27
nobilitas uana 97
nomina nõ temerè rebus imponi 209
Nominales 377
Norbana 235
nouercæ 255
nouercarum gloria rara quæ 263.491
in Nouercas 255
nouitatẽ ueteſtis arte dare 240
de Nummis antiquis apud Hier. Buſtidianũ ſeruatis 258
nutrices 77

O

de Occaſione Deo 257. 258
inter Occidere aliquẽ, & mortis alicui cauſam præbere, an quid interſit 335
de Occultis iudicium ſolius Dei 514
ocioſorum genera 68
ab Octauio Cæſare Ouidius relegatus 525
oculi ſunt in amore duces 497

oculorum genus quod minus infestetur uitijs 499. species quæ fœliciſsimum ingeniũ arguere ſoleat 498
oculos etiam animo eſſe 497
odium ſe fatigando quærere, extremæ dementiæ 425
Odryſius 252
inter Offam & os multa ueniunt 194
offenſionem animo tegere, monarchis propriũ 529
officia uitæ mutua 95
omnia ut bene ſint, quomodo fieri poſsit 44
opera mutua quantũ ualeat 58
opes facit uſus 194
opum coaceruatores 98
de Opum coaceruatoribus fictio mira & elegans. ibid.
opificum labor moderandus 66
opinio 191
opus in fabula in multos diſtributum 342
operi horæ ſex deputandæ 66.67
Orcus 294
ordo bonorum 91
ordo ut ubiq;, ita in literis commodiſsimus 398.399
ordines uitæ omnes indignis abundare 404
in Oreſtem, matrem occidere parantem 219
Orithyia 305
Orphei coniunx 223
inter Os & offam multa ueniunt 194
Ouidius ab Octauio Cæſare relegatus 525
ouium uoracitas 17
ouum ouo ſimile 207
oua fouendi mira ratio 57

P

Pacta ſeruanda 94
Palamedes 300
in Palladem & Venerem 217.218

Pan 305
Pancrates 325
Paphia dea 260
parænesis ad uirtutem ue ram 200
in Paraſitum 227
in Parcũ moriẽtem 210
parentum facilitas 268
parentum & ſobolis ani= mos natura arctè colli gat 267
Parleamentum 493
Parua Logicalia 379
pater quis dici nõ merea= tur 268
patrũ uulnera quæ 339
patientia 202
patria forti omne ſolum 526
in Patronum & raptorẽ 214
in Patronum & furem. ibidem.
tanquam Patruum quen= quam obiurgare 370
pecunia qua ratione poſ= ſit eſſe uilis 82
pecuniæ uituperiũ 155. 156
pedes Chironis 284
pedum officiũ quod 278
Penelopeia 188
Pentheus 362
peregrinatio Vtopienſiũ 80.81.inde.
peregrinationum utilitas 109
periurus 248
in Perpuſillũ 211.216. 230
perſuaſionis uis 379
Petrus Aegidius 2
Petri Aegidij elogiũ 461
Petri Lombardi Senten= tiæ 397
Phæacum rex 298
phantaſmata 310.311. inde.
philautia 420
Philarchus 62
Philippi Macedonis con= ditio apud inferos quæ 300
de Philomeno & Agna, coniugatis mala fide 260
Philoſophia duplex 43
Philoſophiæ an apud prin-

principes locus 43.
principia unde petenda 92
in Philosophia Græcos Latinis scriptorib. plures esse 4
philosophus Pythagoricus 502
in Philosophum tantum barba 228
philosophorũ discrepãtes opiniones 291. uita doctrinæ parum congrua. ibid. 292
Philopseudæ dialogi argumentum 274. eius usus 275
Phormiana cõfidentia homo 429
de Phyllide & Prisco impariter amantib. 258
Physica omnium incertissima 91
in Pictorem malum 236
in Picturã Herodianæ mẽsæ 252
pietatis affectus quàm ualidus 519
pinus nautica uento submersa 192
in Piscatorem adamatum 195
pisce taciturnior 402
Plato quid de tempore redituro senserit 189. quomodo Resp. fœlices fore existimet 34
Platoni apud Aegineias capite plectendo quid profuerit 525
Platonica cõmunio laudata 48. 49. uituperata 50
Plauti Aululáriæ finis adiectus per Dorpium 423. 424.
Plauto Terentius castior 423
à Plebeio quid tyrannus differat 213. 214.
Plinius 275
pœna adulterij 114. 115. scortationis 112. stupri solicitati 116
Pœnæ 294. 295
præscientia polypragmonica 176 (196
poematis Homerici laus

poeta perquàm tenuis qs 472
in Poetam furiosum 211. stultum 226. extemporalem 255
in Poetarum uersus suffurantem 240
Polus 299
Polycletus 315
Polycrates 298
Polyleritarum apud Persas respub. 25
Polyphemo cæcior 436
Pompon. Lætus 168
Pontifex apud Vtopienses unus 144
populus consentiens regnum dat & aufert 215.216
populi egestas an pacis præsidium 40.41
de Populi iudicio 218
apud Populũ dicta ad seditionẽ spectare 526
de Populo & rege bono 213
Porphyrij prædicabilia 378
in Possessiones incertas 172
in Posthumum 23
de Potentum uita 25
in Potorem Tuscũ 24 247
præcones inepti 29
præmium tyrãnicidij g de 34
præsentia commodè ag da 4
Praxiteles 26
preces Vtopiensiũ 15 152
Priamus 29
princeps bonus 214. m lus. ibid
principis apud Vtopien ses dignitas 11
principis munus 40.42
principem bonum patr nõ dominum esse 21
inter Principem & tyra num quid interfit 212
de Principe & rustico Se lando 247
à Principe, bona malaq in populum promana re 10
principum an omnia 40
prin=

principum aulis inseruire, quàm graue 33. inde. negocioſis nugis implicari, graue 469
principũ plerorumq; ſtudium quod 10
apud Principes an Philoſophiæ locus 43
in Priuignum 255
de Priſco & Phyllide 258
probra dicere, nullius artis 385
procellæ irruenti non palàm reſiſtendum 524
in Prognoſteum 211
Promethei uincula 304
Proſerpina 294
proximus quiſque ſibi 94
prudentia rerum quæ nõ facilè elabatur 13
puella quæ placet, bella ſat eſt 224
in Puellam diuaricatis tibijs equitantem 254
de Puella quæ raptum finxit 231
in Pugilem 227
in Pugionem 218
pullos educandi mirum artificium 57
Pyrrhias 298
in Pythagoræ echemytiã 217
iuxta Pythagorã omnia communia 511
Pythagoricus philoſophus 502

Q

Quæſtioniſtæ Neoterici 397
Quæſtioniſtarum Neotericorum origo unde. ibid. uſus 400. 401
quies febricitantibus cuiuſmodi 263. nocturna ad cõcoctionem efficax 79
Quodlibetica Adriani Florentini 386

R

in Rabiem à canibus rabidis morſos uerti 329
rapacitas unde 74
Raphael Hythlodæus 4.
in Raptorem & patronũ 214

ratio cuiq; ſua blanditur 420. iuniorum habenda 327
Reales 377
de Regnandi cupiditate 256
regnum dat & aufert populus conſentiẽs 215. 216
regula Critolai 276. Leſbia 387
religio ſua nemini eſt fraudi apud Vtopienſes 137.138. Vtopienſiũ 135.136. inde.
in Religiõis cauſa ne quis pro ſua diſputet ſentẽtia apud uulgus, prohibitum in Vtopia 140
religioſi 144
remedium aduerſus mendacia 329
remedia 307.308
rem ruſticam multorũ opera indigere 18
res furto ablatæ cui reſtituendæ 25.26
res humanæ ſemper fluctuationi obnoxiæ 524
rerum communio laudata 153.154
rebus ad alienos uſus utẽtes, taxati 282.283
rebus non temerè nomina imponi 209
reſpub. magna quædam familia 81. Vtopienſium laudata. ibid.
reip. abſolutæ ſtatus ad quid effingẽdus 162. bene inſtitutæ abſolutiſs. ſimulachrũ 161. ſtatus optimus 47. 48. inde. 242. 243
à Rep. capeſcenda cur meritò ſapiẽtes abſtineãt 47
in Repub. quomodo uerſandum 44
reſpub. quomodo fœlices 34
rerump. beatiſs. ſtatus optimus quibus peſſundetur 163. decora & ornamenta 158. ſtatus quibus dilabatur 145

Reuchlinus 425
rex ne an ſenatus rectius imperet 242.243
ad Regem Henricum, carmen 189
regem quid tutum reddat 215
in Regem Scotiæ 235. 236
de Rege bono & populo 213
de Rege & ruſtico 244
regum an omnia 40. conſiliariorum technæ 38
regibus inſeruire quid 9
Rhadamanthus 289. 294
in Rhetorem indoctum 191
rhetores apud inferos cuiuſmodi 295
à Rhetorica quid Dialectica differat 373
in Riſcum 249
riſus Aiacis 438.439
robur, corporis uirtus 279
in Romam 216
Romani adminiſtrandæ Reipub. peritiſſimi 25
roſæ etiã ſuæ ſpinæ 190
de Roſa utraq; in unum coalita, carmen. ibid.
rumorem reb. triſtibus aliquid addere 521
rumores uulgi negligendi 212
ruſtici & naufragi epitaphium 234
de Ruſtico & rege 244
de Ruſtico Selando & principe 247

S

Sabinæ 187
ad Sabinum 245.246. 250. cui uxor abſenti concepit 241.242
de Sacerdote, carmen 244.245
ſacerdotes fœminæ 145
ſacerdotes Vtopienſium 144
ſacerdotum apud Vtopiẽſes in bello munus 146.147
ſacerdotib. magnus apud Vtopienſes honos habitus 145

ſacrificijs quo animo in=
tereſſe deceat 149
in Sacrificijs, Vtopienſiũ
ratio 149.150
ſacris excludi 144
ſales Mori 167
Salluſtij ſententia 425
ſaltatricula uirgo 251
ſanitas corporis, uoluptatũ maxima 101.102
ſapientiam flagrantiſſimos amores inter mortales excitare 497
in Sappho 177.178
Sardanapalus 300
ſatellites, dirum genus 519
Saturnus cæcus 200
Satyra ſit acerba 419
in Satyri ſtatuam æream 178
ſcelerum apud Vtopienſes ſupplicia 115
ſcelerum ſeges. ibid.
Scientia inflat 264
in Scriptorẽ hymnorũ deuis, &c. 226.227
Scripturæ ſacræ liber difficilimus Hieronymo, impenetrabilis Auguſtino uiſus 394.395
in Scriptura an quicquã è Græcorum codicum fide mutare liceat 405.406.inde.
ſcortationis pœna 112
in Scotiæ regẽ 235.236
Scotorum regis Iacobi epitaphium 236
in Scurram pauperem 254
Scyllæ 7
ſecularem non poſſe eſſe caput ſtatus ſpiritualis 517
ſecuris aduerſus mendacia 322
ad Seditionẽ quæ ſpectẽt 526
ſementis apud Vtopienſes modus 58
ſenatus ne an rex rectius imperet 242.243
Seneca à Nerone occiſus 525
ſenectus ipſa morbus 114
ſenſus literalis in Scriptu

ris 395.396
senum habenda ratio 78
Sententiæ Petri Lombardi 397
sepultura Vtopiensiũ qualis 141
sermones in conuiuijs 79
de Serpentibus per incantationem excitis, narratio 310.311
in Seruum mortuũ 195
serui Vtopiensium 110. 111. inde.
ob Silentium neminẽ morti addici posse 514
simiam sub leonina pelle circumferre 306
simile uenustum 41. 273.370
Sisyphus 297
soboles, uitæ subsidium, & senectæ spes 241
sobolis apud Vtopienses educatio 77
sobolis & parentum animos natura arctè colligat 267
sobrios esse difficiliores 253
Socrates 300
Solem lucerna ostendere, prouerb. 2
solum omne fòrti patria 526
uelut Somnium, fœlicitas humana 296
somnus 212. pauperem diuiti æquat 220
in Somno nihil tyrannum à plebeio differre 213. 214
Sophi 246
in Sordidum 194
sortes bellorum uariæ 129
de Spartano milite 175
de Spectaculis equestribus, carmẽ 189. 190
ad Speculum, Lais anus 197
spes alma 204
de Spurinis duobus fabula 275
statuendum nihil subitò 63
in Statuam ferreã 220. Neoptolemi 179. Niobes 178

ſtatuæ uirorum inſigniũ cur erigendæ 117
ſtatus reip. optimus quis 242.243
Stentore clamoſior 402
Stoicorum ſcita de peccatis omnibus paribus 23
ϛοργαὶ 358
ϛοργῆς φυσικῆς inſigne exemplum 518.519
ſtratagematum apud Vtopienſes gloria 124
in Stratophonta 227
ſtudia & diſciplinæ Vtopienſium 90
ſtudia literarum 66
ſtudioſi laborib. exempti 69
ſtudioſorum ſi ſpem fefellerint, pœna. ibid.
ſtultorum infinitus numerus 385
in Stupidum & claudum 176
ſtupri ſolicitati pœna 116
ad Styga ſiue ſolo ſiue ſalo, tantundẽ uiæ 234
ſubditus bonæ fidei, cui maximè obligat⁹ 515
ſudore Anglico neminem niſi primo die perire 468
ſummum ius, ſumma iniuria 23
de Sumptu moderato 173
ſuperbia 157
ſupplicio afficiendorum mos apud Anglos 520
in Suſpicionem 191
ſuum cuiq; pulchrum 11
Syphograntus 62

T

Taciturnitas 217
tacens conſentire uidetur 515
Talus 316
Tanaquil 187
Tantalus 297
Taprobane 5
tegumentorum uſus 278
templi D. Mariæ Antuerpiæ encomium 3
templa Vtopienſium cuiuſmodi 147. in ijs Muſica 150.151

tempus

tempus multis rebus mederi 524
tempori cedendum. ibid.
de Tẽpore redituro quid Plato senserit 189
tẽpora inuida teneræ formæ 265
Terentius an Christianis legendus 422. 423. Plauto castior. ibid.
testamentum leges ratum faciunt 350
de Testamento nouo, uerso ab Erasmo 261
testis oculati robur 479
Thamysis fluuius 512
Thebani 305
Theologia Vtopiẽsiũ 92
Theologo quæ discẽda et scienda 393
Theologi Louanienses 384
Theologi integræ sint apud populum authoritatis 422
Theologorum duo genera 388. 389
Theophrasti dilẽma 176
Therſites 298
thesaurũ sperantes, carbones offendunt, prouerbium 324
Theseus 284
Thomas Linacer 416
Thomas Morus absolutũ ueræ amicitiæ exemplar 501. accusatur 512. 513. ad aulã pertrahitur 506. ad iuuentutẽ usq; abstemius 499. alter quasi Democritus 502. Angliæ Baro 511. Cancellarius. ibid. capitis causam dicturus ad Iudicũ tribunal ducitur 512. ceremoniarum negligẽs 500. Erasmo Moriæ encomiũ scribendi autor 502. iudex causarum Londini 505. 506. legationes obit. ibi. φιλόσοφος 519. pietatis ueræ non indiligens cultor 508. publicus omnium inopum patronus 507. qualem se in aduocationibus

tionibus præſtiterit 505
Thomæ Mori ad liberos carmen 265.267. amores 502. cũ filia poſt cõdẽnationẽ mortis colloquiũ 518.519. cùm iudicio ſiſteretur, oratio 513.514. cũ Theologo ſene diſceptatio 399.400. de Brixio ad Eraſmũ epiſtola 429.430. inde. encomiũ 165.167. Epigrammata, aduerſus Brixij 238.239
de Tho. Mori Epigrãmatis Beati Rhenani iudicium 444
Thomæ Mori epiſtola ſcripta in carcere 494.495. inde. ium mortiaddicti oratio 517.518. in familiam facilitas 460. in omnes cãdor 526.527. in Regẽ ſemper obſeruantia ſumma 530. liberi 504. matrimonium. ibid. 505. patria 489. uitæ ſtatus ibid. 490. ſales 167. ſtatura & modus corporis 498.499. inde. ſtudia 503.504.507.508 ſcriptis nihil doctius aut feſtiuius 497
ad Thomæ Mori ſepulchrum tabula affixa 489.490
Thomæ Mori uerſus 463.464. uita per Eraſmũ 497.498. inde.
Thomæ Moro cõſcientiæ quæ 528. præcipua uoluptas quæ 502. quid mortis cauſa fuerit 528
de Thomæ Moro doctorũ iudiciũ 443.444.
Ioã. Coleti iudiciũ 508
Thyeſtes 252
Tiberius 181
Tigris fluuius 293
Timocriti epithaphium 232
Tireſias 292.301. cæcus 302
Tiſiphone 271
Tityus

Tityus 297
Tonſtalli elogium 460
tortores 295
Traniborus 62
Trapemerni 147
tribunal Minois 295
Triptolemus 305
Tullia 224
tumuli magnifici an mortuis quid cõferãt 299
tumultus ciuilis caput 186
in Tuſcum potorẽ 247
Tyndalus 230.492
de Tyndaro 237
tyrannicida, ſola mors 203.204
tyrãnicidæ præmiũ 346. 353. cui lex decernat 352
tyrannicidæ præmio quis dignus 335.336.inde.
tyrãnicidarum gladij qui 339
in Tyrãnicidio an ſola uoluntas ſufficiat 352. maximum quid 338
tyrannis formidoloſa & inuiſa 348.500
tyrãnidis mala 331.332
in Tyrannide leges iacent 350
tyrãnus 347. ſemper inteſtatus moritur 350
tyrãnus quid plebeio differat. ibid. 214
tyrãni uita ſollicita 212
inter Tyrannũ & principẽ quid interſit 212
tyrannorũ concordia rara 347. propriũ. ibid.
tyrannis quis maximè ſuſpectus 348

V

Valeriæ Probæ centones
Varro 372 (433
uenatio 98
uenationis exercitiũ cur apud Vtopienſes reiectum 99
uenatus araneæ 194
in Venerem & Palladem 217.218
Veni mecum 401
in Vẽtris crepitum 193
uera apud amicos fatẽda 319
ueritatis autoritas quãdo labefactetur 276

ueritatis uis per se emer=
git aliquãdo 138.139
pro Veritate quali mors
oppetenda 524
ueſtium uſus quis 278
ad Veterum carmina ſub=
legentem 254
uetuſtis arte nouitatẽ da=
re 240
uia ad inferos 289
uiciſsitudo fortunæ 202
Vicleſica ſecta 492
victoria magno empta
124
à Vipera morſi curatio
309.310
uiri cultus, barba 284
uirorum inſigniũ ſtatuæ
cur erigendæ 117
uirgo ſaltatricula 251
uirginẽ quæ deceãt 222
in Virginẽ moribus haud
uirgineis 205
uirgines cœtu uirili pro=
cul cohibendæ 259
uirginũ aliæ cur alijs pla=
ceant 273
uires ſæpe in exiguo cor=
pore præſtãtiores 274
uirtus certa permanet
222. *quid* 93.94. *re*
gem tutũ reddit 215
uirtuti apud exteros ſæpe
honos habitus 525
ad Virtutem calcar 130
ad Virtutes incitamentũ
149. *uera paræneſis*
200
uita actiua 142.143.
breuis 202. *curſus ad*
mortem ibid. 203. *hu=*
mana cui ſimilis 298.
quando uilis, quando
chara habenda 131.
quomodo traducenda
302. *tyranni ſollicita*
212.213
uitæ dimidiũ ferè dormi=
tur 212. *fœlicitas in*
quo ſita 72. *genus opti=*
mũ quod 301.302
in Vitæ huius contemptũ
201. *uanitatẽ* 215
uitæ officia mutua 95.
ordines omnes indi=
gnis abundare 404
uitam hominis nihil eſſe
218

ad Vitam abundè ſuperesſe 279
in Vita humana fortunæ imperium 298
de Vita potẽtum ſollicita 254
de Vita ſuaui 205.206
uitia omnia ſuapte natura pernicioſa 345
uiuere ut uelis, pauciſſimis purpuratorũ contingere 9
in Vltione modus 432
Vltraæquinoctiales 51
Vlyſſes 300
umbræ corporum 295
Vndiq; ad ſuperos, &c. prouerb. 4
in Vniuerſitates quo Eraſmus affectu 375.376
uoluntas ſola an in tyrannicidio ſufficiat 352
uoluptas quid 95
uoluptas è morionibus 116. ex gemmis ſtultiſſima 97. innoxia non aſpernanda 79
uoluptatis ueræ ſpecies 100
uoluptates corporis. ibi. falſæ 96. homini propriæ ac peculiares quæ 104
uoluptatũ maxima quæ 101.102
uſus facit opes 194
utile dulci miſcendũ 273
Vtopia quo conſilio edita 507. unde dicta 55
Vtopiæ delineatio 53. oppida 56. ſitus et forma 54
in Vtopia dictionis inæqualitas unde 508. ne magiſtratus ipſi quidẽ ab opere ceſſant 69
de Vtopia ſcripti, Budæi iudicium 168.169
Vtopienſes qua de cauſa bellũ gerant 73. qua in re fœlicitatem hominis ſitam putent 91. 92. inde. quibus libris utantur 107. 108. quib. de cauſis bellum gerant 122. in quos uſus theſaurum ſeruẽt 83. quomodo aciẽ inſtruant

ſtruant 129. *quomodo hoſtem mercentur* 125. 126. *uictores quomodo ſe gerãt* 133
Vtopienſium deſcriptio 105. 106. *æquabilitas omnem rerũ copiã parit* 81. *artificia* 64. 65. *inde. aſtrologia* 91. *cibus ac potus ratio* 58. *cõmercia mutua* 72. 73. *inde. confeſſio* 148. *coniugia* 112. *de mortuis opinio* 141. 142. *diuortia* 114. *docilitas mira* 106. *fœdera* 119. *fora* 74. *in amictu frugalitas* 71. *in coniugibus deligendis ritus* 112. 113. *in ſacrificijs ratio* 149. 150. *inducię* 133. *inſtituta* 45. *leges paucæ* 117. *machinæ bellicæ* 133. *magiſtratus* 62. 63. *inde. miniſtri qui* 74. *Muſica in templis* 150. 151. *negociatio* 82. *peregrinatio* 80. 81. *inde. preces* 151. 152. *religio* 135. 136. *inde. reſpub. laudata* 81
de Vtopiẽſiũ Repub. ſcripti mythologia 160. 161. *inde. occaſio* 8.
Vtopienſium ſacerdotes 144. *ſepeliendi mortuos, cõſuetudo qualis* 141. *ſerui.* 110. 111. *inde. ſolertia in bellis* 131. 132. *ſtudia et diſciplinæ* 90. *tẽpla cuiuſmodi* 147. *Theologia* 92. *theſaurus apud exteros* 127.
apud Vtopienſes ægrotorũ cura 75. *aulæ. ibi. armorum formæ* 133. *artificij nemo ciuium expers* 65. *quid in religione cautum* 140. *ciuium numerus* 72. 73. *conuiuia cõmunia & promiſcua* 76. *cultus ſimilitudo* 65. *maiorib. iuniores admixti* 78. *cur uenandi exercitium*

citium reiectũ 99. festorũ obseruatio 147. 148. gemmæ puerorũ deliciæ 85. strata gematũ gloria 124. literatos solos ad magistratus uocari 70. magnifica auri cõtumelia 85. Medicinæ studium 108. mortẽ sibi consciscentiũ nõ probata causa, pœna 112. mulieres militantes 130. Pontifex unus 144. princeps 117. religio sua nemini est fraudi 137. 138. sacerdotum in bello munus 146. 147. scelerum supplicia 115. sementis modus 58. sobolis educatio 77
Vtopiẽses summopere bellum abominari 122
Vuaramus 491. 492
de Vulgi iudicio 218
uulgi rumores negligendi 212.
uulnera patrũ quæ 339
uxor qualis deligenda 221. 222. inde.
ad Vxorem malam domi habentem 232
in Vxore deligenda quæ potißimùm spectanda 221. 222
uxores quid maximè maritis cõmẽdet 116. 117
in Vxores 205. 230

Z

Zapoletæ 127
Zoroastres 292

ERRATORVM CASTIGATIO.

Pag. 7. uers. 24. Lestrygonas 44. in marg. ὁμοίωσις 103. 17. fore 156. 9 decresceret. 166. 15. f. amor 206. 25. perpaululũ 220. uers. ult. f. quîs 224. 24. Famæ 253. uers. pen. edisti 260. 4. sculptũ 287. 24. nõ 310. 6. nũciarẽtur, 314. 22. uiro 475. 18. amarulẽtius 478. 9. ὑποτονθορύζων, 487. 7 & 8. dilucidius 516. 7. constitutione.

Tho. Mori Lucubrationum FINIS.

06027

EPISCOP.

c
D5G3
M836L